



13-18.d.10

Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google

SVMMA
IVRIS CANONICI
IN TRES LIBROS DIVISA
AD VSVM VTRIVSQVE FORI ACCOMMODATA.

AVTHORE
FELICE VIA
DE CÆLICO CONSENTINÆ DIOECESIS
Iur. Con. in Sacra Theologia Licentiato;
& in Almæ Vrbis Gymnasio publico
iuris Professore.

Cum gemino Indice titulorum & rerum notabilium.

Ex libris Jo. Baptae Bibliot: Scholar.





Valletta S. Pantaleonis Piar.



ROMAE, M. DC. LXIX.

Typis Angeli Bernabò. *Superiorum Permissu.*

Digitized by Google



FELICI ABBATI
ROSPILIOSIO.
SANCTISSIMI D. N. CLEMENTIS IX.
EX FRATRE NEPOTI.



FELIX VIA D. D. D.



ANCTIONES Iuris Canonici proles ſunt Pontificiæ auctoritatis: Huiuſce prolis paruula imago, Iuris ſcilicet Canonici Summa, anhelat ad Parentis ſui pedes ſe ſiſtere: at pigmeam, & compendiariam formam præſeferens erube-

ſcit, expaueſcitque Summi Patris, Clementiſſimam licèt Maieſtatem; cuius dum in Te imaginem, reueretur, ſe tibi ambit deuouere, & à FELICIS manibus elabi præproperat, vt ſub FELICIS vmbra, meliùs dixerim luce, conquieſcat: Miſeram, obſcuramque arbitratur Auctoris felicitatem, niſi præclarior accedat felicitas ex Patrono; quam ſibi ex feliciſſimis animi dotibus, magis quàm ex auſpicatiſſimo nominis omine inauguratur. Ipſa Summæ prærogatiua tui illicium eſt patrocinij, tibique poſtulat ſingulari titulo conſecrari: qui totius vniuerſi Summam exhibes in ſtemmate, & vel quatuor mundi partes; vel potiùs tot mundos, quot partes (Ciuitate enim in quadro poſita mundus totus concluditur) gentilitia in area repræſentas: Qui ad mentis eruditionem ſimul, & voluptatem admiſsà inter grauiora ſtudia Coſmographià in globis exiguis, & compendiarijs tabellis ſpatia vaſtiſſima percurris, ignotas quoque oras, terraſque inhoſpitas mente pręoccupas; famà etiam, & virtutis, & nominis occupaturus: Qui in annorum compendio ſcientiarum Encyclopediam ingenij vaſti-

ſtitate attigiſti; in ſuauiore ætatis flore collectos poſſides maturiores fructus prudentiæ. Qui,

Pulcrum pulcherrimus ipse
Mundum mente gerens.

Boetius l. de con. met.

nobiliorem animo, quàm corpore geris Microcoſmum; in iſto communem cum cęteris mundi materialis epitomen; in illo ſingularem mundi moralis Idęam, virtutum omniũ exemplar, hominis toto Superioris mundo prototypum. Parce igitur audaci conſilio, ſi vbi tàm multiplicem ſummam admirabũdus intueor, Iuris Canonici Summam ad tuę præcellentis virtutis aram appendo, arbitratus tibi pro tua benignitate acceptam fore, quia Summa; acceptiorem quia Iuris Canonici eſt: Si etenim

Carmen amat, quiſquis carmine digna gerit.

Claud. a paneg.

nequeunt Sacra Iura tibi in amore, & delicijs non eſſe, qui totus es ad iuris ſacri normam formatus, omnia moliris iuri ſacro conformia. Reipublicæ moderatrix, gubernatrix,

præ-

præſes eſt Iuris peritia, in hac dum genium ſolerter, feliciterque exerces, te tuis Maioribus parem, ad maxima ſcilicet quæque gubernia, ad inſigniora quęque regimina natum profiteris. Derident ſacræ leges ſuſurrationem illam obmuſſitantium grauem nimiùm ipſarum molem, dum ſuum in Te Herculem ſe obtinuiſſe gloriantur. Nullatenùs Ius Eccleſiaſticum inuidet Ciuili, dum quantùm decoris Ciuiliũ Inſtitutionum Summę Iuſtinianus Auguſtus impertitur, tantumdem Sibi Eccleſiaſticarum Conſtitutionum Summa ex FELICE Mecænate auſpicatur. Homeri Iliades numquàm fuerunt auguſtiùs aſſeruatæ, quàm quando exigui nuclei, globuliue anguſtijs concluſas, Darius Rex iuſſit ipſas, inter res cariores, ac pretioſiores Scrinio ſecretiore cuſtodiri: ęmulabuntur hoc priuilegiũ Canonicæ Sanctiones, ſi ad breuis voluminis anguſtias redactæ tuo fuerint gratæ conſpectui, tuo ſortiantur in Muſęo collocari. Magnorum virorum eſt Iura aut ferrę, aut fouere; Tuum ſit, Iura hæc fouendo Iuribus ferendis prælùdere: Sitque mihi hoc vnum in votis, vt ſicuti in te omnes inter ſe pares, om-

nes

nes heroicas virtutes suspicio, ita qua animi integritate, & in iustitiam propensione Iura complecteris, pari me benignitate complectaris ambientem Te compendiarij Iuris Vindicem, & Mecęnatem: Vale & diù viue feliciter FELIX.

LECTO-

Digitized by Google

LECTORI BENEVOLO.

FRANCISCVS PTOLEMAEVS.



PRIVSQVAM summariam, quã tibi ad Ius Canonicum Author munificenter instrauit, VIAM ingrediaris, Viaticum hoc liberale velim sumas Lector humanissimè. FELIX VIA natalem celebrauit diem Coelicæ Cõsentiæ municipio, vbi syderibus ad eius ingenij fælicitatem consensientibus Humanarum litterarum, Philosophiæ, Iurisprudentiæ, ac Theologiæ stipendia meruit. Mox Vrbis aduena, legitimi certaminis coronam adeptus, indigenum in iure exercendo, dicundo, docendoque morem, ęrumnabili quidem labore; sed, illustrissimo natalibus ac virtutibus Pręsule suis conatibus præeunte, aggressus excoluit ita fæliciter, vt breuì inter Lectores adlectus priuatam ad Iuris Canonici prudentiam Auditoribus explanauerit VIAM, quam expurgatam, communitam, directam, complanatam, ac numeris omnibus absolu-

solutam publici iuris facit: vnde ad tui commoditatem.

Modò quæ fuerat semita facta VIA est. Martial. lib. 6. epig. 6.

Inscripsit Operi, *Summa Iuris Canonici*, vt tibi FELIX ad id esset VIA: talis namque est quæ summaria: etenim consueuerunt homines

—— longas pertimuisse VIAS. cum Martial. lib. 6. epig. 43.

Deterat inualidos & VIA longa pedes. Tibul. lib. 1

multoque magis, nam quibus malè præcamur lõgam VIAM exoptamus atque perpetuam. Nec putes te ob breuitatem ad exiguas Iuris casas, aut mapalia, vel saltem ad aliquod municipium accessurum; sed scias te tamquã per militarẽ VIAM ad totius Pontificij Iuris Metropolim, aut ad maximum mare peruenturum. Opus in tres dispertitum partes, quasi TRIVIVM, exhibet, non vt in ipso anceps & ambiguus hæreas, nec vt ex eo triuialem doctrinam assequaris, sed vt te per tres in vnam coeuntes VIAS fæliciter ad dilucidam personarum, rerum, atque iudiciorum cognitionem perduceret. Quin etiam, vtilitati solummodo consulens tuæ, non modò detritos pedibus vulgi, sed non amplius calcatos, nouos quasi lapides milliares, adiunxit titulos; reiectis ijs, quos ob nimiam sui vetustatem inutiles operi iudicauit. Nec est de itineris fælicitate cur dubites: etenim insidiatores non pertimesces, quos valida FELICIS impetrata

** Pro-

Proceris protectione deleuit; vnde hæc tibi erit VIA sacra, qua insignes pietate viros ad sacra munia obeunda, impios non nisi ad pænas transire conspicies. Difficultatum opacitate non implicaberis, quas substulit & amputauit; amfractibus, flexuris, ac circuitionibus in errorem ducentibus non confunderis, quas, igne ingenij laborisque ferro consumptis obicibus, direxit ac complanauit; luxatos in lapides non impinges, quos diligenter exemit; non lubricam præceps corrues ob vliginem, quam siccauit; puluere non turbaberis quã ipse irriguo sudoris imbre compescuit; nec tandem tota, vt dicitur, errabis FOELICI infæliciter VIA, ni velis Erro esse temerarius. Cæterum *cum aliquis lucus, aut aliquis locus sanctus*(præclari nempe Scriptoris authoritas, quẽ latè materiam discutere comperies) *in VIA oblatus est, votum postula, portum appone, paulisper asside: etenim sic fermè religiosis Viantium moris est*. Si te lapis exoticus offenderit ne incusa VIAM, neũe impete Stratorem; sed eo sacrum aceruũ religiosè congere Mercurio FELICI, FELICIS VIÆ præsidi, atque regionum, orbisque peragrandi peritissimo: huic lita, huius indue talaria fæliciter viaturus. Si lutum, aut puluerem VIÆ Typographus iniecerit patienter excute, sciẽs sine his VIAM esse non posse. Sic re ipsa, prout nomine, FELIX erit Author si in eius SVMMA nõ

Apul. florid. 1.

Senec.

sum-

ſummarios labores benignè perſpexeris, fælicior ſi te defenſorem experietur, fæliciſſimus ſi glorioſam ſibi ad nominis immortalitatem, tibi FOELICEM ſtrauerit VIAM ad Pontificij Iuris prudentiam. Ergo, tali inſtructus commeatu, dextro pede, fæliciter inuade VIAM, ſecurus quod ---
------ *Non te VIA fallet euntem:*
Vale. *Vade fortiter, vade fæliciter, nihil dubitaueris reddere.*

Virgi eneid.lı Scau. n quæſt.lıı cap.32.

Digitized by Google

Ad Eruditissimum Virum FELICEM VIA Consentinum V.I.D. Publicum Iuris Professorem in Almæ Vrbis Gymnasio.

Elogium.

Pythagoras bycornem ostendebat VIAM, vnam,
Quæ tenderet ad virtutem, alteram
Quæ flecteretur in vitium:
Quæ tendit ad virtutem nostra VIA FELIX est; dum suorum
Fama laborum, laudem ingenij consecutus.
Ducit homines ad veram beatitatem
Ante templum Saturni surgebat olim columna milliaria
Italiæ distincta VIIS:
Nostra VIA, vt altera columna veras virtutis
Præmostrat semitas, & lucet quoque,
Dum præfert facem virtutibus:
Lactea VIA quam vocant Græci Galaxiam, sanguine
Phaethonteo, & [illegible] lacte [illegible]micat, vnde
Patet VIA ad Cælum Heroibus
Hæc nostra telluris VIA lactea subnectens prælucet
Ingeniosis, vt elucubrentur studijs.
Hic in summam redegit canones, locupletior in summa,
Quam cæteris, dum præter ingenij acumen
VIAM quoque se præbet studiosis.
Summam conscripsit, imitatus naturam, quæ
Maiestatem suam contrectat in gemmis.
Multum sudauit, & alsit. Nulla enim est
E terris mollis ad astra VIA.
Hæc FELIX VIA nostram Sapientiam
In sublime sustulit.
Esset inuium nostrum Lycæum, nisi hac
Feliciter dirigeretur VIA
VIA continet actum, & iter; agite iuris prudentes
Perambulate regiam VIAM,

Quia

Quæ in summam confert canones
Vt maximum ingenij expediat æquor.

AD EVNDEM.

Epigramma.

Est VIA sublimis cælo manifesta sereno
Lactea: quæ ducit nomina lacte Deæ.
Hac iter est summis Heroibus. Hæc Ioue plena
Hac Phaethonteo sanguine facta VIA est
Candidior patet ista tuis VIA plana per orbem
Nec mouet anfractus, nec tibi torquet iter.
Hac poteris gressu facili feliciter ire,
Vt tangas mammæ vota petita tuæ.
Nulla est meta VIAE, percurres æquore mundi.
Finis erit vobis principiumque VIA est.

Franciscus Villarealis V. I. D. & Publicus Iuris Professor in Alma Vrbis Gymnasio.



D.Ale-

D. Alexandri Brugiotti Lectoris publici materiæ Crim. ad D. FELICEM VIAM pro suo Opere Summ. Canon.

Elog.

FELIX VIA
Qua summum petitur virtutis Apex
Felicitas siquidem in virtute est
Summi defixa radicibus
Summè amanda, summè colenda
Summ què meretur qui summè
Operatur in eam
Canonicam virtutis VIAM
FELIX summè docet
Summè per eam ducit
Ita seduitam habemus, & continuum in
docendo
Vt in VIA Aristotelem
quem
In Academia Zenonem facile dixerint
Quisquis Inuius *errat summam*
Hanc ingrediatur
VIAM
Et summe ad rectam euadet semitam
Fiet enim
Vt Canonica *dogmata rectè percipiantur*
Hinc optimè illud Seneca
Hac summa virtus, petitur hac Cælum
VIA.



DI

Di Biagio Cusano.

FOLLE con Creso ei pur vaneggia ed erra,
Chi sua ripon felicita ne gli ori,
Che cuna han da'piu cupi antri sotterra
Di Dite rea presso i penosi horrori.

La sapientia sola a' cui fulgori
Sembra il biondo metallo ombrosa terra
(Come la nata in sù i Celesti Chori)
Del verace goder la VIA disserra.

Faticoso il sentier, quanto sublime
Rotto da tronchi, e rupi auuien che sia
E ben raro è quel piè, ch'orma v'imprime.

Ma Duce tù di sacra alta Sofia
Rendi ad altrui ver le beate cime
Ageuole, e FELICE anco la VIA.



Digitized by Google



ORDO

Digitized by Google

ORDO TITVLORVM.

LIBRI PRIMI.

De iure Canonico & eius partibus.	1
De iure diuino.	5
De ecclesiasticis constitutionibus.	7
De rescriptis.	10
De consuetudine.	13
De iure personarum.	16
De Papa.	18
De Cardinalibus.	20
De Legatis.	22
De Patriarchis.	26
De Archiepiscopis.	28
De Episcopis.	30
De officio Vicarij.	33
De capitulo.	36
De officio Archidiaconi.	38
De officio Archipresbyteri.	39
De officio Decani.	40
De officio Primicerij.	41
De officio Thesaurarij.	42
De Canonicis.	43
De Abbatibus.	47
De officio Parochi.	49
De coadiutoris officio.	51
De coadiutoria.	52
De Sacerdotibus in inferiori gradu constitutis.	54
De Diaconis.	56
De Subdiaconis.	58
De ijs qui in minoribus.	59

De prima tonsura. 61
De Clericis coniugatis. 62
De Clericis coniugatis latinis. 64
De Clericis non residentibus. 81
De vita & honestate Prælatorum, & Clericorum. 82
Communia, tam maiorum, quam minorum ordinum. 84
Qui promoueri non possint. 86
De Regularibus & monachis. 87
De electione. 90
De postulatione Prælatorum. 93
De confirmatione electionis. 94
De consecratione. 95
De authoritate, & vsu pallij. 97
De translatione. 99
De renuntione. 102
De degradatione. 104
De prabendis. 105
De beneficijs. 107
De iure patronatus. 109
De institutionibus. 111



LIBRI

LIBRI SECVNDI.

De *sacramentis*. 114
De *baptismo*. 117
De *confirmatione*. 121
De *pænitentia*. 123
De *eucharistia*. 127
De *extrema vnctione*. 130
De *ordine*. 132
De *sponsalibus*. 135
De *matrimonio*. 139
De *diuortijs*. 144
De *consecrandis construendis, & reparandis ecclesijs, altaribus, & ecclesiasticis locis*. 147
De *rebus sacris in communi*. 151
De *vnionibus ecclesiarum*. 153
De *immunitate ecclesiarum*. 156
De *censibus, exactionibus & procurationibus*. 159
De *charitatiuo subsidio*. 165
De *sepulturis*. 166
De *canonica portione*. 169
De *decimis*. 170
De *rebus ecclesiæ alienandis vel non alienandis*. 174
De *peculio clericorum*. 177



Digitized by Google

De iudicijs. 180
De iudicio ecclesiastico. 183
De iudicio ciuili, & criminali. 186
De iudicio ordinario. 187
De iudicio summario. 188
De iudicio possessorio, & petitorio. 189
De iudicio summarijssimo. 190
De arbitris. 192
De procuratoribus. 196
De foro competenti. 200
De in ius vocando. 202
De libelli conceptione. 205
De dolo. 207
De contumacia. 209
De missione in possessionem. 211
De litis contestatione. 212
De iuramento calumniæ. 214
De restitutione spoliatorum. 216
De reconuentione. 218
De pactis. 220
De transactionibus. 223
De probationibus. 224
De confessione. 225
De positionibus. 228
De testibus. 231
De impedimentis testium. 233
De fide instrumentorum. 236
De iure iurando. 240
De præsumptionibus. 243
De fama. 245
De negatiua. 246

De

De exceptionibus. 248
De exceptionibus peremptorijs. 249
De exceptionibus dilatorijs. 251
De sententia. 252
De re iudicata. 256
De executione rei iudicatæ. 257
De appellationibus. 259
De apostolis. 266
De inhibitione. 267
De remissorialibus, & compulsorialibus. 269
De restitutione in integrum. 270
De relatione. 272
De reuisione. 273
De supplicatione. 274
De simonia. 275
De hæreticis. 279
De schismaticis. 282
De apostatis. 283
De homicidio. 285
De adulterijs. 287
De stupro. 290
De incestu. 291
De raptu. 293
De furtis. 294
De vsuris. 296
De crimine falsi. 299
De mendacio. 301
De periurio. 301
De sortilegijs. 302
De sacrilegijs. 304
De maledicis. 305
De iniurijs. 306
De accusationibus. 308

Digitized by Google

De iudicijs. 180
De iudicio ecclesiastico. 183
De iudicio ciuili, & criminali. 186
De iudicio ordinario. 187
De iudicio summario. 188
De iudicio possessorio, & petitorio. 189
De iudicio summarijssimo. 190
De arbitris. 192
De procuratoribus. 196
De foro competenti. 200
De in ius vocando. 202
De libelli conceptione. 205
De dolo. 207
De contumacia. 209
De missione in possessionem. 211
De litis contestatione. 212
De iuramento calumniæ. 214
De restitutione spoliatorum. 216
De reconuentione. 218
De pactis. 220
De transactionibus. 223
De probationibus. 224
De confessione. 225
De positionibus. 228
De testibus. 231
De impedimentis testium. 233
De fide instrumentorum. 236
De iure iurando. 240
De præsumptionibus. 243
De fama. 245
De negatiua. 246

De

De exceptionibus. 248
De exceptionibus peremptorijs. 249
De exceptionibus dilatorijs. 251
De sententia. 252
De re iudicata. 256
De executione rei iudicatæ. 257
De appellationibus. 259
De apostolis. 266
De inhibitione. 267
De remissorialibus, & compulsorialibus. 269
De restitutione in integrum. 270
De relatione. 272
De reuisione. 273
De supplicatione. 274
De simonia. 275
De hæreticis. 279
De schismaticis. 282
De apostatis. 283
De homicidio. 285
De adulterijs. 287
De stupro. 290
De incestu. 291
De raptu. 293
De furtis. 294
De vsuris. 296
De crimine falsi. 299
De mendacio. 301
De periurio. 301
De sortilegijs. 302
De sacrilegijs. 304
De maledicis. 305
De iniurijs. 306
De accusationibus. 308
De

De inquisitionibus. 311
De denunciationibus. 313
De duplici purgatione. 315
De ecclesiasticis censuris. 317
De excommunicatione. 319
De censuris in bulla cænæ contentis. 331
De interdicto ecclesiastico. 333
De suspensione. 338
De irregularitate. 343
De bigamia. 345
De defectu lenitatis. 349
De defectu corporis. 350
De defectu animæ. 352
De defectu libertatis. 352
De defectu natalium. 354
De defectu ætatis. 356
De impedimento paupertatis. 357
De homicidio voluntario. 359
De mutilatione voluntaria. 359
De homicidio casuali. 361
De homicidio ad defensam. 362
De baptismi iteratione. 564
De violatione censurarum. 365
De mala ordinum receptione. 366
De infamia delicto annexa. 368

ORDO

ORDO TITVLORVM

IN GENERE, ET IN SPECIE ALPHABETICA SERIE DISTINCTVS.

A

Abbatibus. fol. 47
Accusationibus. 308
Adulterijs. 287
Aetatis defectu. 356
Animae defectu. 352
Apostatis. 283
Apostolis. 266
Appellationibus. 259
Arbitris. 192
Archiepiscopis. 28
Archidiaconis. 38
Archipresbyteris. 39
Authoritate & usu pallij. 97

B

Baptismo. 117
Baptismi iteratione.
Beneficijs. 107
Bigamia.
Bulla caenae.

C

Canonicis. 43

Cano-

Canonica portione. 169
Capitula. 36
Cardinalibus. 20
Charitatiuo subsidio. 165
Censibus. 169
Censuris Ecclesiasticis.
Censuris in bulla cœnæ. 331
Censurarum violatione.
Clericis coniugatis orientalis Ecclesiæ. 62
Clericis coniugatis occidentalis Ecclesiæ. 64
Clericis in minoribus. 59
Clericis prima tonsura. 61
Clericis in sacris. 54. & 58
Clericis non residentibus. 81
Coadiutoris officio. 51
Coadiutoria. 52
Communia tam maioribus, quam minoribus. 84
Confessione. 225
Confirmatione electionis. 94
Confirmationis sacramento. 121
Consecratione. 95
Consecrandis construendis, & reparandis Ecclesijs. 147
Constitutionibus ecclesiasticis. 7
Consuetudine. 13
Contumacia. 209
Crimine falsi. 299

D

Decano. 40
Decimis. 170
Defectu animæ.
Defectu corporis.

De-

Digitized by Google

Defectu ætatis. 356
Defectu libertatis. 352
Defectu natalium. 354
Degradatione. 104
Denunciationibus. 313
Depositione. 104
Diaconis. 56
Diuortijs. 144
Dolo. 407
Duplici purgatione. 315

E

Ecclesiasticis censuris. 316
Ecclesiasticis constitutionibus. 7
Electione. 90
Episcopis. 30
Eucharistiæ sacramento. 127
Exceptionibus. 248
Exceptionibus peremptorijs. 249
Exceptionibus dilatorijs. 251
Excommunicatione. 319
Executione rei iudicatæ. 257
Extrema vnctione. 130

F

Fama. 245
Falsi crimine. 299
Fide instrumentorum. 236
Foro competenti. 200
Furtis. 294

H

Hæreticis. 179
Homicidio. 285
Homicidio casuali. 361
Homicidio iusto. 249
Homicidio ex causa defensionis. 362
Homicidio voluntario. 357

I

Iys qui in minoribus. 59
Immunitate ecclesiastica. 156
Impedimentis testium. 233
Incestu. 291
Infamia. 368
Inhibitionibus. 267
Iniurijs. 306
In ius vocando. 202
Inquisitionibus. 311
Institutionibus. 111
Interdicto ecclesiastico. 333
Irregularitate. 343
Iudicijs. 180
Iudicio ciuili & criminali. 186
Iudicio ecclesiastico. 183
Iudicio ordinario. 187
Iudicio possessorio & petitorio. 189
Iudicio summario. 188
Iudicio summarijssimo. 190
Iuramento calumniæ. 165
Iure canonico. 1

Iure

Iure diuino. 5
Iure iurando. 240
Iure patronatus. 109
Iure personarum. 16

L

Legatis. 22
Libelli conceptione. 205
Litis contestatione. 212

M

Maledicis. 305
Mendacio. 301
Missione in possessionem. 211
Monachis. 87
Mutilatione membrorum. 359

N

Negatiua. 246

O

Ordinis sacramento. 132
Ordinum mala receptione. 366

P

Pactis. 220
Papa. 18
Parocho. 49

Digitized by Google

Patriarchis. 26
Paupertatis impedimento. 357
Peculio clericorum. 177
Pœnitentiæ sacramento. 123
Peremptorijs exceptionibus. 249
Periurio. 301
Petitorio. 189
Possessorio. 189
Postulatione prælatorum. 93
Præbendis. 105
Præsumptionibus. 243
Prima tonsura. 61
Primicerio. 41
Probationibus. 224
Procurationibus. 163
Procuratoribus. 196
Purgatione canonica. 315

Q

Qui promoueri non possunt. 86

R

Raptu. 293
Rebus ecclesiæ alienandis, vel non alienandis. 174
Rebus sacris in communi. 151
Reconuentione. 218
Regularibus. 87
Re iudicata. 272
Relatione. 272
Remissorialibus. 269
Renunciatione. 102

Ref-

Rescriptis. 10
Restitutione in integrum. 270
Restitutione spoliatorum. 216
Reuisione. 273

S

Sacerdotibus. 54
Sacramentis in genere. 114
Sacramento baptismi. 117
Sacramento confirmationis. 121
Sacramento pænitentiæ. 123
Sacramento eucharistiæ. 127
Sacramento extremæ vnctionis. 130
Sacramento ordinis. 132
Sacramento matrimonij. 139
Sacrilegijs. 304
Schismaticis. 282
Sententia. 152
Sententiæ executione. 257
Sepulturis. 166
Simonia. 275
Sortilegijs. 302
Sponsalibus. 135
Stupro. 280
Subdiaconis. 58
Supplicatione. 274
Suspensione. 338

T

Testibus. 231
Transactionibus. 223

Tran-

Digitized by Google


Translatione episcoporum. 99

V

Vicarijs. 33
Vita & honestate pralatorum. 82
Vnionibus ecclesiarum. 153
Vsuris. 296




Impri-



Imprimatur,

Si videbitur Reuerendiss. P. Magistro Sacri Palatij Apostolici.

I. de Angelis Archiep. Vrbin. Vicesg.



Imprimatur,

Fr. Hyacinthus Libellus Sac. Pal. Apostolici Magister.

Legi

Digitized by Google

LEgi *Summam Iuris Canonici* ab Ad. R. D. Felice Via compositam, & verè Canonicam & orthodoxam inueni, ac doctrina, facilitate methodoque singulari refertam: quam propterea, commissa mihi illius censura à Reuerendiss. P. Libello Sacri Pal. Apost. Magistro, in publicam lucem prodire, & vtilitatem maximam Iuris Pontificij studiosis afferre posse censeo.

Iulius Cæsar Pagnanus Aduocatus Consistorialis.

SVMMA

Digitized by Google


SVMMAE IVRIS CANONICI

LIBER PRIMVS

De Iure Canonico, & eius Partibus.

TITVLVS I.

Primo dicendum est quid significent verba quibus componitur titulus; deinde quid sit ius Canonicum, quæ eius partes; successiuè enumerantur genera causarum, quæ in Iure Canonico concurrunt, & demum explicantur affinia.



Via omne causarum principium debet referri ad principium, quod est prima causa causarum, sicut est Deus. idcircò à tui inuocatione Domine, exordium sumens, te supplex exoro, vt ingressum instruas, progressum dirigas, & egressum compleas.

IVS. Verbum Ius, originem cœpit ex ruina Angelorum, bonum enim & æquum fuit, vt Lucifer propter superbiam puniretur, Glos. *in cap. principium, 17. in verb. superbia, de pœnit. dist. 3.* & duplicitèr sumitur largè, & strictè; largè sumptum continet plura significata; vnde *in l. consilio, 7. §. fin. ff. de curator. fur.* significat dominium, *in cap. ius generale, 2. distinct. prima*, capitur prò eo, quod iustum est, & alijs omissis in *l. 1. ff. de iust. & iur.* definitur; *est ars æqui, & boni*; & hoc vltimo modo sumptum, est nomen generale, itaut non minus competat Iuri Canonico, quam cœteris iuribus, vt in dicto *cap. ius generale*. Quod ius in genere sumptum diuiditur in duas species nempe, aliud est ad rem, & aliud in rem. Ius ad rem, est ad personam; & Ius in rem tribuit actionem realem, Martin. Bonacin. *lib. 2. de restitut. in gen. disput. 1. quæst. 8. pun. 2. num. 2.*

Ius strictè sumptum, stat pro Iure scripto, sub quo nomine venit, etiam lex scripta, vt firmat Azor. *institut. mor. par. 1 lib. 5. cap. 1. quæsit. 2.* quæ lex scripta, ita definitur *est sanctio sancta iubens honesta, prohibens contraria*, Fagn. in *cap. cum esses, num. 132. de testamen.* & ad sui essentiam tria requirit, idest vt instituatur, vt promulgetur, & vt moribus vtentium approbetur, Idem in *cap. treguas, n. 19. de tregua & pace.*

CANONICVM. Illa vox, *Canonicum*, est vocabulum græcum, & latinè canon dicitur *regula, cap. 1. distin. 3.* vnde in totum dicitur ius regulare, & ita definitur *est, quod Ciuium actiones dirigit ad finem æternæ beatitudinis*, Io. Paul. Lancell. *instit iur canon. lib. 1. hoc tit. in medio, versic. est igitur.*

Dixi *ciuium* ideſt Fidelium, nam Ecclesia non curat de Infidelibus, *cap Multi, 2. q. 1.* verum obstat Glos. in *cap. sæpe, 28. quæst. 1.* vbi Ecclesia curat de his, qui foris sunt, ergo curat de Infidelibus. Respondetur textum illum habere locum in temporalibus, non in spiritualibus, vel dicam curat de his in quantum offendunt homines & concedo: in quantum offendunt Deum nego, *cap. post miserabilem, 12. de Vsuris*, iuncto *cap. omnis christianus, 11. quæst. 3.* Iulius Chartar. *decis. crimin. decis. 78. num. 13. ver. quarto.*

Dixi, *actiones*, quia subiectum huius Scientiæ, est Homo operatiuus, vnde dirigit nos ad Deum, & auertit ea, quæ nos remouent à Deo, *cap. fin. de præscript.*

Dixi, *ad finem æternæ beatitudinis*, ad differentiam iuris ciuilis, nam potissima virtus Iuris Canonici est cœlestis amicitia, potissima virtus vero Iuris Ciuilis est legalis amicitia, Lancell. *vbi supra, & ibidem* Glos. *verbo, æternæ.*

QVÆ EIVS PARTES. Partes Iuris Canonici, quibus hodie vtimur in Scholis sunt quinque, nempe Decretum, Decretales, Sextum, Clementinæ, & Extrauagantes.

Decretum habet auctorem Gratianum monachum, qui illud priuato studio collegit, ex Sententijs Sanctorum Patrum, Constitutionibus Summorum Pontificum, Concilijs Episcoporum, & Cõstitutionibus iuris ciuilis, illudque postremo Greg. XIII. corpori Iuris Canonici annumerauit, Fagn. *in cap. tua n. 22. de sponſ. imp.* & quia olim ex parte auctoris, nulla propriè pars Iuris Canonici erat, cum ipse Gratianus, vtpote homo priuatus, non habuerit potestatem illud canonizandi, ideo Eugenius III. illud approbauit, publicisque Gymnasijs legendum concessit in vita Gratiani, Daniel. Ven. Analys. *iur. pontif. lib. 1. tit. 1. §. causa*, verùm Decreta Concilio-

lio-

liorum, Decretales, & leges ciuiles à Gratiano voluminì suo inserta, non aliam habent auctoritatem, quam leges ipsæ, & si sint correctæ, non censentur approbatæ, ex quo illas inseruit Gratianus volumini suo, Idem in *cap. super inordinata, n.* 23. *de praben.*

Hoc diuiditur in tres partes. Prima continet 101. distinctiones, & solet citari, *cap. acutius, distin.* 26. Secunda comprehendit causas 36. quarum singulæ in quæstiones diuiduntur, & quælibet quæstio in capita, at vero quæstio tertia causæ 33. continet tractatum de Pænitentia diuisum in septem distinctiones, & hæc secunda pars citatur, *cap. decimæ*, 16. *quæst.* 1. & *cap. Septies, de pæniten. distin.* 2. Tertia denique pars decreti continet tractatum de Consecratione distributum in quinque distinctiones, & hoc modo citatur, *cap. vasa, de consecr. dist.* 1.

Decretales sunt Epistolæ, & Canonicæ scripturæ vim auctoritatis habentes, quas vel Summus Pontifex solus, vel ex Consilio Cardinalium aliquo interpellante constituit, *cap. bonæ memoriæ*, 23. *de elect.* & Glos. *in cap. omnes*, 4. *distinct.* 3.

Quæ Decretales sunt diuisæ in quinq. libros. In primo libro, agitur de Personis Clericorum; In secundo de Actionibus, & Iudicijs Ecclesiasticis; In tertio de Rebus Clericorum, & Ecclesiarum; In quarto de Statu Laicorum; & In quinto de criminibus, & eorum pœnis, ac allegantur hoc modo, *cap. etsi iudæos*, 13. *de iudæis*.

Sextus liber Decretalium editus fuit à Bonifacio VIII. post quinque libros dictarũ Decretalium Greg. IX. Hic etiam diuiditur in quinque libros, & in eosdem titulos, in quos libri Decretaliũ sed in pauciores, quia sextus habet tantum 77. titulos, quinque libri vero Decretalium continent titulos 185. & allegatur sic, *cap. si Iudex*, 12. *de senten. excommunicat. in* 6.

Clementinarum Liber editus fuit à Clemente V. hic etiam in quinque libros, & eosdem titulos, sed pauciores diuiditur, cum sint solum 53. & allegantur, *clement. si furiosus*, 1. *de homicid.*

Postremò Extrauagantes dicuntur, quia antea extra corpus iuris Canonici incerta quasi sede vagabantur, sed deinde in ordine librorum iuris Canonici redactæ fuere, quarum aliæ sunt Ioannis XXII. & continent 20. materias tam in textu, quam in glossa declaratas; & aliæ dicuntur Extrauagantes Communes, quia sunt ex pluribus Pontificibus; & diuiduntur, etiam in quinque libros continentes eosdem titulos, sed paucissimos, & allegantur, *extrauag. ambitiosæ de rebus ecclesiæ non alienandis*; de earum

inquam, auctoritate, non est quod quis addubitet, cum ipsos Summos Pontifices auctores habeant, de quorum potestate disputare vanum est, cum sit os in Cælum ponere.

GENERA GAVSARVM. Genera causarum, quæ concurrunt in iure Canonico, sunt quatuor nempe efficiens, materialis, formalis, & finalis: Si primam originem spectes, causa efficiens iuris Canonici est Deus, causa verò efficiens magis propinqua sunt illa quatuor Concilia Generalia, nempe Nicænum, Constantinopolitanum, Ephesinum, & Calcedonense, vt in *cap. sicut, dist.* 15. nec non Summi Pontifices iunctis Cardinalibus, & Episcopis, *cap. sunt quidam*, 25. *quæst.* 1.

Hinc est, quod Summus Pontifex dicitur retinere Ius suum, idest, canonicum in pectore, tamquam in scrinio, & potest illud tollere pro libito suæ voluntatis, & multo magis dispensare cum causa, & sine, Fagn. *in cap. consultationibus*, *nu.* 25. *de cler. ægrotan. & in cap. cum ad monasterium*, *n.* 78. *de statu monachorum*: Ratio est, quia Papa non restringitur lege positiua, quamuis adstringatur mente legis, Idem *in cap. canonum*, *n.* 78. *de constitut.* & August. Barbos. *tract. de iure ecclesiastico*, *tit de potest. & auctor. Rom. Pontificis*, *cap.* 2. *n.* 98. quæ facultas denegatur cœteris Principibus, quia subijciuntur iuri Canonico, vt est in concernentibus animæ, *cap. omnes*, 4. *de maiorit. & obedien. cap. duo sunt*, 10. *& cap. si Imperator* 11. *dist* 96. In temporalibus verò coactiuè sunt soluti legibus, minimè tamen directiuè, DD *in l. Princeps*, 30. *ff. de legibus*, *& l. ex imperfecto*, 23. *ff. de legat.* 3.

Causa materialis est res Ecclesiastica, vt per Daniel. Venator. *in Analys. iur. pontif. lib.* 1. *hoc tit. §. obiectum*.

Causa formalis intrinseca est ipsa iussio, extrinseca verò cõsistit in serie titulorũ, quæ in Decretalibus ferè eadem est; & in Decreto, etiã ordinata serie cõprehenduntur sententiæ, & dicta SS. Patrum.

Causa finalis est cognitio Dei, conseruatio status Religionis & Reipublicæ, honesta cognitio discernendi æquum ab iniquo, & salus Populi Christiani; ad quam legum latores suas leges, tamquam scopum referunt.

AFFINIA. Aduerte vt; quod cognata, seu affinia iuris Canonici sunt Theologia, Philosophia moralis, æquitas, Ius naturale, Ius Ciuile, & lex Mosaica.

Conuenit cum Theologia, quo ad diuinas leges, quas complectitur, Abb. Panorm. *in cap qualiter*, *& quando*, *n.* 3. *de accusat.* conuenit cum Philosophia morali secundum mores rectè

for-

formandos, & successiuè cum æquitate, & lege naturali: quia omne, quod fas est, nomine diuinæ, vel naturalis legis accipitur, *cap omnes*, 1. *dist*. 1. & cum lege Mosaica quo ad Ritus in Sacris à Populo Dei obseruandos, *cap. moyses*, 1. *dist*. 7. & conuenit cum Iure Ciuili, quo ad humanas leges quas complectitur, & regulariter inter ius Ciuile, & Canonicum nunquam est constituenda differentia, nisi id reperiatur expressum, Fagn. *in cap. ex parte, n. 32. de Arbitris*. Verum in se sumptum ius canonicum est potentius, & dignius iure Ciuili, Idem *in cap Non magnopere, n. 12. ne cler. vel mon.* & quando est contrarium iuri ciuili præualet, etiam in merè temporalibus & inter laicos, quando Papa habet temporalem iurisdictionem, Fagn. *in cap. antigonus, n. 30. de pactis*, & in *cap. licet, nu. 32. de censibus*, in materia tamen concernente peccatum, in totum derogat iuri Ciuili, Idem *in cap. nauiganti, n. 9. de vsuris*, sed in decidendis causis Clericorum semper attendi debet ius canonicum Iul. Chartar. *decis. crim decis. 69. num. 5.*

De Iure Diuino.

Titulus II.

Ius Diuinum propriè sumptum quid sit, explicatur eiusdem definitio & diuisio, enumerantur præcepta, & assignatur potestas quam Pontifex in illo exercere valeat.

QVID SIT. Dupliciter sumitur ius Diuinum largè, & strictè: largè, etiam ius Canonicum dicitur ius diuinum, quia quod Summus Pontifex promulgat, vt Vicarius Christi, videtur ipse promulgasse, & de hoc actum est supra in præcedenti titulo; strictè stat pro eo, quod immediatè descendit ab ore Dei, Abb. *in cap. nimis, num. 3. de Iure iurando*, & secundo modo sumptum spectat ad nos, & ita definitur: *est quod in lege, & Euangelio continetur, est immutabile, atque semper permanet*, Ioan. Paul. Lancell. *inst. can. hoc tit. in prin.*

Dixi *lege*, idest Mosaica, quæ est vetus testamentum, & à Deo Moysi tradita fuit in Monte Sinai, Azor. *inst. mor. par.* 1. *lib. 6. cap. 2. quæsit. 4. col. 2. lit. D.* Dixi *Euangelio*, intellige pro nouo testamento, quod à Christo immediatè traditum fuit Apo-

sto-

stolis. Dixi *continetur*, quia sapit naturam contenti, & non continentis, cum contineatur in vetere & nouo testamento. Dixi *Immutabile*, ad denotandum quod mutari non potest, neque aboleri, Fagn. *in cap. ex parte*, *n.*18 *de cler non resident.*

QVOTVPLEX. Diuiditur in naturale, & positiuum, Martin. Bonacin. *lib.*2.*tit. de legib. disput.*1. *quæst.*1. *pun* 2. *n.*4 Ius Diuinum naturale est id, quod à lege naturali præcipitur, vt est honorare parentes; ius diuinum positiuum disponit, quod à lege naturali non est sancitum, vt est præceptũ præmittendæ confessionis ante sumptionem Eucharistiæ ab habente conscientiam peccati mortalis; in concursu ius diuinum positiuum cedit iuri diuino naturali, Fagn. *in cap. omnes*, *n.*20. *de pænit. & remiss. & in cap. si quis*, *n.*5. *de regular.*

PRÆCEPTA. Aduerte, quod Præcepta, quæ in lege, & in Euangelio continẽtur diuiduntur per Ioan. Paul. Lancell. *vbi supra hoc tit.* ibi Glos. *verbo moralia, & verbo, mystica*, in mysticis, & moralibus; Præcepta mystica dicũtur figuralia, quia aliud significant, præter illud, quod littera sonat, vt sunt præcepta sacrificiorum; & hæc subdiuiduntur, alia sunt sacramentalia, & alia ceremonialia; sacramentalia, vt est præceptum circumcisionis, & alia spectantia ad legem veterem, de quibus tractat Azor. *institut. moral. par.*1. *lib.*6. *cap.*1. *&* 3.

Ceremonialia sunt ea de quibus ratio reddi non potest, vt non arabis Boue & Asino, *cap. in nona*, 16. *quæst.*7. quæ præcepta fuerunt viua vsque ad Passionem Christi, mortua deinceps, & mortifera post diuulgationem Euangelij, Fagn. *in cap. canonum*, *n.* 3. *de constitut.*

Præcepta moralia mores informant, & nullam mutibilitatem recipiunt, vt est diligere vnum Deum, & subdiuiduntur alia affirmatiua, alia negatiua. Affirmatiua sunt ea in quibus potest verificari contrarium, vt est præceptum ne occidas; causa defensionis ad vitandum periculum vitæ aggressorem occidere licet, Iul. Clar. *in prax. crim. lib.*5. §. *homicidium*, *nu.* 24. Negatiua sunt, quæ obligant semper ad semper, & nunquam admittunt contrarium, vt est diligere vnum Deum, & hæc sunt immutabilia, Fagn. *in d. cap. canonum*, *n.*2. *&* 3.

Adde, quod lex noua in specie inter cœtera habet quatuor præcepta fidei, spei, charitatis, & sacramentorum, Azor. *dicto lib.*6. *cap.* 3. Canisius. *in sum. iur. canon. lib.* 1. *tit.* 2. *vers. obseruandum est.*

Digitized by Google

PAPÆ POTESTAS. Explicantur vltimo loco tres termini tollere, dispensare, & interpraetari, ex quo maxima resultat vtilitas. Tollere idem est, ac destruere, & hoc prohibetur Summis Pontificibus respectu iuris diuini, quia illud vsque ad animam, & sanguinem defendere tenentur, Abb. *in cap. significatum, n.* 3. *de regular. transeun ad relig.*

Dispensare est non permittere aliquid de iure dispositum ob concurrentiam iustæ causæ, & hæc facultas etiam Papæ denegatur, quia Deus prauidit omnes casus & causas, Fagn. *in cap. cum pridem, n. 76. de pactis*, præsertim contra articulos fidei, & vniuersalem statum Ecclesiæ nequit dispensare, Iul. Chart. *decis. crim. decis 46. num. 91.*

Interpraetari idem est ac declarare, & hoc permittitur, quia alias Christus non dedisset Papæ, & Successoribus sufficientem potestatem ad gubernationem Ecclesiæ, vnde ex causa, vt ad vitandum maius malum, & ne impediatur maius bonum Papa illud interpraetari potest, & etiam limitare, Idem *in dicto cap. cum pridem, n.* 80. & Augustin. Barbos. *de iure ecclesiastico, tit. de Auctoritate Romani Pontificis, cap.* 2. *num.* 121.

De Ecclesiasticis Constitutionibus.

Titulus III.

Constitutio vnde dicatur, quid & quotuplex sit, singillatim explicantur contenta sub constitutione in genere sumpta, deinde definitur constitutio in specie, & diuiditur, assignantur genera causarũ quæ in ea concurrant, eiusdem virtutes, & modi quibus derogetur Ecclesiasticis Constitutionibus.

VNDE DICATVR. Constitutio dicitur à *con*, & *statuitione*; *con*, idem est ac commune, & *statuitio*, idem est ac statutum, Fagn. *in cap. quoniam, n.* 5. *de constitut.* Dixi *statuitio*, & non declaratio, quia differunt inter se, nam statuere ex propria significatione est ius nouum inducere, *Clemen. fin. §. fin. verbo statuimus, de rescriptis*, at declaratio ius nouum non inducit, sed tantum explicat ius antea editum, hinc est declarationes Sacræ Congregationis Concilij vim legis obtinere, & in vtroque foro obligare, Idem *in d. cap. quoniam, n.* 8. *& sequent.*

Quæ

QVID SIT. Quæ constitutio sumpta pro omni iure scripto ita definitur: *est lex scripta*, Io: Paul. Lancell. *tit. de iure diuino*, *§. constitutio*. Dixi *lex* loco generis; & dixi *scripta*, loco differentiæ iuris non scripti, nam scriptura videtur de essentia constitutionis, vt multi tenent, & ad responsum ad contraria, dic quod hic loquitur secundum frequentiorem contingentiam, quæ habet, quod constitutiones scribantur, & probentur per exhibitionem scripturæ.

QVOTVPLEX. Dupliciter sumi potest largè, & strictè, largè capitur pro omni iure scripto, & ita sumitur *in Rubr. de const* iuncto *cap. cum omnes, eodem*, sub cuius appellatione veniunt scripta, & sententiæ Sanctorum Patrum, Concilia, Decreta Romani Pontificis, Principum placita, & Constitutiones temporales.

Scripta Sanctorum Patrum aliquando præcedunt Decreta Pontificum, dummodo illa magis accedant rationi. Verum tamen est, quod quo ad iurisdictionem dicta Pontificum præcedunt, quatenus Dominus claues Petro dedit, non alijs Apostolis, *cap. sunt quidam*, 25. *quæst.* 1. nihilominus Pontifex contradicere non potest dictis SS. Patrum in ijs, quæ spectant ad fidem, *cap. prima salus*, 25. *quæst.* 1.

Sententiæ SS. Patrum antiquorum, licet nullam iuris auctoritatem habeant, cum careant potestate condendi ius, si sint comprehensæ in corpore iuris Canonici parem vim habent cum ijs, *cap.* 5. *de constitut.* & verificatur illud dictum Iustiniani, & repetitum *in cap. si Apostolicæ*, 22. *de Præbendis*, omnia nostra facimus, quibus auctoritatem nostram impartimur, Io: Paul. Lancell. *hoc tit. §. alia sanè est ver. interserta* & ibi Glos.

Decreta Rom. Pont. æquipollent canonibus, & hac de causa ab omnibus sunt reuerenter recipienda, quasi firmata voce ipsius Petri, *cap. sic omnes*, *. *dist* 19.

Concilia sunt in triplici differentia alia vniuersalia, alia Prouincialia, & alia Episcopalia. Vniuersalia sunt, quæ condiderunt Sancti Patres ex Vniuerso Orbe in vnum conuenientes, iuxta fidem Catholicam, & horum quatuor recensentur celebriora, nempe Nicænum, & alia de quibus *in cap. canones*, 2. *distin.* 15. vel dicuntur illa, in quibus interuenit auctoritas Romani Pontificis, Lancell. *vbi supra hoc tit. §. celebrandum*. Prouincialia efficiuntur à Metropolitano, conuocatis suffraganeis, quolibet triennio, iuxta formam Sacri Concil. Triden. *sess.* 24. *de reform. cap.* 2. & Episcopalia sunt, quæ indicuntur ab Episco-

pis

pis in sua Diœcesi, *cap. omnis*, 14. *dist.* 18. quæ differunt inter se; nam Concilia vniuersalia ligant omnes, & vbique. Prouincialia verò, & Episcopalia ligant tantum subditos, quamdiù sunt intra proprium territorium, *cap.* 2. *de constitut. in* 6.

Placita Principum, aut sunt ecclesiasticorum, aut sæcularium, in prima specie veniunt etiam placita Episcoporum, quia Episcopi dicuntur Principes, *cap.* 1. & passim *dist.* 19. inter quos Papa primum locum obtinet, Canis. *sum. iur. pontif. de iure diuino*, §. *placita*.

Placita Principum sæcularium sunt constitutiones Principum sæcularium, quorum vestigia passim in Iure Canonico occurrunt, *cap.* 8. *de iudiciis*, quæ quando non aduersantur sacræ scripturæ, vel canonicis sanctionibus ex benignitate sacroru͂ canonum recipiuntur in forum ecclesiasticum, *cap.* 1. & 4. *dist.* 10. nam leges non dedignantur sacros canones imitari, *cap.* 1. *de noui oper. nunciat.*

Constitutiones temporales dicuntur leges, & efficiuntur à Rege, DD. *in cap canonum*, 1. *de constitut.* quæ quamuis sint generales, nunquam ligant clericos, nisi facta speciali mentione clericorum sint confirmatæ à Papa; quod intellige quando illæ constitutiones sunt odiosæ, quia cùm sint fauorabiles est in arbitrium clericorum, an velint vti, Fagn. *in cap. ecclesia*, & *in cap. quæ in ecclesia*, *per tot. de constitut.*

CONSTITVTIO IN SPECIE. Constitutio propriè sumpta comprehendit solum quod Princeps statuit, vel qui est loco Principis, *cap. constitutio*, 4. *dist.* 11. Lancell. *vbi supra tit. de iure diuino*, §. *constitutio*, & ibi Gloss. quæ, pro vt est ecclesiastica diuiditur in generalem, & in specialem; generalis est immediatè edita à Summo Pontifice, & hæc ligat omnes, *cap.* 1. *de constitut.* specialis proprio nomine appellatur priuilegiu͂, & est iussio specialis indulgens aliquid alicui specialiter, *cap. priuilegia*, il 1. & sequen. 25. *quæst.* 2.

GENERA CAVSARVM. Causa efficiens constitutionis ecclesiasticæ est auctoritas Romani Pontificis, *cap. inter alia*, 11. *de sentent. excom.* materia est res & persona; forma est ipsa ratio, quæ quoque dicitur animi legis, *cap. consuetudo*, 5. *distin.* 1. & causa finalis est, vt oppressis compatiatur, fraudibus occurratur, ac vt metu pœnæ mali boni, & boni meliores spe præmioru͂ fiant, l. 1. *ff. de inst.* & *iur.* & Card. Hostien. *in sum. hoc tit. n.* 10.

VIRTVTES. Virtutes sunt quatuor, nempe imperare, permittere, punire, & vetare, *cap. omnis autem*, 4. *dist.* 3. & ligant omnes illius habentes notitiam, secus autem ignorantes ante publicationem, *Fagn. in cap. canonum*, *n.*47. *&* 11. *de constitut.*

MODI QVIBVS REVOCATVR. Nota, quod constitutio ecclesiastica reuocatur per posteriorem constitutionem legitimè editam, vt est quando secunda constitutio est edita ex motu proprio, & ex certa scientia, nihil obstante quod de prima mentionem non faciat, Fagn. *in cap. nonnulli*, *n.* 29 *de rescriptis*; ampliatur, etiam quod prima contineat clausulam derogatoriam ad futuras dispositiones, Idem *in cap. ex parte*, *n.* 29. *de priuilegijs*; verùm per contrarium vsum nunquam censentur abrogatæ, nisi sint inobseruatæ spatio annorum quadraginta cum scientia & patientia simul Papæ, Idem *in cap. treguas*, *num.*74. *de tregua*, *&* *pace*, *in cap. si quis*, *n.*70. *de foro competen.* & *in cap. quoniam*, *n.*9. *de constitutionibus*.

De Rescriptis.

Titulus IV.

Rescriptum vnde dicatur, quid, & quotuplex sit, quas vires habeat, quæ genera causarum in eo concurrant, quos effectus producit, & quibus modis impugnatur.

VNDE DICATVR, ET QVID SIT. Rescriptum largè sumptum dicitur à *rescribendo*, quasi ab Apostolico, vel Imperatore ad consolationem, vel supplicationem litteræ scriptæ, *cap. ex parte*, 1. *&* 2. *de rescriptis*, & ita definitur, *est iussio Principis in scriptis facta, quæ translata iurisdictione ad eum, ad quem dirigitur, vel nulla translata iurisdictione, ad preces impetrantis mandatur aliquid fieri*, Card. Hostien. *in sum. hoc tit. n.* 1. sub quo verbo rescriptum, venit annotatio, pragmatica, gratia expectatiua, priuilegium, & litteræ iustitiæ.

Annotatio *est rescriptum, quod Princeps vltrò proprio motu indulget, & concedit*, *l. vniuersa*, 7. *C. de diuersis rescriptis*.

Pragmatica *dicitur sacra Principis iussio super rebus publici, vel Vniuersitatis ad petitionem Ciuitatis, vel cuiusdam Vniuersitatis*

ob

ob publicam causam emissa, dicta *l. vniuersa*.

Gratia expectatiua *est*, *quæ super dignitate*, *vel beneficio vacaturo conferendo dirigitur*, *Clemen. litteras*, *5. de rescriptis*.

Priuilegium *est iussio specialis & priuata in fauorem alicuius contra communes iuris normas singulariter factas*, & quando vertitur causa super priuilegijs Sedis Apostolicæ iudicari debet per Summum Pontificem, *cap. cum venisset*, *12. de indicijs*.

Demum litteræ de iustitia *sunt*, *quibus causæ controuersæ cognitio ad petitionem cuiusdam priuati inferiori committitur*, *cap. cum dilecta*, *22. eodem* & de his suo loco tractabo.

DIVISIO. Deuenio ad explicationem rescripti, quod in plures species diuiditur; nam ex parte causæ efficientis, rescripta quædam sunt Apostolica, quædam Imperialia, & quædam Episcopalia. Apostolica sunt quæ à Pontifice in spiritualibus conceduntur, *cap. ex parte*, *2. eodem*. Imperialia ab Imperatore in temporalibus efficiuntur, *l. sancimus*, *3. C. de diuersis rescriptis*. & Episcopalia, quæ ab Episcopo, vel Vicario emanant, *cap. tua nobis*, *5. de off. vicarij*.

Ex parte materiæ, quædam conceduntur super rebus priuatorum, vel beneficijs, *cap. ad aures*, *5. eodem*; quædam super rebus Ecclesiæ, & negotijs Vniuersitatum, & ista non conceduntur, nisi causa cognita, *cap. 1. de rerum permutat*, quædam ad lites. Rescriptum ad lites dicitur, quando ad petitionem alicuius inferiori committitur cognitio causæ controuersæ, *cap. cum dilecta*, *22. eod.* & semper est strictissimè interpretandum, Fagn. *in cap. olim*, *n. 28. de verbor. significat.* si sint duo, secundum tollit primum, intellige quando in eo fuit facta mentio de primo cum omnibus qualitatibus, Idem *in cap. cæterum*, *n. 1. 14. & 30. eodem*.

Subdiuiditur rescriptum ad lites in subrectitium, obrectitium, & falsum. Subrectitium est, quando tacetur verum. Obrectitium dicitur, quod est verum in se, sed causæ in eo insertæ sunt falsæ, *l. si quis obrepserit*, *29. ff. ad legem cornel. de fal.* Doctores his vocabulis promiscuè vtuntur, nec constituunt differentiam inter obrectitium, & subrectitium, vt probat textus *in l. 1. C. si nuptiæ*, *& rescripta petantur*, Fagn. *in cap. super litteris*, *n. 5. de rescriptis*. Rescriptum falsum est, quod caret rimedio veritatis, *l. cum filius*, *78. §. heres*, *ff. de legatis*, 2. vel dicitur, quod nunquam exiuit de Cancellaria Principis; quando falsitas

ignoratur tribuit iurisdictionem, Fagn. *in cap. super eo*, *n.* 8 *de crim. falsi*, idem est in rescripto subrectitio, si de subrectione oppositum non fuerit. Idem *in cap. ad audientiam*, il secondo, *n.*31. & 38. *de rescriptis*; limitatur, quando illa surrectio est dolosa, quia in totum vitiat rescriptum, Idem *in cap. super litteris à n.* 10 *ad* 58. *hoc tit.*

Ratione causæ formalis, alia sunt generalia, & alia specialia: generalia sunt illa, in quibus continentur generales clausulæ, & specialia diriguntur super certis rebus sine clausula generali, *cap.*1. & *cap. pastoralis*, 14 § *quoniam*, *ead.* inter hæc, speciale tollit generale, dicto *cap. pastoralis*; sin autem vtrumque sit generale vel speciale, non valebit posterius, nisi de primo fecerit mentionem, *cap. veniens*, 19. *de præscript.*

Vlt. ratione finis, vel sunt personalia, & restringuntur ad personam concedentis, vel impersonalia, & dantur indefinitè nulla consideratione personæ habita, imo hæc durant semper, nisi à successore expressè reuocentur, *cap. si gratiosè*, 5. *eodem in* 6.

VIRES. Quæ rescripta siue sint secundum ius, siue præter ius, siue contra ius vim habent constitutionis, *cap.* 1. & 2. *dist.* 19. maximè, quando apparet de mente Principis, cum sint contrarius elicita, Fagn. *in cap. causam*, *n.*5. & 31. *de rescriptis*: limitatur si sint contra ius diuinum, vel publicum, aut rationabilem consuetudinem, quia essent euellenda è tenentibus manibus, *cap. fin. de consuetud.* & Fagn. *in cap. olim*, *n.* 10. *de verbor. significat.* limitatur 2. quando est contra Concilium generale, quia tunc non valet, nisi fuerit specialiter derogatum Concilio, Idem *in cap. nonnulli*, *n.*32. *eod.* & ratio est, quia rescriptum conceditur ob obseruantiam iuris communis, alias transit in priuilegium, Idem *in d. cap. causam*, *n* 6.

GENERA CAVSARVM. In quibus rescriptis legitimè emanatis concurrunt omnia genera causarum, primò causa efficiens, & est Papa in spiritualibus, Imperator in temporalibus, & quicunque alius habens iurisdictionem, Cardin. Hostien. *hoc tit.* § *quis possit*. Causa formalis consistit, vt nomen Principis præponatur, nec non annus incarnationis, & alia de quibus *in cap. ex parte*, 2. & *cap. significauit*, 36. *eodem*. Causa materialis, sunt omnes res corporales, & incorporales de quibus controuersia moueri potest, *cap. quoniam*, 4. *de iudic.* & *cap. capitulum*, 30. *hoc titulo*. Denique causa finalis consistit vt

vt Principis iussio executionem sortiatur in causis in quibus praeesse non potest per eos quibus delegatum est.

EFFECTVS. Effectus rescriptorum potissimi duo sunt, quorum primus est, vt habeat vim constitutionis, & obliget omnes ad quos dirigitur, *cap. si quando, 5. eod.* & secundus, vt libellus Principi porrectus perpetuetur, si ille ad eum rescribat, *l. 1. C. quando libell. Prin. dat. lit. cont. fac.* quorum executores esse constitutos in dignitate, & habitantes in eo loco, quo Actor, & Reus fixa sede commorantur, *Clemen. et si principalis, 2. de rescriptis.*

MODI QVIBVS IMPVGNATVR. Vitia, quae obstant rescriptis sunt plura: & primò suppressio veritatis, vel falsitatis expressio, *cap. in litteris, 39. de rescriptis:* secundò, rasura multarum litterarum, puta lineae in rescripto, Fagn. *in cap. ex conscientia, n. 1. & sequen. de crim. fal.* tertiò, vitium formae eneruat vires rescripti, *cap. eam te, 7. cap. constitutus, 19. & cap. significauit, 36. eodem*; quartò, si falsa in rescripto fuerit latinitas vitiatur, *cap. ad audientiam, 11. cod.* vltimò alijs omissis, quoties impetranti dolus imputari potest, *cap. si autem, 9. & cap. plerumque, 23. eodem.* vt si obtineat beneficium, non facta mentione de beneficio, antea obtento.

De Consuetudine.

TITVLVS V.

Vnde dicatur, quid, & quotuplex sit, quibus indigeat requisitis, quos effectus producat, & in quo differat à statuto, & praescriptione.

ORIGO, ET DEFINITIO. Consuetudo exordium habuit post legem naturalem ex quo homines conuenientes in vnum simul coeperunt habitare, *cap. non est, 2. dist. 6.* & hac de causa dicitur à *con*, & *suetudo*, *con* idem est ac simul, seù communis, & *suetudo* idem est, ac vsus, & ita definitur *est ius non scriptum moribus introductum, & vim legis habet, cap. consuetudo, 5. dist. 1. & cap. diuturni, 6. dist. 12.* dixi, *ius*, loco generis. Dixi *non scriptum*, ad differentiam iuris scripti:

Dixi,

Digitized by Google

Dixi *moribus*, ideſt actuum, nam ex multiplicatis actibus & non ex vno efficitur conſuetudo, Felin. *in cap. cum acceſſiſſent, n. 31. de conſtitut.* Dixi *vim legis*, nam quando eſt legitimè præſcripta vim legis habet, *cap. videtur, 3. ver. antiqua, qui matrim. accuſ. poſſ.* & Fagn. *in cap. vtrum, n. 17. de cognat.*

DIVISIO. Quæ conſuetudo triplex eſt ſecundum legem, præter legem, & contra legem. ſecundum legem diſponit diſpoſita à iure, & tunc tranſgreſſor conſuetudinis puniendus eſt vti tranſgreſſor legis, Fagn. *in cap. irrefragabil. §. cæterum, n. 21. de off. ordin.* præter legem diſponit non diſpoſitum à iure, & hæc cum ſit legitimè præſcripta eſt obligatoria, Idem vbi ſupra.

Denique, conſuetudo contra ius ſubdiuiditur, vel eſt contra ius diuinum, & naturale, & non valet, *cap. veritate, 4. diſt. 8.* Aut eſt contra ius gentium, neque valet, nam ſuo dominio quis abſque cauſa priuari non poteſt, Fagn. *in cap. quæ in eccleſiarum, n. 110. de conſtitut.* Aut eſt contra ius Canonicum & toleratur, quia maius ſcandalum inſurgit ex conſuetudinis reprobatione, Abb. *in dicto cap. fin. n. 9. hoc tit.* verum ſi ſit contra Eccleſiam Romanam eſſe debet centenaria, & quadragenaria contra aliam, Fagn. *in cap. conſuetudines, n. 37. & 39. eod.* in vtroque caſu intellige, quando eſt rationabilis, alias ſi ſit mala dicitur corruptela & amittit nomen conſuetudinis, Idem *in cap. maſſana, n. 15. de elect. & in cap. vtrum, nu. 13. de cognat. ſpirit.* ſi ſit contra libertatem Eccleſiæ, non valet, *cap. eccleſia ſanctæ mariæ, 19. de conſtitut.* & Fagn. *in cap. cum terra, n. 6.* & *in cap. quiſquis, n. 18. de elect.* idem militat, quando eſt præiudicialis Eccleſiæ immunitati, cum ſit impræſcriptibilis, etiam per tempus immemorabile, Fagn. *in cap. inter alia, n. 94. de immunit. eccl.*

Datur alia ſpecies conſuetudinis, quæ eſt communis omnibus prædictis ſpeciebus, & dicitur immemorabilis; ac *eſt illa cuius initij memoria non eſt*, ad quam conficiendam connumerantur anni elapſi vſque ad tempus motæ litis, Fagn. *in cap. conſultationibus, n. 13. de iure patron.* Et immemorabilem habens meliorem titulum de mundo allegare poteſt, cum habeat vim tituli ſeu priuilegij, Idem *in cap. cum apoſtolica, n. 6. de his quæ fiunt à præl. & in cap. cum contingat, n. 6. de foro competen.* limitatur, quando talis conſuetudo eſt à iure reprobata, vel quan-

do est materia in qua non est verisimile, vt Papa aliquem priuilegiauerit, quia tunc etiam si sit immemorabilis non habet vim priuilegij; Fagn. *in cap. consuetudinis*, *n. 51. de consuetud. & in cap. cum venerabilis*, *n. 9. eodem*. insuper, quando lex damnat consuetudinem vti corruptelam, immemorabilis intelligitur sublata, Idem *in cap. quod super*, *n.8. de consanguin. & affin.*

CONDITIONES. Requisita ad inducendam consuetudinem quatuor sunt. primum, vt sit rationabilis, & Religioni conueniens, Idem *in cap. consuetudines*, *n.5. de consuetud.* secundum, vt sit legitimè præscripta, Idem *in cap. vtrum*, *n. 17. de cognat. spirit.* & ad eam inducendam sufficiunt decem anni, Idem *in cap. nos quidam*, *n. 72. de testam.* tertium, vt nitatur in tacito consensu illius qui potest ius condere, Idem *in cap. cum dilectus*, *n.28. de consuetud.* vltimum, vt maior pars Populi ea vtatur, quia tunc est vniuersalis & quamuis sit contraria iuri scripto pro lege est seruanda, Idem *in cap. super inordinata*, *n.32. de praben.*

EFFECTVS. Cum sit legitimè præscripta est apta ad producendum plures effectus, primò de licito facit illicitum, Fagn. *in cap. de eo*, *n.10. de tempor. ordinat.* secundò potest legem tollere, Idem *in cap. ad Apostolicam*, *n. 5. de regular.* tertiò tribuere potest priuatæ personæ iurisdictionem, si sit approbata superioris auctoritate, Idem *in d. cap. cum contingat*, *n. 12. & 13. de foro compet.* quartò territorium assignat, & ampliat iura territorij, Idem *in d. cap. cum contingat*, *n. 3. & 26.* nam in his, quæ sunt iurisdictionis plurimum potest, non autem in his, quæ sunt ordinis, Fagn. *in cap. aqua*, *n. 3. de consecrat. eccl.* quintò facit ius, & præualet auctoritati cuiuscumque Doctoris, Idem *in cap. quanto*, *n. 5. hoc tit. in cap. praterea*, *n. 16. ne prel. vices suas*, sextò potest limitare, augere, & interpretari ius diuinum, Idem *in cap. vtrum*, *n.5. de cognat. spirit.* Vltimò alijs omissis, dat iurisdictionem, Idem *in cap. nullus*, *n.47. & 65. de for. compet.* propter quod dicitur optima legum interpres, Idem *in cap. cum dilectus*, *n.7. de consuet.* & *in cap. cum venisset*, *n.87. de iudic.* quos & alios effectus consuetudo producit quando est rationabilis, alias si sit irrationabilis, vt cum sit nutritiua peccati dicitur corruptela, & esset extirpanda, Fagn. *in cap. explicari*, *n. 41. de obseruat. ieiun. in cap. extirpanda*, *n. 2. de praben. & in cap. quod à pradecessore*, *n. 65. de schismat.*

Denique aduerte, quod longè differunt inter se isti tres ter-

mini, Consuetudo, Statutum, & Præscriptio, quoniam statutum fit ex actibus superioris, Idem *cap. ad audientiam*, *n.13. de cler. non resident.* atque indiget expressis consensus, Idem *in cap. consuetudines*, *n.8. de consuetud.* Consuetudo vero fit ex actibus hominis, & ex tacito consensu, vt supra in iuribus allegatis; nec non consuetudo cōtra ius Canonicum minime permittitur; quia esset ambitiosum & contrarium fini æterno, Abb. Pan. *in cap. fin. n.9. in fin. de consuetud.* statuere vero contra ius Ciuile in non reseruatis Principi permittitur, ratio disparitatis est, quia lex Principis tendit ad bonum publicum, & in vtilitatem priuatorum, vnde possunt laici statuere renunciando illi vtilitati, Abb. *vbi supra, n. 9.* Differt etiam à præscriptione, quia præscriptio indiget iusto titulo, qui non requiritur ad inducendam consuetudinem, & in pluribus alijs capitibus, vt per Fagn. *in cap. venerabili, num. 26. & 28. de censib.* & Hostien. *in sum. hoc tit. n.13.*

De Iure personarum.

TITVLVS VI.

Clerici vnde dicantur, quid sit eorum officium, quæ persona sub hoc nomine comprehendantur, & deinde explicatur ethimologia nominis Laicorum, & Regularium.

SVmma personarum diuisio hæc est, aut sunt clerici aut laici, *cap. duo sunt genera, 12. quæst.1.* additur tertium membrum, & alij Regulares, qui aliquo modo veniunt appellatione clericorum, vt infra.

VNDE DICANTVR, ET QVID SIT EORVM OFFICIVM. Clerici dicuntur à vocabulo græco *Cliros*, quod latine idem est ac *sors*, quia sunt sorte electi, & in Deo habent Regnum, ac in signum afferunt coronam in capite, quæ denotat temporalium rerum depositionem, *cap. clericus, & cap. duo sunt, 12. quæst.1.* meritò eis conuenit se abstinere à sæcularibus negotijs, *cap. fin. de postulan. & toto tit. decretal. ne cler. vel mon.*

QVÆ PERSONÆ APPELLATIONE CLERICORVM VENIANT. Aduerte, hoc nomen Clerici esse generale, & sub se ge-

generalitèr loquendo in materia fauorabili comprehendere cõstitutos indignitate, & in minoribus, secus autem in materia odiosa, vt distinguit Abb. Pann. *cap. omnipotens, n.8. de vita, & honest. cler.* & Fagn. *in cap. non licet, n.6. de præben. in cap. si quis presbyter, n.5. de cler. excommun. & in cap. bona memoriæ, n.8. de postulat. prælat.* imò in materia feudali non solum comprehenduntur Episcopi, verum etiam Clerici Regulares, Idem *in cap. quæ in ecclesiarum, n.91. & 93 de constitut.* limitatur, quando in specie agitur de Clericis Regularibus, quia tunc non veniunt Monachi, neque Moniales, Fagn. *in cap. non amplius, n.8. de institut.* ratio est, quia genus Clericorum habet sub se duas species idest Clericos sæculares, & Religiosos, & vnius appellatione, alter non venit, Idem *in cap. finè, n. 19. de regular.*

LAICORVM ETHIMOLOGIA. Laici dicuntur à verbo græco *laos*, quod latinè Populum significat, & hi liberè commercijs sæcularibus vacant, *cap. duo sunt*, ver. *aliud, 12. quæst. 1.* Hinc est, quod appellatione Populi non veniunt Clerici, & interdicto Populo, non est interdictus Clerus, nisi de eo efficiatur specialis mentio, *cap. si sententia, 16. de senten. excommun. in 6.* verum si lex ciuilis sit lata ad bonum publicum, & communem vtilitatem tam laicorum, quam clerericorum vi directiua Clericos comprehendit, Fagn. *in cap. ecclesia sancta, num.29. de constitut.*

ETHIMOLOGIA. Demum Regulares dicuntur Monachi, & Moniales, alijque certæ Religioni adscripti, & dicti sunt *à regula*, quam profitentur, *tot. tit. de regular.*

Incipimus à Clericis, quia sunt superiores Laicis, & ex Clericorum explicatione intelligimus, qui sint Laici, iuxta illud præceptum, cognito vno de contrarijs, & reliquum cognoscitur, vt in Rubr. *ff. de acquir. vel amitt. possess.*

Clerici enim, quidam sunt in Sacerdotio, quidam in sacris, & quidam in minoribus. Rursus constituti in Sacerdotio, quidam sunt in altiore ordine positi, & quidam in inferiore.

Videamus primum de his Sacerdotibus, qui in altiore gradu positi sunt, priximè de his qui sunt in inferiore, & demum de his qui nec in Sacerdotio, nec in sacris reperiuntur.

De Papa.

Titulus VII.

Papa vnde dicatur, de quo Iure Papatus sit dignitas, à quibus eligatur, quomodo nuncupetur, cur mutet primum nomen, quam potestatem habeat, super quibus illam exercere valeat, & quid sit eius officium.

ETHIMOLOGIA ET ORIGO. Papa dicitur à voce Græca, *Papos*, & latinè idem est, ac *Pater patrum*, Glos. *in proem. clemen. verbo, papa*, quæ dignitas Papatus in personam Diuì Petri est de iure diuino, cui ab eodem Christo data est potestas sub illis verbis. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & tibi dabo Claues Regni Cælorum &c. ex D. Matt. cap.* 16. sed cum Ecclesia opus habuerit, vt eamdem Petri authoritatem diffunderet in Ecclesiæ membra, *cap. ita Dominus*, 7. *dist.* 19. disposuit Dominus, vt decedenti Petro, alius sibi Vicarius, & post eius mortem alius, & alius vsque ad sæculi consummationem succederet, *cap. factus*, 7. *quæst*. 1.

ELECTIO. Successor non fit ab ipsomet Papa antecessore, quia prohibitum est sibi successorem instituere, nè dum iure Canonico, sed etiam iure diuino & naturali, Fagn. *in cap. accepimus, à n.*38. *de pactis*. Verum eligitur à Sacro Collegio Cardinalium, & iuxtà dispositionem iuris communis sufficit, quod duæ tertiæ partes Cardinalium existentium in Conclaui consentiant in aliquem, *cap. licet, de elect. & ibi* Fagn. *n*.3. & *in cap. cum causam, n*.27. *de elect.* quæ electio non indiget alia confirmatione, sed dum eligitur statim confirmatur, statimque plenam habet, & liberam administrationem; ratio est quia confirmatio fieri debet per superiorem, sed Papa in terra nullum habet superiorem, Flamin Paris. *de resignat. benef. lib.*7. *quæst*. 5. *n*. 1. & 2. nihilominus, non incipit Pontificatum exercere de stylo, nisi à die consecrationis, Augustin. Barbos. *in tract. de iure eccles. lib.* 1. *cap.* 1. *n*.18. itaut ante coronationem, & consecrationem non scribit nomen suum, nec Pontificatum in data ponit, sed vtitur dimidia bulla, & appellat se electum, Fagn. *in cap. eam te, n*.13. *de rescript. & in cap. licet de vitanda, n*.13. *de elect.*

NOMINA PONTIFICIS. Nuncupari potest pluribus nominibus,

nibus, sed ante omnia mutat primum nomen, cum antea sit purus homo & postea gerat vices Dei, & terrenæ cogitationes sunt calcandæ, quæ mutatio est de iure positiuo, vt ait Duard. *in bull. cœn. lib.1. cap.4. quæst. 5.* & Barbos. *vbi supra cap.1. n.114.* ac quando se ipsum Papa nominare solet, non vocatur Dominus, sed seruus seruorum Dei, *cap. relatum, 37. in fin. de senten. excom.* hoc est, vt humilior omnibus creaturis ostendatur; ab alijs verò vocari potest Sanctissimus, seu Beatissimus, quia talis præsumitur qui alios Sanctos facit, & propterea illum adoramus, *cap.1. dist.40.* vel vocatur Summus Pontifex, idest Maximus Sacerdos, eo quod efficit Sacerdotes & Leuitas, ipseque officia & ecclesiasticos ordines distribuit, August. Barbos. *de off. & potest. episcopi par. 1. tit. 1. cap. 2.* Aut dicitur Vicarius Christi, quia à Christo Papatus fuit institutus, *cap. quanto, 3.* & *cap. liceat, 4. de translat. episc.* vel appellatur Episcopus totius orbis, quia habet pro Diœcesi totum orbem, Felin. *in cap. gratiæ, n.2. de off. ordinar.* ideòque concurrit cum omnibus ordinarijs, Gloss. *in cap falicis, 5. §. fin. ver. priuata, de pœnis in 6.* ac etiam nuncupatur. Archiepiscopus vrbis Romæ, & Episcopus Romanæ Ecclesiæ, Fagn. *in cap. licet,* (il secondo) *n.29. de foro competen.* Hinc est Episcopos, quo ad potestate[illegible]inis esse coęquales Papæ, quia non datur altior ordo Ep[illegible]atu, Idem *in cap. ad hæc, n.20. de off. Archid.* & *in cap. perniciosam, n. 33. de off. ordinar.* alijsque nominibus nuncupari potest de quibus latè habetur per August. Barbos. *de iur. eccles. lib.1. cap.2. n.20. &* Azor *institut. moral. par.2. lib.5. cap.43. per tot.* qui refert omnia nomina Pontificum vsque ad Clementem, VIII.

PAPÆ POTESTAS. Aduerte, quod Papa duplicem habet potestatem ordinariam, & absolutam; potestas ordinaria dicitur ea, qua Princeps vtitur secundum leges humanas, potestas absoluta est arbitrij plenitudo nulli necessitati subiecta, nulliusque publici iuris limitata, itaut facta mentione de hac potestate, nulla exceptio obijci potest, nec dici, cur ita facis? Abb. Pan. *in cap. ad hæc, n.7. de rescriptis.*

Hinc est, quod sententia Papæ præualet sententiæ totius mundi, Fagn. *in cap. significasti, n.48. de elect.* Secundò, non astringitur præceptis Petri & Pauli, sed Dei, Idem *in cap. super eo, n.16. & 17. de bigam.*

Tertiò, omnia potest suprà ius, contrà ius, & extrà ius,

Idem *in cap. consultationibus*, *num.25. de cler. ægrotan.*

Quartò facit ius de eo, quod non est ius, & naturam rei immutare potest, Idem *in cap. cum pridem*, *n.27 de pactis*.

Quintò commutare potest pias dispositiones inter viuos, & in vltima voluntate, Idem *in cap. perniciosam*, *n. 67. de offic. ordinar.* & *in cap. nos quidam*, *n.35. de testamen.*

Vltimò alijs omissis, non ligatur vi compulsiua constitutionibus prædecessorum, Idem *in cap. omnis*, *nu. 25. de pœniten. & remiss.* quia Papa habet cœleste arbitrium, Idem *in cap. quanto*, *n.64 de translat. episcop.* circà Sacramenta, & ea, quæ sunt fidei, quid possit Romanus Pontifex, vide Fagn. *in cap. firmiter*, *n.38. de sum. trin. & fid. cathol. in cap. venerabili*, *n.11 de testib. & in cap. significasti*, *n.13. de elect.*

SVPER QVIBVS. Aduerte, quod Papa non solum super Christianos iurisdictionem habet, verum etiam de iure super Infideles, licet non de facto, Fagn. *in cap. canonum*, *n.60. & 66. de constitut.* ideoque omnes Prælati Ecclesiarum, & Principes sæculares, ac omnes fideles Papæ parere tenentur, *cap. ego N. 4. & Clem.1. de iure iur.*

OFFICIVM Officium verò Papæ consistit in habendo curam vigilantiam & sollicitudinem o[illegible]um Ecclesiarum, & Populi Christiani in vniuerso orbe Fag[illegible]ap. *ex parte*, *n.13. de cler. non resident.* atque in extirpandas omnes perniciosas consuetudines, Idem *in cap. consuetudines*, *n.38. de consuetud.*

De Cardinalibus.

Titulus VIII.

Cardinales vnde dicantur, de quo iure originem ceperint, quotuplex sit illorum ordo, quid sit eorum officium, quibus præcedant, & quid facere possint sede vacante.

ETHIMOLOGIA ET ORIGO. Cardinales dicti sunt à *Cardine*, quasi Cardines Romanæ Ecclesiæ, seu quasi poli & vertices mundi, quia seruiunt Sedi Apostolicæ, quæ est axis, & cardo aliarum Ecclesiarum, Glos. *in extrauag. execrabilis*, *ver. cardinalibus*, *de præben.* Qui gradus Cardinalium est iuris diuini, nam

nam ſicut Chriſtus habuit Apoſtolos, & Petrus coapoſtolos Presbyteros, & Diaconos fratres, & Aſſeſſores, ita & ipſe Summus Pontifex, tamquam Chriſti Vicarius habet Epiſcopos, Presbyteros & Miniſtros, tamquam adiutores, & diuina inſtitutione his eccleſiaſtica Hierarchia eſt inſtituta, vt per Concil. Trid. *ſeſſ. 23. can. 6. & Eugen. IV. in ſua conſtitut. 15. apud Cherubinum*, tum quia legitur *in* Deuteronom 17. *ſi difficile, & ambiguum apud te iudicium eſſe proſpexeris, venies ad Sacerdotes leuitici generis, & facies quodcumque dixerint, qui præſunt loco, quem elegerit Dominus*, quæ verba Innocen. III. accomodat *in cap. per venerabilem*, 13. *qui fil. ſint legit.* ad Romanum Pontificem, & Cardinales, quia Sacerdotes leuitici generis typum & figuram Cardinalium tenuiſſe probatur, igitur Cardinales videntur habere originem figuraliter ab Apoſtolis Chriſti, Fagn *in cap. ex geſtis, n. 12. de cler. non reſiden.* Azor. *inſt. moral. par. 2. lib. 4. cap. 1. quæſ. 3.* Quod nomen Cardinalis, Silueſter I. cæpit rarò Epiſcopis tribuere, & frequentius Gregorius I. vt per Azor. *vbi ſupra cap. 1. quæſ. 4.* hac de cauſa ſolum creantur à Romano Pontifice, qui olim poterat eorum numerum augere, & minuere ſuo arbitrio, hodie verò creditur nunquam habere maiorem numerum Diſcipulorum Domini, qui fuit 70. verum ſuper hoc vos remitto ad id quod ait Sa: mem: Sixtus V. *in conſtitut.* 50. & de requiſitis, quæ concurrere debent in eligendis ad Cardinalatus dignitatem tractat Concil. Triden. *ſeſſ. 24. de reform. cap. 20. &* Barboſ. *vbi ſupra, lib. 1. cap. 3. n. 12.*

QVOTVPLEX. Ordo Cardinalium eſt tripartitus in Epiſcopos, Presbyteros, & Diaconos, vt per Flamin. Pariſ. *de reſignat. benef. lib. 7. quæſt. 12. n. 1.* nam ad inſtar cœleſtis Hierarchiæ in hac Eccleſia tres conſtituuntur ordines aſſiſtentes Papæ.

Cardinales Epiſcopi *dicuntur illi, qui habent in Curia Romana reſidentiam, retinent Epiſcopatum in commendam, & non in titulum*, Fagn *in cap. bonæ memoriæ, n. 23. & 38. de poſtulat. prælat.* Dixi *non in titulum*, quia illi de præcepto diuino reſidere tenentur in ſuis Epiſcopatibus, vt per eumdem Fagn. *ibidem, n. 23.*

Cardinales Presbyteri in ſuis titulis, & Diaconi in ſuis Diaconijs, & in Cappellis ſubiectis habent Ius Epiſcopale, quò ad iuriſdictionalia, non autem quo ad Epiſcopalia, niſi ſint Epiſco-


BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

scopalia, nisi sint Episcopi, sicque habent ius fulminandi censuras, & alia, vt per Fagn. *in cap. his quæ, n.1. & seq. de maior. & obedien.* Azor. *par.2. lib.4. cap.3. per tot.*

MVNVS. Officium Cardinalium est assistere Romano Pontifici, illi consulere, & adiuuare in Sacerdotali officio, & in Sædis Apostolicæ negocijs, Idem *in cap. ex gestis, n.19. de cler. non resident.* & quia habent alas ligatas sicut Episcopi non possunt recedere à Curia sine licentia Papæ, Idem *in cap. bonæ memoriæ, n. 18. de postul. prælat. & in cap. ne pro dilatione, n. 36. de pœniten. & remiss.* qui Papa est speciale caput Cardinalium, & ipsi sunt specialia membra Pontificis, atque stant sub immediata ipsius iurisdictione, ita Anchar. *cons. 295. n.7. vers. probatur*, Barbos. *d. lib.1. cap.5. nu.53.* & Fagn. in dicto *cap. ne pro dilatione, n.8. de pœniten. & remiss.*

PRÆEMINENTIA. Nota, quod nulla est maior dignitas Cardinalatu in Ecclesia Dei, & in Cardinalibus residet tota Maiestas Christianæ Reipublicæ, Idem *in cap. quod nonnullis, n. 12. & 21. de priuilegijs*, vnde Cardinalis non Episcopus est maior Episcopo dignitate & officio, non autem ordine, quia non datur altior ordo Episcopatu, Idem *in cap. requisiuit, n.65. & 67. de ord. ab Episcopo, & in cap. ne pro dilatione, n.40. de pœniten. & remiss.*

POTESTAS. Vltimò aduerte, Collegium Cardinalium Sede Apostolica vacante exercere non posse, quæ pertinent ad Pontificis potestatem, & iurisdictionem dũ viuit, nisi vrgeat necessitas, Fagn. *in cap. cum olim, n. 3. de maior. & obedien.* ratio est, quia mortuo Papa plenitudo potestatis est penes Romanam Ecclesiam, Barbos. *de Iur. Eccl. lib.1. cap.5. num.91.* & in hoc Collegium Cardinalium est deterioris conditionis, quam sint inferiora Collegia in quibus transit iurisdictio Episcopi sede vacante, Idem *in d. cap. cum olim, n.55. de maiorit. & obedien.*

De Legatis.

Titulus IX.

Legati quid, & quotuplices sint, in quid consistat legationis munus & authoritas, & quibus modis expiret.

DE-

DEFINITIO LEGATIONIS. Papa mittit Legatos, qui ad instar Delegatorum vicem suam in his gerunt, vnde legatio ita definitur, *est ardui negotij, quod Pontificis autboritatem desiderat cuidam Clerico facta commissio*, *cap. quod translationem*, 4. *de offic. legat.*

LEGATORVM SPECIES. Quæ vox, *legati*, generalis est, & comprehendit plures species Legatorum, nempè Legatos à latere, Legatos natos, Legatos missos, Legatos Nuncios, & non Iudices, & Legatos natos & Iudices. Legati à latere dicuntur Cardinales, quia sunt pars corporis Papæ, Glos. *in cap.* 1. *ver. legationes, de off. leg. & cap. si quis*, 2. *quæst.* 6. Legati nati sunt, qui habent hoc officium dignitati annexum, & fiunt ipso iure Legati, vt est Archiepiscopus Cantuariensis, de quo *in in cap.* 1. *de off. leg.* & morte Papæ eorum potestas non expirat, *cap. legatos*, 2. *hoc tit. in* 6. Legati missi appellantur Nuncij, qui à Sede Apostolica specialitèr mittuntur, vt sunt Prælati, & viri experti, exemplum est in Nuncijs Hispaniæ, Franciæ, & Neapolis, Flamin. Paris. *de resignat. benef. lib.* 7. *quæst.* 13. *nu.* 3. Legati Nuncij, & non Iudices sunt illi, quos sæpe mittit pro aliqua, vt vulgo dicitur Imbasciata, *cap. nobilissimus*, 3, *dist.* 97. Denique Legati Iudices dicuntur illi, quos Papa facit ordinarios in certa Prouincia, & de eorum munere habetur *in cap. legatos*, 2. *de off. leg. in* 6.

Hinc est, quod appellatione Legati in genere comprehenditur, ne dum Legatus à latere, verum etiam Legatus natus, & missus, Azor. *institut. moral. par.* 2. *lib.* 5. *cap.* 27. *quæs.* 3. & Augustin. Barbos. *de Iure Ecclesf. lib.* 1. *de priuil. cler. cap.* 39. § 4 *n.* 98. & 99. secus est quando fit mentio de aliqua specie Legatorum, quia concessiones factæ Cardinalibus Legatis à latere non sunt extendendæ ad alios Legatos de latere non Cardinales, vt sunt Legati, seu Nuncij Hispaniæ, quibus aliquando conceditur facultas Legati à latere. Nota, quod Legati à latere in octo casibus cæteros Legatos antecedunt.

LEGATORVM A LATERE FACVLTAS ET PRÆEMINENTIA. Primò, legatus à latere potest absoluere excommunicatos pro violenta iniectione manuum in Clericos, quod alijs denegatum est, *cap. quod translationem*, 4. *cap. excommunicatis*, 9. *ver. mittitur, de off. leg. & cap. ad eminentiam*, 2. *de senten. excommun.*

Se-

Secundò conferre poteſt beneficia exiſtentia in Prouincia ſibi directa, *cap.1. & cap. praeſenti*, *3. de off. legat. in 6.*

Tertiò poteſt reſeruare beneficia quorum conferendorum ius, & poteſtatem habet, *cap. deliberatione*, *4. de off. legat. in 6.* & Fagn. *in cap. dilectus*, *n.12. de praeben.*

Quartò poteſt vnire beneficia ſuae legationis, abſque tamen praeiudicio ſui Epiſcopi, Abb. Panorm. *in cap. ſicut vnire*, *n. 5. de exceſſ. praelat.* & Fagn. *in cap. cum olim*, *n. 29. de maiorit. & obedien.*

Quintò poteſt diſpenſare in ſua Prouincia quantum Epiſcopus in ſua Diœceſi, Auguſt. Barb. *de iure eccleſ. hoc, tit. cap. 5. n. 72.*

Sextò habet facultatem confirmandi electiones, quarum confirmatio ad Summum Pontificem ſpectat, quod alijs Legatis non licet, niſi ex ſpeciali permiſſione, *cap. ſi Abbatem*, *36. §. huiuſmodo*, *de elect. in 6.*

Septimò in cauſis iudicialibus poteſt illas committere, & ille Delegatus poteſt iuriſdictionem exercere, etiam ante quam ſit ingreſſus in Prouinciam ſibi delegatam. *cap. nouit.*, *7. & ibi Gloſ. de off. leg.* quia habet iuriſdictionem ordinariam, quae re integra, morte Papae non expirat, *cap. 2. eod.* & Fagn. *in cap. cum olim*, *n. 67. de maiorit. & obedien.* Hoc non procedit in Vicario, etenim per mortem Epiſcopi expirat ſua iuriſdictio nihil obſtante quod ſit ordinaria, & diſparitas eſt, quia Vicarius illam accipit ab Epiſcopo, & eſt acceſſoria iuriſdictioni Epiſcopi, ideoque extinguitur extincto principali, quod non eſt in Legato, qui illam accipit à canone, Meroll. *lib. 3 diſput. 7 de iuriſdict. dubit. 28. n. 296.*

Vltimò poteſt ſtatuta facere, quae durent etiam finita legatione, *cap. fin. de off. leg.* & cognoſcere poteſt cauſas exemptorum, Gloſ. *in cap. quod tranſlationem*, *4. ver. reſeruata, eodem.* atque poteſt indulgentias concedere in Prouincia ſibi commiſſa, & durãt etiam legatione finita, Gloſ. *in cap. vlt. ver. ſtatuta*, *de off. legat.* & Fagn. *in cap. accedentibus*, *n. 11. de exceſſ. Praelat.*

Inſuper Legato de latere aſſerenti ſe habere mandatum Principis ſine programmate legationis creditur in his, quae directè non concernunt praeiudicium tertij, cœteris vero Legatis ad Curiam Romanam venientibus non creditur ſine litteris, Fagn. *in cap. cum in iure*, *n. 48. & 50. de off. delegat.* Circà reliqua, Legati

gati

gati à latere, & non à latere habent æqualem potestatem, exceptis casibus, quos tradit Glos. *in cap.* 1. *ver. legati*, *de off. leg. in 6.* ac exceptis his, quæ Papa specialitèr sibi reseruauit, vel si alitèr disponatur per Sacr. Concil. Triden. *vt in sess.* 24. *de reform. cap.* 20. §. *legati quoque*.

POTESTAS. Legati nati non habent, nisi vnum semestre ad conferendum beneficia ad se deuoluta propter negligentiam Suffraganeorum, Fagn. *in cap. nulla*, *n.*38. *de conceſſ. praben.* & in cœteris casibus indigent speciali indulto, *cap.* 1. *de off. leg in 6.*

FACVLTAS. Legati missi, simpliciter prohibentur conferre beneficia sine speciali indulto, limitatur in Nuncio Hispaniæ, qui ferè semper mittitur cum facultate Legati à latere, & datur ei facultas illa conferendi beneficia, quæ non excedant valorem ducatorum, 24. Nicol. Gar. *de beneficijs*, *par.*5.*cap.*3. §.1. *n.* 83. Auguſt. Barbos. *vbi supra*, *cap.*5. *num.*53. qui Nuncij Apostolici etiam habent ius visitandi, & exigendi procurationem, Fagn. *in cap. procurationes*, *n.* 5. *de censibus*, ac eorumdem officiales, & familiares existentes in seruitio Nuncij vel Legati gaudent priuilegio fori, possunt & debent esse armati, & eos qui illis iniuriam, vel damnum inferunt Legatus excommunicare potest, Auguſt. Barbos. *de iur. eccles. lib* 1.*cap.*39. §.4. *à n.*95. *vsque ad* 99.

QVIBVS MODIS EXPIRET. Aduerte, quod legatio finitur quinque modis; primò, finito tempore constituto; secundò, morte ipsius legati; tertiò, quando Papa Legatum reuocat; quartò, quando Legatus Prouinciam sibi demandatam egreditur animo, & voluntate nunquam redeundi ad legationem; vltimò, per mortem Regis, vt est si in litteris Nuncij fuit expressum nomen proprium illius Regis, secus si fuerit expressum nomen appellatiuum, vt si dictum fuit quod fungatur munere Nuncij apud Regem Hispaniarum, Glos. *in cap. præsenti*, 3. *ver. finitur*, *de off. legati in* 6. Azor. *institut. moral. par.*2. *lib.*5. *cap.*32. *quæst.* 10. & Meroll. *vbi supra disput.* 4. *cap.* 6. *difficul.* 7. *per tot.*

De Patriarchis.

Titulus X.

Patriarcha unde dicatur, quid sit, quibus praecedat, quam potestatem habeat, super quibus, & quando.

VNDE DICATVR ET QVID SIT. Patriarcha, est vox græca, & latinè appellatur *Princeps patrum*, *cap. cleros, ver. patriarcha*, *dist.* 21. quæ patriarchalis dignitas primò, & immediatè pendet ex Summorum Pontificum, & Conciliorum auctoritate, *cap. priuilegia*, 25. *quæst.* 2. quæ est maior quacumque mundana dignitate, sicque sunt maiores cœteris Prælatis non solum dignitate, verum etiam potestate & iurisdictione, *cap. antiqua*, 23. *de priuilegijs*, *cap. exigit*, 2. *& cap. fælicis*, 3. *de censibus*, *in* 6. imò antiquitus sedebant immediatè post Papam ante Cardinales, sed hodie euanuit, quia dignitas Cardinalatus in dies crescit, & Patriarchatus decrescit, & hoc aduenit postquam quatuor Sedes maiores Patriarchales sunt in manibus infidelium, Gonzal. *ad regul.* 8. *cancell.* Glos. 41. *nu.* 23. Abb. *in dicto cap. antiqua, n.* 6. & Barbos. *de iure Eccles. lib.* 1. *cap* 6. *n.* 25. firmant, quod hodie Cardinales de consuetudine & iuris ratione præsunt Patriarchis ratione officij, cum sint vnum corpus cum Romano Pontifice.

SPECIES PATRIARCHARVM. Aduerte, quod alij sunt Patriarchæ maiores, alij minores, maiores sunt quasi quatuor flumina Paradisi repræsentantes quatuor Euangelistas, & appellantur Patriarchæ, quia summo honore funguntur, Lancell. *institut. canon. lib.* 1. *tit.* 5. *in prin.* quorum primus est Constantinopolitanus, secundus Alexandrinus, tertius Antiochenus, & quartus Hierosolymitanus, *cap. renouantes*, 6. *& cap. diffinimus*, 7. *dist.* 22. itaut vbicumque fit mentio Patriarcharum in genere, solum modò veniunt quatuor supradicti præcipui Patriarchæ, August. Barb. *tract. var. de appellatione verborum iuris, appell.* 184. sicque priuilegia, quæ ex iure concessa reperiuntur Patriarchis, illis tantum quatuor competunt, & non alijs, *cap. graue*, 29. *ver. aut proprij*, *de præben.* & Barbos. *de off.*

off. & potest. episcopi, *par*.1. *cap*.1. *n*.37. quorum sedes cælesti beneficio originem habuerunt, *cap. sacrosancta*, 2. §. *prima*, *dist*. 22. *cap*.2. *dist*.99.

PRÆEMINENTIA. Patriarcha Constantinopolitanus præfertur inter cœteros quatuor, etiam si sit posteriùs ordinatus, Fagn. *in cap. cum certum*, *n*.19. *de maior. & obedien.* cui fuere subiectæ omnes Prouinciæ Græciæ. Alexandrino parebant sex Ægypti Prouinciæ. Antiocheno altera pars Asiæ subiecta erat, & Hierosolymitano parebat tota Palestina, Azor. *inst. moral. par*. 2. *lib*.3. *cap*. 35. *quest*.1. & Barbos. *d. par*. 1. *tit*. 3. *cap*. 3. 4. & 5. quilibet Patriarcha in suis Prouincijs constituebat Episcopos, & alios dignitate ecclesiastica præditos, itaut nunc etiam Patriarcha quamuis Schismaticus illos constituit vel confirmat, Azor. *d. cap*.35. *quæsit*.5.

Patriarchæ minores sunt, qui hoc nomen hodie retinent, vel indulgentia Romani Pontificis, vel inueterata consuetudine olim vendicarunt, vt sunt Patriarcha Indiarum, vel Ethyopiæ, Glos. *in cap. cleros*, *ver. archiepiscopis*, *distin*. 21. & de his pleno calamo scribit, Augustinus Barbos. *de iure ecclesiastico*, *lib*.1. *cap*.6. *n*. 40. & idem *de off. & potest. episcopi par*.1. *tit*.3. *cap*.7.

PRIMATES. Vltra prædictos Patriarchas minores adsunt Primates, & vnusquisque respectu suæ Prouinciæ, vbi est constitutus dicitur Primas, vt Hiberniæ Primas est Armacanus Archiepiscopus, & sic de singulis, Augus. Barb. *de iure eccles. hoc tit. cap*.7. *n*.49. Sed vnum aduerte, quod omnis dignitas, atque potestas, quam habent Patriarchæ simul, habet ipse solus Dominus Papa, quinimò sicut radij ad Solem erga Papam se habent, *cap. loquitur*, 24. *quæst*.1.

PATRIARCHARVM FACVLTAS. Quilibet Patriarcha duplici præditus est potestate, videlicet iurisdictionis & ordinis, hæc datur per consecrationem, illa verò extrà consecrationem confertur, vnde aut ille, qui eligitur Patriarcha fuerat antea Episcopus consecratus, & nulla est consecratio necessaria, sed tantummodo sola collatio facta à Romano Pontifice; aut non fuerat Episcopus, & tunc præter electionem, & confirmationem necessaria est consecratio, ac habent iurisdictionem ordinariam super omnes Episcopos, & Metropolitanos Prouinciæ & Regionis vbi eorum extenditur iurisdictio, DD. *in cap. antiqua*, 23. *de priuilegijs*, & Gonzal. *ad regul*.8. *canc ll. glos*.41. *num*.26.

gaudent pluribus priuilegijs, vt in iuribus allegatis, sed non per hoc eximuntur ab onere residentiæ, Concil. Trid. *seß. 6. de reformat. cap. 1. & seß. 23. cap. 1.*

De Archiepiscopis.

Titulus XI.

Archiepiscopus vnde dicatur, à quo creetur, quam potestatem acquirat, quando & super quibus illam exercere valeat.

VNDE DICATVR ET QVID SIT. Archiepiscopus dictus est, quasi *Princeps Episcoporum*, cum sit persona magis priuilegiata, & præcellit omnes Episcopos honore, respectu exercitij, & iurisdictionis, *cap. seruatis, & cap. igitur, 25. quæst. 2.* respectu vero ordinis, & spiritualis potestatis vnus tantum est, *cap. 1. dist. 99. & cap. nouationus, 7. quæst. 1.* hodie idem est Archiepiscopus, ac Metropolitanus, *cap. referente, 7. de præben.* potest tamen dari casus, quod Archiepiscopus non sit Metropolitanus, veluti si nullum habuerit Suffraganeum, & in hoc differunt à Primate, quia Primas Archiepiscopis, & Episcopis præest, vt per Azor. *institut. moral. par. 2. lib. 3. cap. 33.* Igitur Archiepiscopi dicuntur vnius Prouinciæ Principes & Præsules, Io: Paul. Lancell. *institut. can. lib. 1. tit. de episcopis, §. archiepiscopi*, & tota illa Prouincia est ad iurisdictionem Metropolitanæ Ecclesiæ, *cap. suffraganei, 11. de elect.* iuncto *cap. 1. de foro competen.*

A QVO CREENTVR. Qui Archiepiscopi creantur à Romano Pontifice, & vel ille qui creatur antea non erat Episcopus, & tunc ante receptionem pallij post consecrationem exercere potest potestatem iurisdictionis, non autem Pontificalia, Fagn. *in cap. quanto, n. 37. de consuet.* Vel ille antea erat Episcopus consecratus, & ante receptionem pallij, non potest ea peragere, quæ sunt potestatis ordinis, vel iurisdictionis, nec exercere Pontificalia, quamuis sit consecratus Episcopus, quia non tamquam Episcopus, sed vt Archiepiscopus facere videretur, *cap. quod sicut, 28. §. penul. de elect.* & Barbos. *de iure eccles. lib. 1. cap. 7. n. 112. & 113.*

PO-

POTESTAS, QVOMODO, ET SVPER QVIBVS. Igitur Archiepiſcopus poſt receptionem pallij habet poteſtatem ordinis & iuriſdictionis, quas cum hac differentia exercere valet in ſubditos ſuæ Diœceſis, & Suffraganeorum, in ſubditos ſuæ Diœceſis habet omnia iura poteſtatem, & obligationes, quas obtinent cœteri Epiſcopi in ſuis Diœceſibus, de quorum facultatibus in ſequenti titulo. Verum in Suffraganeis, & eorum Diœceſibus tantum in caſibus expreſſis in iure ſuas poteſtates exercere valet, Fagn. *in cap. ſicut vnire, n. 8. de exceſſibus prælat.* & Iul. Chartar. *in deciſ. crim. deciſ. 53. n. 1. & 8.* vnde poteſt iniungere Suffraganeis, vt ſeruare faciant, quod ſeruatur in Metropolitana Eccleſia, *cap. dilectus, 30. de ſimonia*, nec non poteſt eos ſingulis triennijs conuocare ad Synodum Prouincialem faciendam, Concil. Trid. *ſeſſ. 24. de reform. cap. 2.* poteſt eos compellere ad reſidentiam, Triden. *ſeſſ. 23. de reform. cap. 1.* atque ad faciendum id quod debent eis interdicendo, eoſque ſuſpendendo, Gloſ. *in cap. conquæſtus, 9. quæſt. 3. cap. 1. de off. ordin. in 6.* & Fagn. *in cap. ex tuæ, n. 16. de cler. non reſident.* Denique eſt Iudex ſuorum Suffraganeorum iu ciuilibus cauſis tantum, Abb. Panor. *in cap. paſtoralis, n. 2. de off. ordin.* non autem in criminalibus, quia à ſolo Pontifice ſunt terminandæ illæ cauſæ, Concil. Trident. *ſeſſ. 13. de reform. cap. 6.* Auguſt. Barboſ. *de iure eccleſiaſtico, lib. 1. cap. 7. à n. 12.* & Idem *de off. & poteſt. epiſcopi, par. 1. tit. 4. n. 20. & ſequen.* verum de iniuria ſibi illata, eius familiæ, vel Nuntijs irrogata, cognoſcere poteſt per ſeipſum, Idem Chart. *in deciſ. crim. deciſ. 96. n. 28.*

At in ſubditis ſuorum Suffraganeorum iuriſdictio Archiepiſcopi eſt reſtricta ad cauſas appellationum, *cap. paſtoralis, 11. & cap. duo ſimul, 9. de off. ordinar.* in prima inſtantia enim prætextu cuiuſcumque negligentiæ iuriſdictionem non habent, *cap. 1. de off. legat. & cap. nullus primas, 9. quæſt. 3.*

Limitatur, quando habetur recurſus ad Archiepiſcopum propter negligentiam, non per viam ſimplicis quærelæ, ſed per viam appellationis, & hoc auctoritate generalis remedij appellationis, ne læſa reddatur iuſtitia, Fagn. *in cap. ſignificaſti, n. 36. de foro competenti*, & Auguſt. Barboſ. *de off. & poteſt. epiſcopi par. 3. alleg. t. 125. n. 14.* cæteraqne ſpectantia ad poteſtatem iuriſdictionis, & ordinis infrà ſuis locis dicam.

De

De Episcopis.

Tit. XII.

Episcopi nomen quid significet, de quo Iure sit introducta Episcopalis dignitas, quid sit eius officium, à quo efficiatur, quam potestatem acquirat, quando, super quibus illam exerceat, & quibus priuilegijs gaudeat.

QVID REI ET PRÆEMINENTIA. Episcopi nomen est vox græca, & latinæ dupliciter sumitur, vel prout est nomen dignitatis, vel prout est nomen officij; primo modo sumptum dicitur suprema dignitas, & suprà cœteros habet præeminentiam, & non solum est dignitas, verum etiam culmen dignitatum, *cap. penul. de præben.* quapropter Papa se Episcopum appellat, & cæteros Episcopos vocat fratres, quasi sibi æquales, *cap. quam grauis, 6. de crim. fal.* ac exordium habuit, post aduentum Christi, vt per Fagn. *in cap. episcopalia, n. 4. de priuil.* vnde Ecclesia præcipit omnibus fidelibus, vt Episcopos suos diligant, eisque obedientiam exhibeant, & inobediens etiam si sit Princeps pronunciatur infamis, & est reiiciendus à liminibus Ecclesiæ, *cap. si autem, 11. quæst. 3. cap. omnes, 4. de maiorit. & obedien.; & cap. episcopus, 10. dist. 95.*

Insuper in materia fauorabili appellatione dignitatis, venit Episcopalis dignitas, non autem in materia odiosa, *cap. dilectus, 12. de præben.* & Glos. *in cap. inquisitores, 16. de hæreticis in 6.* ideoque sub generali interdicto, vel suspensione Episcopi non ligantur, nisi efficiatur specialis mentio, *cap. quia periculosum, 4. de senten. excomm. in 6.*

MVNVS. Secundo modo sumptum, provt est nomen officij, dicitur speculator, quia habet munus speculandi vitam, & mores sibi commissi gregis, *cap. cleros, 1. distin. 21.* hinc est, quod officium Episcopi in duobus præcipuè consistit, primò in cultu diuino, & Christiana religione augenda, & secundò in pascendis, ac regendis ouibus sibi commissis, & eas in æternæ salutis locum conducendis, August. Barbos. *de offic. & potest. episcopi, par. 2. tit. 1. n. 3.*

A QVO, ET QVANDO. Ad quam dignitatem nemo promo-

mouetur, nisi à Romano Pontifice, *cap. omnes*, 1. *dist.* 22. & antea indiget pluribus requisitis, primo vt sit præditus eisdem qualitatibus, quæ in simplici presbytero exiguntur; secundò, vt habeat ætatem annorum triginta completorum, *cap. cum in cunctis*, 7. *de elect.* tertio, vt ante sex menses sit in omnibus sacris initiatus, *cap. à multis* 9. *de ætat. & qualit.* quarto, vt sit Doctor, vel saltem publico alicuius Academiæ testimonio idoneus repertus ad docendum, Trid. *sess.* 22. *de reform. cap.* 2. vltimò. alijs omissis, vt sit parentibus catholicis creatus, vt per Azor *institut. moral. par.* 2. *lib.* 6. *cap.* 6. *quæsit. p.*, August. Barb. *de iure eccles. lib.* 1. *cap.* 8. *n.* 105. & Idem, *de officio & potest. Episcopi, par.* 1. *tit.* 1. *cap.* 5. *num.* 40. qui Episcopus cum sit legitimè promotus retinet ea, qua sunt Ordinis, Iurisdictionis, & simplicis potestatis, seu dignitatis, Fagn. *in cap. dilectus*, *num.* 4. *de off. iud ordinar.*

POTESTAS ORDINIS ratione ordinis (quã potestatẽ consequitur per consecrationẽ) licet Episcopo Chrisma conficere, Baptizatorum frontes chrismate signare, Basilicas consecrare, Altaria in Ecclesia erigere & consecrare ordines conferre subditit Diœcesanis, nempè subditis ratione originis, vel domicilij, aut beneficij, iuxta textum, in *cap. cum nullus*, 3. *de tempor. ordinat. in* 6. *& ibi Fagn. num.* 7. *& in cap. cum contingat*, *n.* 30. *de ætat. et qualit. et* August. Barbos. *de officio & potest. Episcopi, allegat.* 3. 4. *&* 27. ac etiam rationes familiaritatis, ex S. C. Triden. *sess.* 23. *cap.* 9.

POTESTAS IVRISDICTIONIS. Ratione iurisdictionis (quã potestatem consequitur per electionem) Episcopus plura facere potest, sed quia iurisdictio duplex est ordinaria, & delegata. primò de ordinaria tractatur, per quam Episcopus vti ordinarius habet sub se omnes, & singulas personas suæ Diœcesis in foro animæ, in foro tamen exteriori distingue, in Ecclesiasticis, quo ad omnia pœnarum genera, & sic in sua Diœcesi dicitur habere merum & mixtum imperium, Fagn. *in cap. ecclesia, num.* 31. *de constitut. in cap. cum contingat*, *num.* 23. *de for. competen.* & in *cap. perniciosam*, *n.* 25. *de off. iud. ordin.* in laicis vero, tantum quoad causas spirituales & delicta ecclesiastica, & in pœnis, ac censuris Ecclesiasticis, Fagn. *in cap. peruenit*, *n.* 10. *de adulterijs &* Chartar. *decis. crim. decis.* 20. *n.* 146. ac etiam ad capturam aliquandp Episcopus procedere potest, Fagn. ibidem

dem, num. 25. secundo de potestate ordinaria retinet sub suo regimine omnes Ecclesias & loca pia, nisi sint exempta, & omnia iura Ecclesiarum, & bona Ecclesiastica, *cap. regenda*, 10. *q.* 1. *et cap. nullus omnino*, 16. *quaest.* 7. tertiò supplere potest negligentiam, quandoque Capituli, Trid. *sess.* 24. *de reform. cap.* 16. quartò potest dispensare in ijs, quæ ordinari prohibentur propter impedimentum canonicum proueniēs ex quocumque delicto occulto, Trid. *sess.* 24. *de reform. cap.* 6. quintò dispensare potest cum promotis per saltum, si non ministrauerint in ordine suscepto, Concil. Trid. *sess.* 23. *de reform. cap.* 13. vltimò alijs omissis, absoluere potest à censuris non reseruatis Papæ, August. Barb. *in tract. de off. et potest. episcopi, par.* 2. *all gat.* 37. *cap.* 11. *§.* 7. & Idem *de Iure Ecclesiast. lib.* 1. *cap.* 11. §. 3. *num.* 128. ac prohibere potest nè in diebus festiuis fiant opera seruilia, Chartar. *decis. crim. decis.* 20. *num.* 105.

IVRISDICTIO DELEGATA. De iurisdictione delegata procedit tanquam Delegatus Sedis Apostolicæ in pluribus casibus Primò in cognoscendo de gratiæ surreptione, & obreptione, Trid. *sess.* 13. *de reform. cap.* 5 & *sess.* 22. *cap.* 5. *et* 6. secundò contra Prædicatorē exēptum, qui hæreses prædicauerit, *Trid. sess.* 5. *de reform. cap.* 2. Vltimò procedit vt Delegatus Sedis Apostolicæ in corrigendis clericis exemptis à sua iurisdictione, etiam extra visitationem, ex eodem Concil. Trid. *sess.* 14. *de reform. cap.* 4. & multos alios casus refert August. Barbos. *de Off. et potest. episcopi, par.* 2. *tit. de his quæ curæ, et officio Episcopi demandantur, n.* 85. *et* 104.

Ratione simplicis potestatis, seù dignitatis habet præeminentiam super cœteros, de quo actum est supra in principio tituli.

PRIVILEGIA. Aduerte vltimò, quod Priuilegia quibus gaudet Episcopus ratione dignitatis Episcopalis sunt plura, potest cum altari portatili vbique locorum per se, vel per aliū celebrare in præsentia sua, *cap. in ijs quæ*, 30. *de priuil* potest quem vult eligere confessarium sibi, *cap. vlt. de pœniten. et remiss.* habet sub se in signum suæ magnæ celsitudinis tronum & solium, portat anulum in digito in signum matrimonij contracti cum Ecclesia, & alijs principalibus ornamentis decoratur, ita August Barb. *de iure ecclesiast. lib.* 1. *cap.* 12. *num.* 22. vltimò alijs omissis, eximitur à patria potestate quo ad vtilia,

sed

sed non quo ad nociua, *cap. per venerabilem, 13. qui fil. sint legitimi, & Authentica sed episcopalis, 33. C. de episcopis, & clericis.*

ONVS. Non per hoc eximitur ab onere residentiæ, nisi concurrente rationabili causa, per tres menses, Trid. *sess.23.cap.1.*, *& sess.6.de reform. cap.* 1. alias inter cætera in pœnam non gaudet alternatiua, Nicol. Garz. *de benef. par.5.cap.1.* Gonzal. *ad regul.*8.*cancell.glos.*43. *num.*84. *&* Barbos. *de off. & potest. episcopi, allegat.*53.*n.*34.*&* 38.

De Officio Vicarij.

Titulus XIII.

Vicarius quid & quotuplex sit, quam iurisdictionem habeat quid peragere probibeatur, & quibus modis expiret eiusdem iurisdictio.

QVID SIT. Vicarius dicitur, *qui vicem alterius gerit*, & locum Episcopi tenet Vicarius generalis de quo hic agimus, vt infra, ideoque est honorandus sicut Episcopus, vltra quod dignitatem habet, non quidem ea, quæ beneficium ecclesiasticum censetur, sed ea qua possit esse Delegatus Principis, vnde ad eum dirigi possunt Pontificia rescripta, *Clemen. & si principalis, 2.de rescriptis*, quæ Vicariatus dignitas non est incompatibilis cum alia, quare propter vnitatem, quam habet cum Episcopo præcedit ipsum Archidiaconum & Archipresbyterum, Fagn. *in cap. ad hæc, num.*29. *de prabendis*.

VICARIORVM SPECIES. Sub quo nomine Vicarij cōprehendūtur octo species Vicariorum. I. Vicarius Romani Pōtificis, & iste exercet omnia quæ faciunt Episcopi in suis Diœcesibus, vnde confert ordines, & beneficia, etiam habentia curam animarum, Azor. *institut. moral. par. 2. lib.5.cap.*39. cuius iurisdictio durat, etiam sede vacante, Fagn. *in cap.cum olim, num.*69. *de maioritate & obedien.*

Secundò, alius dicitur Vicarius, qui à Romano Pontifice in Prouincia aliqua in spiritualibus instituitur, qui & Visitator, dicitur, de quo in *cap.fin. dist.* 61; & *in cap. is cui, 24.de elect in 6.*

Tertiò, alius dicitur Vicarius Apostolicus, & deputatur à Sede Apostolica cum iurisdictione voluntaria, & contentiosa, excepta beneficiorum collatione.

Quartò datur Vicarius generalis, & constituitur ab Episcopo, vbi sedem habet cum generali potestate ad omnia, quæ sunt iurisdictionis, & forma qua creatur, refertur ab Azor. *institut. moral. par. 2. lib. 3 cap. 43. quæsit. ij. & cap. 46. per tot*; sit Doctor, saltem in iure Canonico, aut alias quantum fieri potest idoneus, sit quoque Sacerdos, vel saltem clericus primæ tonsuræ, non autem Clericus coniugatus, laicus, vel Bigamus, *cap. Decernimus, 2. de iudicijs*, nec non habeat idoneam ætatem, quæ censetur 25. annorum, *cap. cum in cunctis, 7. §. inferior, de elect.* & Azor. *d. cap. 43. quæsit.* 10.

Quintò datur Vicarius foraneus, & de hoc infra in tit. de Archipresbytero, qui Vicarius si sententiam proferat appellatur ad Episcopum, Augustin. Barbos. *de off. & potest. episcopi, alleg. 54. à num.* 21.

Sextò datur Vicarius Capitularis, & iste eligitur à Capitulo sede vacante, vel confirmatur electus, & potest exercere ea, quæ sunt iurisdictionis, non autem ea quæ sunt ordinis, Fagn. *in cap. quanto, num. 39. de consuetud.* non potest eligi non Doctor, aut non licentiatus in Sacra Theologia, nisi in defectum aliorum his qualitatibus præditorum, Fagn. in *cap. inter cætera, num. 49. de rescript.* Nota tamen, quod per electionem Vicarij capitularis factam à Capitulo, non abdicatur iurisdictio ab ipso Capitulo, nec in eum transeunt quæ requirunt speciale mandatum, Fagn. *in cap. à nobis*, il primo, *num.* 48; & 49. *de senten. excommunicat.*

Septimò datur Vicarius perpetuus, & constituitur ab Episcopo propter curam animarum, & non est amouibilis, *cap. 1., & fin; de off. vicar;* & Fagn. *in cap. G. perpetuus, num. 3. de fide instrum.*

Denique alij dicuntur Vicarij temporales, veluti coadiuuantes in cura ad voluntatem, & libitum ipsius Rectoris, *cap. illud cum sequen. 7. quæst. 1.*

IVRISDICTIO VICARII. Hic agimus de Vicario Episcopi qui est iudex Ordinarius, & habet iurisdictionem ordinariam, Abb. Panor. *in cap. tua nobis, de off. vicar. & Chartar. decis. crim. l. 1. 70. num.* 82. quam iurisdictionem à lege, & non ab Episcopo re-

recipit, Fagn. *in cap. quod nobis, num.* 38. *de clandest. desponsat.* Vnde Episcopi & Vicarij vnum est Tribunal, & proindè appellari non potest à Vicario generali ad Episcopum, nec valet contraria consuetudo, *cap.2. de consuetud. in 6. & cap romana, 3. de appellat. eod. libro*, in materia tamen recusationis, non est idem Tribunal Vicarij cum illo Episcopi, Fagn. *in cap. nosti, n. 30. de elect.* & si ille Vicarius deliquerit in officio præiudicando simpliciter partibus, punitio pertinet ad ipsum Episcopum, *cap. ei qui appellat, §. nulli quoque, 2 quæst.6.* si verò offendat iurisdictionem Metropolitani, Metropolitanus illum coœrcere potest censura ecclesiastica, Io. Paul. Lancell *instit. canon. lib.1. hoc tit. §. inter vicarium;* finito vicariatu nunquam potest grauari ad syndicatum, Augusţ. Barbos. *de off. & potest. episcopi, allegat.* 54. *num.*183. nota, quod vbilibet Vicarius Episcopi præcedere debet Archidiacono, non obstante consuetudine aliisque in contrarium, intellige de Vicario Generali, non autem de Vicario foraneo, & ita plures decisum fuit per Sacram Congregationem Regularium, & Rituum, quas decisiones in puncto refert Augustin. Barbos. *dicto cap. 24. num.*57.

PROHIBITA FIERI SINE SPECIALI MANDATO. Aduerte tamen, quod multa Vicarius Generalis agere prohibetur de his quæ spectant ad Episcopum sine speciali mandato, vt est conferre beneficia, *cap. vlt. de off. vicar.* concedere Clericis dimissoriales litteras, vt ordinentur ab alio, Glos. *in cap. cum nullus, 3. de temp. ordinat. in 6.* dispensare in delicto occulto reseruato Sedi Apostolicæ, Concil. Triden. *sess.24. de reformat. cap. 6.* & multa alia, etiam sine speciali mandato, vt per Fagn. *in cap. quoniam, de off. delegati per tot.* Augustin. Barbos. *de iure ecclesiast. cap.15. à num.*20. & Azor. *dicta par.2. lib.3. cap.44. &* 45.

CAVSÆ PROPTER QVAS TOLLITVR VICARII FACVLTAS. Denique nota, quod pluribus modis deficit Officium Vicarii 1. per reuocationem Episcopi, res enim per quascumque causas nascitur, per easdem dissoluitur, Glos. *in Clemen. 2. de rescrip.* & August. Barb. *de off. & potest. Episcopi, allegat.* 54. *n.* 41. secundò obitu ipsius Vicarii, *cap. si gratiosè, 5, de rescriptis in 6.* Vltimò, si fuerit Episcopus maiori excommunicatione nudatus, & publicè denunciatus, *cap.1. de off. vicar. in 6.* quia sicut suspenditur iurisdictio Episcopi, ita & accessoriè suspenditur iurisdictio Vicarii, *cap. ad præbendam, 24. de re iudicata.*

De Capitulo.

Titulus XIV.

Quid & quotuplex sit, quam poteſtatem habeat viuente ordinario & quam eo mortuo.

QVID SIT. Capitulum ſumitur *pro Canonicis canonicè congregatis*, ſicque ſoli Canonici faciunt Capitulum, vna cum eo qui Canonicis præeſt, Abb. *in cap.* 1. *n.* 11. *de elect.* & quia Capitulum cum Epiſcopo faciunt vnum corpus non debent diuidi, Barboſ. *de iure eccleſiaſt. hoc, tit. cap.* 32. *n.* 2. hinc eſt, quod in omni negotio quod concernit præiudicium Eccleſiæ, & in pluribus alijs requiritur conſenſus Capituli, vt per Barboſ. *dicto cap.* 32. *n.* 14. 19. *& ſequent.* atque ita definitur, *eſt canonica facta congregatio à maiori parte Canonicorum*, Abb. *in cap. capitulum, in principio, lit. A. de reſcriptis.*

Qui coadiutor ratione coauditoriæ, non habet neque titulum, neque possessionem, sed nudum exercitium: titulus enim, & possessio remanent pænes Coadiutum, Fagn. *in cap. de rectoribus, n.6. & 35. & in cap. ex parte, n. 22. de cler. ægrotante*, propter quod exercitium, eo durante, viuere debet de prouentibus Ecclesiæ Coadiuti, & ibidem de iure communi residere tenetur, Fagn. *in cap. nulla, n.59. & 64. de concessione præbendæ, & in dicto cap. ex parte, n.27.* ac habere debet requisita necessaria ad illud officium in quo deputatur Coadiutor, vnde si deputetur Episcopo in spiritualibus, habere debet ætatem 30. annorum completorum, & scientiam per quam sciat Populum regere; si deputetur in temporalibus esse debet prouidus, & discretus, itaut temporalia bene sciat regere, & gubernare, si

hinc est, quod si deputetur Regi esse debet magnanimus, *cap. grandi*, 2. *de supplen. neglygen. prælat. in 6.* & si deputetur Clerico; siue in spiritualibus, siue in temporalibus, laicus esse non debeat, *cap. iudicatum*, 5. *dist.* 89. & Abb. *in cap. consultationibus*, *n.* 2. & 3. *de cler. ægrotan.*

A QVO, ET QVANDO. Aduerte tamen, quod datio Coadiutoris Prælatis, & superioribus spectat ad Papam, vt per Fagn. *in cap. ex parte*, *n.* 2. & *in cap. consultationibus*, *n.* 1. *de cler. ægrotan.* & Lancell. *instit. canon. hoc tit. in prin.* Assignare Coadiutorem inferioribus non constitutis indignitate pertinet ad Ordinarium seruata forma Triden. *sess.* 21. *de reformat. cap.* 6. quibus dari solet Coadiutor concurente legitima causa, nempè ob vrgentem necessitatem, vel vtilitatem Ecclesiæ, vt per Triden. *sess.* 25. *de reform. cap.* 7. & magis in specie plures sunt causæ concedendi Coadiutorem, vt senectus Episcopi, *cap. vn. de cler. ægrotan. in* 6. Item, quando maiori parte anni est infirmus, & non potest exercere, quæ incumbunt suo muneri, *cap. nisi*, 10. *de renuntiat.* Item, quando est suspectus de dilapidatione bonorum Ecclesiæ; vel denique si sit inhabilis, vt non possit muneri sibi in iuncto incumbere, Flamin. Paris. *de resignat. benef. lib.* 7. *quæst.* 20. *n.* 7. & 10. & Augus. Barbos. *de iure eccles. lib.* 1. *cap.* 15. *n.* 51. Idem *de off. & potest. episcopi*, *par.* 3. *allegat.* 118. *n.* 4. his enim casibus dari potest etiam inuito Coadiutor, Fagn. *in d. cap. ex parte*, *n.* 4. *de cler. ægrotan.*

EXPIRAT. Quod officium coadiutoriæ expirat mortuo, vel deposito, aut renunciante Coadiuto, quia non est quem vlterius coadiuuet, itaque iurisdictionem tunc exercebit Capitulum, aut is ad quem spectat sede vacante, *cap.* 4. *de supplen. negligen. prælat.* & Fagn. *in dicto cap. ex parte*, *n.* 10. & 12.

De Coadiutoria.

Titulus XXIV.

Coadiutoria, quæ & quotuplex sit, à quò concedatur, & quando.

QVÆ, ET QVOTVPLEX SIT. Datur duplex species Coadiutoriæ, alia dicitur temporalis, & alia perpetua, quæ lon-

gè inter se differunt, nam Coadiutoria temporalis expirat per mortem Coadiuti, & datur etiam inuitò. Perpetua verò, non expirat per mortem Coadiuti, imò illud ius ad rem, quod acquisiuerat per Coadiutoriam efficitur ius plenum, & non indiget alia collatione, Fagn. *in cap. ex parte*, *n.16. de cler. agrotan.* & Seraphin. *decis.*144. *n.*4. ac non datur inuitò, sed indiget consensu Coadiuti, Idem *in cap. nulla*, *n.* 58. *de conceß. praben.* & in Recen. *par.*3. *decis.*410. *n.*8.

Differunt secundò, quia Coadiutor temporalis tenetur residere, habet quoddam ministerium manualæ, recipit quamdam portionem fructuum in recompensationem laborum, & potest quandocunque amoueri, vt *in tit. praecedenti.* Coadiutor verò perpetuus, non tenetur ad onus residentiæ, nisi consentiente Coadiuto, Rota *in recent. decis.*410. *n.*8. *dicta par.*3. nihil percipit, vt patet ex formula Coadiutoriæ, apud Nicol. Garz. *in tract. de beneficijs*, *par.* 4. *cap.* 5. *n.* 54. & habet futuram successionem.

A QVO. Nota, quod Coadiutoria tēporalis inferioribus beneficijs dari potest ab Ordinario ob Ecclesiæ necessitatem; verum perpetua semper datur à Papa, & ob benemerita, de quibus & alijs differentijs inter prædictas species Coadiutoriæ latissimè tractat, Fagn. *in cap. nulla*, *à n.* 57. *vsque ad* 68. *de conceß. praben.* & Augustin. Barbos. *de off. & potest. episcopi*, *par.* 3. *allegat.*118. *num.* 2.

De Coadiutoria temporali actum est in præcedenti titulo, igitur hic solum de perpetua, quæ ex stylo est adinuenta cum futura successione, Fagn. *in cap. ex parte*, *n.*15. *de cler. agrotan.* & Coadiutor per eam nullum ius habet in beneficio, nec respectu tituli, nec possessionis, sed habet quoddam ius nouiter erectum, & circa facultatem coadiuuandi dicitur fictus beneficiarius, Rota penes Seraphin. *decis.*1447. *in fine*.

Quæ Coadiutoria perpetua dicitur odiosa, tam quia canones abhorrent futuras successiones in beneficijs, vt in *cap. accepimus*, 5. *de pactis*, quam propter periculum captandæ mortis à quò non eximitur Coadiutor propter consensum præstitum, Fagn. *in dicto cap. nulla*, *n.*53. *de conceß. praben.* ideoque esse exorbitantes à iure communi, sed potest Summus Pontifex dispensatiuè ex speciali indulgentia relaxare legis vinculum propter plenitudinem potestatis quam habet, præsertim in be-

ne-

ficijs, *cap. proposuit*, 4. *de conceß. praben. clemen.* 1. *in fin. vt lite pendente*, & Flamin. Parif. *de resignat. benef. lib.6. quæſ.5. n.15.*

QVANDO. Nota, quod hæc Coadiutoria perpetua ex Sancta Synodo tantummodo est permiſſa ex vrgenti causa maturè considerata in Consistorio in Ecclesijs Episcopalibus, & Præposituris Regularibus, sed in Canonicatibus & consimilibus beneficijs, est omninò improbata ex Decreto Concil. Triden. *seſſ.25. cap.7. verſic. in coadiutorijs*, & ita firmat Fagn. *in d. cap. nulla, n. 69. & 72.* verum illud vinculum Concilij Tridentini cum speciali derogatione derogari potest à Papa, quia semper censentur Decreta huiusmodi Concilij, salua Sedis Apostolicæ auctoritate, vt ex eod. Concil. *de reformat. ſeſſ.25. cap.21.*

De Sacerdotibus in inferiori gradu constitutis.

Titulus XXV.

Sacerdotalis ordo à quo fuit institutus, ex quo constet, quibus conferatur, cur dicatur Sacerdos, quid ſit eius officium, & quam potestatem habeat.

A QVO. Ordo Sacerdotalis institutus fuit à Christo, quando consecrauit corpus suum sub speciebus panis & vini, Deo Patri obtulit, ac sub earumdem rerum Symbolis Apostolis, vt sumerent tradidit, & eisdem eorumque in Sacerdotio successoribus, vt offerent præcipit per hæc verba, *hoc facite in meam commemorationem*, vt ex Triden. *seſſ.22. cap.1. in medio*, ac est verè, & propriè Sacramentum, ex eod. Triden. *seſſ. 23. cap. 3.*

EX QVIBVS CONSTET. Eius Materia proxima, est ipsa traditio, remota verò est Calix cum vino, & Patena cum hostia. Forma consistit in verbis, quæ proferuntur tempore traditionis. Minister est proprius Episcopus, vt ex S. Concil. *d. seſſ. 23. cap. 4. & 7.* & subiectum capax huius Sacramenti in genere, est masculus baptizatus; multa alia requiruntur, de quibus per Martin. Bonacin. *de sacram. ord. diſput.8. quæſt. vn. pun.5. n.1.* habere itaque debet testimonium vitæ, morum, scientiæ, & titulum patrimonij, vel beneficij super quo ordinetur, nè men-

dicet

dicet in opprobrium habitus Clericalis, & sufficit ætas annorum viginti quinque etiam non completorum, iuxta Triden. *sess.23. cap.12.* super quibus fit diligens examen coram Episcopo, & Examinatorib. synodalibus.

Hinc est, quod Papa non potest creare aliquem Presbyterum solo verbo *sis Presbyter*, quia pro Presbyterio requiritur impositio manus, qui actus non potest variari firma remanente substantia, Triden. *sess.14. cap.3. & sess.21. cap.2.*

VNDE DICATVR ET QVID SIT. Propter collationem huius ordinis ordinandus assumit nomen Sacerdotis, & vocatus est à *Sacrificando*, consecrat enim, & sacrificat, *cap. cleros 1. vers. sacerdos, distin.21.* qui Sacerdos, vel sumitur largè, aut strictè, largè in materia fauorabili comprehendit Episcopos, Diaconos, & Subdiaconos, *cap.2. de cohabitat. cler. cap. 1. in fine, 15. quæst.5. cap. si quis piam, 21. dist.81. & cap. subdiaconus, 4. dist.77.* secus autem in materia pænali, *cap. quia periculosum, 4. de senten. excom. in 6.* Strictè autem sumptus dicitur Presbyter, quod nomen est græcum, & latinè dicitur *senior*, non tam ætate, quam moribus, & officio, *d. cap. cleros, vers. presbyter, dist.21.*

MVNVS. Officium Sacerdotis est conficere Sacramentum corporis & sanguinis Domini, & Deo in sacrificio offerre, super Populum orare, à peccatis absoluere, benedicere dona Dei, baptizare, etiam & alia sacramenta conferre, præter Ordinem, & Confirmationem, *cap. perlectis, 1. dist.25.* & Io. Paul. Lancell. *instit. canon. hoc tit. §. episcopi.* Quam potestatem Sacerdos accepit in collatione ordinis Sacerdotalis per impressionem characteris eiusdem ordinis, Triden. *sess. 23. can. 5.* & semel in die missæ sacrum celebrare potest, exceptis casibus permissis sæpius celebrandi, in alijs enim casibus mulctari possunt pæna triremium ad triennium, & suspensionis à celebratione missæ, Chartar. *in decis. crim. decis. 25. n.12. & decis.26. num.1. & sequen.*

POTESTAS. Igitur Sacerdos est minister Sacramentorum, etiam si sit hæreticus, nam in casu necessitatis pænitentia recipi potest ab hæretico, Glos. *in cap. non est vobis, 11. ver. baptismum, de sponsal.* dummodo sit ritè ordinatus, ratio est, quia hoc mysterium non fundatur in sanctitate Ministri, sed in potestate illi in ordinatione concessa, quæ propter peccatum non

anut-

amittitur, *cap. multi, cap. dominus*, *& cap. non nocet*, *1. quaest. 1.* Trident. *sess. 7. can. 12. & sess. 14. can. 10.* tum quia Sacerdos, quo ad virtutem Sacramenti est merè organum inanimatum, licet sit organum viuum quo ad meritum personale, Fagn. *in cap. vestra, n. 5. de cohabitat. cler. & mulier.* In Sacramento tamen pænitentiæ necesse est, vt sit approbatus ab Ordinario, & habeat iurisdictionem in pænitentes, quæ approbatio non est necessaria in casu necessitatis Trident. *sess. 14. cap. 7* ibi *omnes sacerdotes quoslibet pænitentes à quibus vis peccatis, & censuris absoluere possint*. Quia tunc quilibet simplex Sacerdos, etiam iniquus potest absoluere pænitentem, quam potestatem retinet habitu de iure communi, vt distinguit Fagn. *in cap. ne pro dilatione, n. 8. 12. & 14. de peniten. & rem. ss.*

Amplia in simplici Sacerdote excommunicato, nam potestas clauium non tollitur per excommunicationem, tum quia est de iure diuino, quam quia inseparabiliter fundatur in charactere sacerdotali, Alter. *de censur. lib. 1. disp. 7. cap. 3. ver. dubitant*, & Martin. Bonacin. *de sacram. peniten. disp. 5. quaest. 7. pun. 1. num. 9.* & idem *de censuris disput. 1. quaest. 3. pun. 3. num. 3.*

De Diaconis.

Titulus XXVI.

Ordo Diaconatus de quo iure sit, ex quibus constet, cui conferatur, quid sit officium Diaconi, & in quid distinguatur ab alijs speciebus Diaconorum.

A QVO. Diaconatus ordo est Sacramentum, vt ex Trid. *sess. 23. cap. 2.* & quia Christus per se ipsum omnia Sacramenta instituit, reiecta contraria opinione, firmiter habetur ordinem Diaconatus fuisse institutum à Christo, & non ab Apostolis, hanc partem amplectitur Sacr. Concil. Trid. *sess. 23. cap. 2. & 3.* iuncto *can. 6.* de quo late tractat Augustin. Barbos. *de iure ecclesiast. cap. 35. n. 5. 7. & 8.* sed non per hoc sequitur ordinem Sacerdotalem esse distinctum Sacramentum ab ordine Diaconali, quia ambo, & inferiores ordines licet constent ex distincta materia, & forma, tamen quia ordinantur omnes ad

vnum,

vnum, eumdemque finem, nempè ad sacrificandum Corpus Christi mysticum; ratione vnitatis finis faciunt vnum Sacramentum, iuxta communem sententiam Theologorum, & Canonistarum.

EX QVIBVS CONSTET. Igitur materia ordinationis Diaconi, est impositio manuum Episcopalium cum traditione libri Euangelii, per quem potestas, & officium illius significatur: forma sunt verba, quæ simul cum huiusmodi traditione libri pronunciátur ab Episcopo: Minister, est proprius Episcopus, ex Trident. *sess.* 23. *can.* 7. & Martin. Bonacin. *de sacram. ordinis, disput.*8. *pun.*4. *quæst. vn. n.*1. Et subiectum in genere est masculus baptizatus ætatis suæ annorum 23. qui bonum testimonium habeat de vita, & moribus, & scientia sit instructus. De ijs, quæ ad hunc ordinem exercendum pertinent tractat, Concil. Triden. *sess.*23. *cap.*13. & August. Barbos. *de off. & potest. episcopi, par.*2. *allegat.*16.

QVID ET QVOTVPLEX SIT. Persona, quæ accipit hunc ordinem, vocatur Diaconus, quod verbum est vox græca, & latinè dicitur Minister, *cap. cleros*, 1. *ver. diaconi, dist.*21. & est in triplici specie. Alij dicuntur Diaconi primitiuæ Ecclesiæ, & illi fuerunt ordinati in primitiua Ecclesiá per impositionem manus absque traditione libri Euangeliorum, Fagn. *in cap. cum venisset, n.* 16. & 95. *de sacra vnct.* & eorum officium versabatur circa administrationem eleemosynarum bonorum communium Ecclesiæ, & Calicis administrationem, quandò eo tempore cū sanguine fidelibus administrabatur, *cap. diaconi septem*, 11. *dist.*93.

Alij dicuntur Diaconi Seluatici, & ab Episcopo creantur ob necessitatem, vel vtilitatem Ecclesiæ, qui assumunt onus seruiendi, & durante seruitio gaudent priuilegio fori omninò in criminalibus, & in ciuilibus, quo ad corporis districtionem, iuxta decretum Sacr. mem. Greg. XV. editum de anno 1623. 10. Kalendas Iunij, & illud per extensum affert Fagn. *in cap. nullus, n.*19. *de foro compet.*

Alij sunt Diaconi Ministri Presbyterorum, quia ipsi soli res sacras Presbytero ministrant, *cap. diaconi ita*, 16. *dist.*93. & de his nos hic agimus, quorum officium, est assistère Sacerdotibus, & eis in omnibus quæ in Sacramentis aguntur ministrare, & oblationes ad altare inferre, *cap. perlectis*, 1. *dist.* 25. itaque

tenentur Euangelium decantare cum facie erga Aquilonē, qui Spiritui Sancto semper fuit contrarius; per Aquilonē enim intelligitur Diabolus, ex eo quod est ventus durus, & frigidus, quos effectus Diabolus in illos quos possidet producit, August. Barbos. *dicto cap.35. n.20. & sequen.*

Hinc est, quod in Sacramentis ministrandis, non dicuntur ordinarij Ministri, sed solum ratione officij possunt Eucharistiam fidelibus ministrare, verum prohibentur solemniter baptizare ob absentiam Sacerdotis, ac necessitate cogente, Gloss. *in cap. diaconos, 13. versic. necessitas, dist.93.* & omnino ad continentiam tenentur, *cap.1. dist.27. & cap.1. dist.31.*

De Subdiaconis.

Titulus XXVII.

Ordo Subdiaconatus ex quibus constet, cui conferatur, quando, & quid sit officium Subdiaconi.

EX QVIBVS CONSTET, QVANDO CONFERATVR. Ordo Subdiaconatus in primitiua Ecclesia nō reputabatur inter ordines sacros, Fagn. *in cap. præterea, n.1. de ætate, & qualitate*, verum succedentibus temporibus cæpit Sacer reputari, ac proindè antiqua illa consuetudo vtendi matrimonio reuocata fuit, *cap. erubescant, 11. & cap. placuit, 13. dist.32.* ideòque hodie habet annexam continentiam; Fagn. *in cap. maioris, n.111. de baptis.* & constat ex materia, & forma. Materia est traditio calicis vacui cum patena super posita, *cap. subdiaconus, 14. dist.23.* & non est necesse, vt calix sit consecratus, verum vt tangatur, & diligenter super hoc curandum est, August. Barbos. *de off. & potest. episcopi, par.2. allegat. 14. n.3.* Forma consistit in verbis prolatis ab Episcopo. Minister, est proprius Episcopus; & subiectum, est masculus baptizatus non minor 22. annorum, iuxta Triden. *sess. 23. cap. 12.* alia requisita in præcedente titulo enumeraui. Qui masculus, suscepto hoc ordine nuncupatur Subdiaconus, quasi subministrans Diacono, *cap. cleros, 1. dist. 21.* & ordinatur non per manus impositionem, sed per traditionem calicis vacui, & patenæ vacuæ, Fagn.

in

in cap. presbyter. n. 40. de sacram. nõ iteran. In interstitijs de vno ordine minore ad aliũ Episcopus potest dispensare, si concurrat necessitas, vel vtilitas Ecclesiæ, aut si iudiciũ Episcopi aliud exposcat, Trid. *sess. 23. de reformat. cap. 11. vers. Hi verò*, non autem circa ætatem statutam ad suscipiendum ordinem, & neque facere potest, vt in vna eamdemque die simul Minores cum Subdiaconatu conferantur, nisi de licentia Papæ, *cap. 2. de eo qui furtiuè ordin. suscepit.*

Officium Subdiaconi, est calicem, & patenam ad altare deferre, & Diacono tradere, eique ministrare vrceolum quoque & aquã, & mantile tenere Episcopo; Presbyteris, & Diaconis pro lauandis ante altare manibus aquam præbere, *cap. perlectis*, 1. *dist. 25.* nec non præparat sacra vasa, ac legit epistolam solemniter, August. Barbos. *de iure eccles. lib. 1. cap. 37. num. 29.* & gaudet priuilegio fori, etiã si habitum, & tonsuram non deferat, Fagn. *in cap. nobis, n. 34. de bigamis.*

De ijs, qui in minoribus.

Titulus XXVIII.

Quot sint ordines minores, ex quibus constent, à quo, quibus, & quando conferantur.

QVI, ET EX QVIBVS CONSTENT. Vltra ordines, qui sacra vnctione conferuntur ab Episcopo adsunt alij ordines, qui præstantur sola Episcopi benedictione cum quadam distributione vasorum, vel indumentorum: qui ordines dicuntur minores, & sunt quatuor Acolytatus, Exorcistatus, Lectoratus, & Ostiariatus, quilibet habet distinctam materiam & formam, vt ex Augustin. Barbos. *de iure ecclesiast. lib. 1. cap. 38.*

Materia ordinis Acolytatus est cereus extinctus simul cum vrceolis vacuis, *cap. acolytus*, 15. *dist. 23.* Forma sunt verba, quæ proferuntur ab Episcopo, vnde in acceptione vrceoli, etiam si non tradatur candelabrum, imprimitur character, Fagn. *in cap. cum venisset, n. 63. de sacra vnct.* Officium denique Acolyti, est deferre luminaria ad Altare, quando legendum est Euangelium, aut sacrificium offerendum, *cap. 1. distin. 25.*

& Fagn. *in cap. multi*, *num.* 94. *nè cler. vel mon.*


Materia exorcistatus, est liber exorcismorum; forma sunt verba; & officium, est exorcismos in memoriam retinere, & cum inuocatione nominis Iesu obsessos, tam in domo, quam in Ecclesia à malis Demonibus exorcizare, *cap.*1. *dist.*25.

Materia Lectoratus, est liber lectionum de Prophetijs; forma sunt verba, *cap. lector*, 17. *distin.* 23. ac eius munus, est lectiones clarè, & distinctè pronunciare, *dicto cap. cleros*, iuncto *cap.*1. *distin.*25.

Vltimò, pro materia Ostiariatus porriguntur claues, & pro forma sunt verba, quæ in traditione clauium dicuntur ab Episcopo, *dicto cap. cleros*, §. *ostiarij*. & eius officium est sacras ædes aperire, & claudere.

A' QVO, QVIBVS, ET QVANDO. Minister horum ordinum est proprius Episcopus; & subiectum cui conferuntur indiget pluribus requisitis, primò vt sit baptizatus, quia character ordinis necessariò supponit characterem baptismi, *cap. veniens*, 2. *de presbyt. non bapt.* secundò, vt sit confirmatus, *Trident. sess.*23. *cap.*4. tertiò, vt habeat primam tonsuram, & legitimam ætatem, quæ iuxta communem in Acolytatu reputatur 14. annorum, in cæteris verò tribus sufficit ætas 12. annorum, August. Barbos. *dicto cap.*38. *n.*2. quartò, vt habeat scientiam sufficientem ad vsum cuiuscumque ordinis, & censetur sufficiens si intelligat linguam latinam; denique, vt habeat testimonia morum, vt per Triden. *sess.*23. *cap.*5. & Martin. Bonacin. *de sacram. ordinis*, *disput.*8. *quæst. vn. pun.*5. *n.*7.

Aduerte, tam maiores, quam minores esse Sacramentum, & simul constituunt vnum sacrum perfectione vnius finis, Barbos. *dicto cap.* 38. *n.* 52 & Idem *de off. & potest. episcopi, par.* 2. *allegat.*2. *n.*21. verum non sunt simul conferendi, sed de vno ex temporibus ad aliud, nisi necessitas, vel vtilitas Ecclesiæ iudicio Episcopi aliud exposcat, ex eo quod tunc dispensare valet, Concil Triden. *sess.* 23. *cap.* 11. qui cũ sint remoti ab actu conserationis, Ministri eos exercentes in peccato mortali non peccant; Vasquez, *in* 3. *par. tom.* 2. *disput.*136. *cap.*2.



De

De Prima Tonsura.

Titulus XXIX.

Quid sit, ex quibus constet, à quo conferatur, quibus, quando, & quibus priuilegijs gaudeat.

QVID SIT. Datur tonsura clericalis, & Psalmistatus, qui termini idem significant secundum Fagn. in *cap. cum contingat, nu.*80. *&* 88.*de ætate, & qualitate*, sicque ponitur definitio Tonsuræ *est principium, & quasi fundamentum Clericalis militiæ*; secundum Canonistas dicitur ordo,& non designatio ad ordines, iuxta opinionem plurium Theologorum,vt per Eundem in dicto *cap. cum contingat, nu.*45.*&* 85.& August.Barbos.*de iure ecclesi. lib.*1.*cap.*38.*num.*43.*&* 47.

EX QVIBVS. Hæc constat ex materia, & forma; materia est superpellicium, & forma sunt verba illa prolata ab Episcopo sedente cum Mitra, *induat te Deus nouum hominem &c.* imprimitur character illius tonsuræ in traditione superpellicij, Fagn. *ibidem, nu.*87.

A' QVO.Minister huius ordinis est Episcopus,& mortuo Episcopo Vicarius capitularis valet concedere elapso anno vacationis litteras dimmissoriales suis subditis, ac etiã intra annum arctatis ratione beneficij, vt sunt præsentati à Patronis in beneficio iuris patronatus, Triden.*sess.*7.*cap.*10.Fagn.in dicto *cap.cum contingat, nu.*39. Garz. *de benef.par.*7.*cap.*1.*nu.*3.Martin Bonacin.*de sacram. ordinis,disput.*8.*quæst.vn.pun.*4.*nu.*23.atq;ex concessione Ecclesiæ Abbates habentes iurisdictionem episcopalem possunt suis subditis tonsuram conferre,Fagn.*dicto cap.cum contingat,n.*94. & August.Barbos.*de iure eccles.lib.*1.*c.*32.*nu.*118.

QVIBVS ET QVANDO. Subiectum huius ordinis,est masculus baptizatus, qui sit confirmatus, non ea ratione quod exigatur confirmatio de necessitate,vt est baptismus,sed ob congruitatẽ,Conc.Trid.*sess.*23.*c.*4.& ibidẽ August.Barbos.*n.*3.*&* 7.habeat ætatem septem annorum completorum, Fagn.*in c. super inordinata,n.*20.*de preben.*sciat legere,& scribere in sua lingua, aut saltem sciat formare characteres,August. Barbos. *dicto cap.*38.*nu.*4. denique

que habeat intentionem perseuerandi in statu Clericali, & non vt solum declinet iurisdictionem fori secularis, idem Barbos. *dicto cap.38.nu.42.* qui ordo conferri potest quolibet die & hora, Fagn. *in cap. de eo, nu.4. & 14. de tempor. ordinat.* alias si ordinetur in fraudem post delictum gaudet priuilegio fori, quo ad personam, non autem quo ad bona, Chartar. *dec. crim. dec. 17. n.9.* Squillan. *de priuilegijs clerical. cap.7. nu.3.*

PRIVILEGIA. Per quam primam tonsuram Clericus transit de statu laicali ad clericalem, & gaudet priuilegio fori, canonis, & exemptionis onerum laicalium, Fagn. in *dicto cap. cum contingat, n.80. & 112.* verum si sint malè promoti ab executione ordinis sunt suspensi, *ibidem nu.116.*

De Clericis Coniugatis.

Titulus XXX.

Qui, & quotuplices sint, an quando, & quibus priuilegijs gaudeant; in quid differant à cæteris Clericis, & ex quibus causis remaneant denudati priuilegijs Clericalibus.

CLerici coniugati sunt duplicis generis, alij Orientales, & alij Occidentales, seù latini. Orientales, more græcorum viuentes sunt subiecti Romano Pontifici, vt Summo Christi Vicario, vnde eis ius dicendi leges, & constitutiones potestatem, & authoritatem habet; idque probatur ex eo quod Ecclesia vnum corpus constituit, cuius caput est Christus, & Summi Christi Vicarius, qui est Romanus Pontifex, Azor. *instit. moral. par.1. lib.5. cap.11. quæst.7.*

Verum non semper eo iure vtitur Papa; vnde post separationem Ecclesiæ Orientalis ab Occidentali, cum feruntur constitutiones, & leges, aut expresse, vel tacitè vult Pontifex, vt Occidentales, non Orientales Clericos teneant; & licet illi non recipiant leges Pontificias, tamen eas non contemnunt, sed viuunt secundum consuetudinem ipsorum approbatam à Pontifice, Glos. *in cap. de libellis, vers. conuincitur, distin.20.*

Hinc est, quod Clerici Orientalis Ecclesiæ non tenentur legibus Pontificijs, quæ de nouo pro Ecclesiasticis conduntur, etiam

in Concilijs generalibus, vt est Concilium Tridentinum, Azor. *loco citato* & P. Thom. del Bene *de immunit. eccles. par. 1. cap. 1. dubit. 10. num. 2.*

Idcircò, Clerici constituti in minoribus in Ecclesia Orientali matrimonium contrahere valent, & matrimonio iam contracto Sacerdotes, & Diaconos vti posse, hoc enim prouenit, quia Ecclesia Orientalis votum castitatis non admisit, *cap. cum olim, 6. de cler. coniugat.*

Dixi *Clerici const tuti in minoribus*, ad denotandum quod retinent facultatem contrahendi matrimonium tantum, quando sunt in minoribus, non autem quando sunt in sacris, vt ex dicto *cap. cum olim, vet. quoniam Orientales*; ac vt gaudeant priuilegijs Clericalibus, necesse est, quod ducant in vxorem non viduam, aut repudiatam, sed talem, quæ illos non reddidisset Bigamos, alias propter Bigamiam, non esset promouendus ad sacros Ordines, *cap. seriatim*, 14. *distinct.* 32. & Abb. *in cap clericus nu.* 1. *&* 14. *de vit. & honest. cleric.* & ita declaratum fuit per Sac. Congregationem super Immunitate Ecclesiastica, die 16. Iunij 1646. in vna Bisignanen. ibi Sacra &c. censuit *Clericos Albanenses gaudere priuilegijs Clericalibus, etiam si post contractum matrimonium cum vnica, & virgine ordines clericales susc perint, lib.* 3 decretorum Paul. fol. 284.

Vnde, quia castitas in Clericis non est de iure diuino, Papa potest dispensare, vt promoti ad ordines sacros, ex maxima tamen causa, vxorem ducere possint. Maxima causa dicitur, V.G. si aliquis Rex infidelis vellet venire ad fidem cum toto suo Regno, si posset ducere monialem in vxorem, Ioannes Maria Bellett. *disquisit. clerical. de disciplin clerical. §. 9. n 12. & 13.*

Ex his collige, quod Clerici Orientalis Ecclesiæ, tam coniugati, quam in minoribus, vel in sacris constituti, etiam si non seruent requisita Bonifacij VIII. in *cap. vn. de cleric. coniug. in 6. & Trident. sess. 23. cap. 6.* gaudent priuilegio fori, canonis, & exemptionis gabellarum, Carolus de Grassis, *de eff. clericat. effect. 1. nu. 82. effect. 3. nu. 45.* Pater del Bene, vbi supra, *dubit. 8. nu. 2.* & Squillan. *de priuilegijs clericalibus, cap. 6. nu. 20. & cap. 7. nu. 15.* quæ exemptio extenditur ad eorum legitimas vxores, ac filios legitimos eorum patre viuente, Barbos. *de iur. ecclesiast. lib. 1. cap. 39. §. 5. n. 19.* filij clericorum enim, licet sint nati ex sacerdote, reputantur legitimi, & gaudent priuilegio patris, ipso viuente, Grass. *dicto effect. 1. nu. 205. & 206.*

De-

Demum Clerici græci gaudent omnibus exemptionibus; quibus gaudent Clerici latini obseruantes requisita Sacri Concilij Trident. *seß. 23. cap. 6.* & ita decisum fuit à Sac. Cong. immunitatis, die 27. Septembris 1632. in ũna Rhegien. ibi Sacra &c. *censuit, Oratorem Clericum ritus græci gaudere debere omnibus libertatibus, & exemptionibus, quibus gaudent Clerici latini, ideoque laudandus Archiepiscopus de defensione facta, & rescribendum vt continuet*, lib. 2. decretorum Paul. fol. 140. àt.

De Clerico coniugato occidentalis Ecclesiæ.

Clericus coniugatus occidentalis Ecclesiæ dicitur ille, *qui cum sit in prima tonsura, vel in minoribus ordinibus constitutus legitimè matrimonium contraxit cum muliere vnica, & virgine*; is enim si seruet prædicta requisita, nempè si habitum clericalem deferat, & clericaliter viuendo vacauerit seruitio alicuius Ecclesię ab Episcopo deputato gaudet priuilegio fori, & canonis, iuxta dispositionem *cap. vn. de cleric. coniug. in 6.*

Dixi *cum vnica*, ad exclusionem illius, qui cum duabus virginibus matrimonium contraxit, & cum vtraque consumauit, *cap. 1. de bigam. in 6.* secus est, si cum vna tantum fuerit consummatum, quia adhuc diceretur coniugatus ad fori priuilegium obtinendum. Glos. *in dicto cap. vnico*.

Dixi *cum virgine*, secus est si contraheret cum corruptis, & dicitur cum virgine contraxisse, si tempore contracti matrimonij, mulier cum qua contraxit virgo fuerit, vel talis fuerit reputata. Nec obstat, si à contrahente ante matrimonium virgo illa fuit cognita, quia copula, quæ matrimonium antecedit, matrimonio subsequenti purgatur, Glos. *in dicto cap. vn. vers. contraxerunt*, & Del Bene *par. 1. cap. 4. dub. 10. nu. 6.*

Dixi *Tonsuram*, hic enim accipitur pro clerica, quæ est abscisſio capillorum in parte superiori. Clerici enim debent incedere detonso capite, & auribus patentibus, Glos. *in clem. quoniam, vers. & tonsuram, de vit. & honest. cleric.* quam tonsuram deferre non tenentur Clerici coniugati non beneficiati, *cap. Ioannes, 7. de cleric. coniug.* nec minus illi Clerici, qui ex iusta causa eam non deferunt, Alex. Ambrosin. *de immun. eccles. cap. 23. nu. 7.*

Dixi, *& habitum Clericalem*, nam illa coniunctio &, ostendit, quod habitus claricalis in duobus copulatiuè consistat, nempe

in

in tonsura, & vestibus; nec vnum sine altero sufficeret, ita vt captus in maleficio habens tonsuram sine vestibus, vel è contra, non dicitur captus in habitu, Ambrosin. *dicto cap.* 23. *nu.*2. Illæ vestes censendæ sunt conuenientes Clericis coniugatis, vt priuilegio clericali gaudeant, quando sunt tales, vt ex ipsarum qualitate deferens communiter à Populo Clericus iudicetur, P. del Bene *dicto cap.* 4. *dubit.* 28. *nu.* 9. ideoque habitus clericalis esse debeat talaris, non inhonesti coloris, neque inhonestæ formæ, sed iuxta loci consuetudinem, Glos. *in cap. si quis virorum*, 15. *distin.* 31. & Ambros. *dicto cap.* 23. *nu.* 12. *&* 13. ac illum deferant, quando matrimonium contrahunt cum vnica & virgine, alias incurrerent in pœnam priuationis omnium priuilegiorum clericalium, vt in *cap. ex parte*, 9. *de cleric. coniug.* & Donat. Anton. de Marin. *resol. iur. lib.* 1. *cap.* 58. *n.* 5. quæ cognitio huiusmodi habitus spectat ad Iudicem ecclesiasticum, Fagn. *in cap. si quis, nu.* 21. *de for. compet.*

Dixi *clericaliter viuendo*, quia Clericus coniugatus à negotijs sæcularibus illicitis sit prorsus longeuus, potest enim exercere honestam negotiationem, cæteraque laicalia officia, *Clem.* 1. *de vit. & honest. cleric.*

Dixi *seruitio alicuius Ecclesiæ ab Episcopo deputatæ*, etenim ex verbis Concilij *sess.* 23. *cap.* 6. clarè desumitur voluisse Concilium, vt seruitium fiat in Ecclesia particulariter ab Episcopo deputata. Verum circa hoc contrariam sententiam praxis obseruat, nimirum sat esse cuiucumque Clerico in minoribus ordinibus constituto, siue simplici, siue coniugato si probetur seruitium in quacumque Ecclesia factum fuisse, quamuis non in illa in qua de Episcopi mandato adscriptus est, Fagn. *in cap. si quis, n.* 21. *de foro compet.* Don. Ant. de Marinis *dicto cap.* 58. *n.* 8. *&* Squillan. *de priuileg. cler. cap.* 7. *n.* 13.

Aduerte, quod ad hoc vt Clericus coniugatus fori priuilegio gaudeat seruare tenetur requisita prædicta, Fagn. *in cap. vt priuilegia, n.* 31. *de priuileg. & in cap. contingit*, il secondo, *n.* 17. *de sent. excommunicat.* quæ per ipsum met Clericum tanquam fundamentum suæ intentionis sunt probanda, Graff. *de effect. cleric. effect.* 1. *n.* 89. & si non incedat in habitu, & tonsura, sine vlla monitione perdit omne priuilegium Clericale, ex verbis constitutionis Bonifacij VIII. *dicto cap. vn.* ibi *si tonsuram, & vestes clericales deferant priuilegium retineant canonis*, quæ priuatio

priuilegij fori, & canonis non durat in perpetuum, sed pro illo interim, quo non incedit in habitu & tonsura, vnde reassumpto habitu, recuperat priuilegium fori, & canonis, Idem *in cap. magnus, n.2. de obligat. ad ratiocin.* & Grass. *dicto effect. 1. n.85.*

Nota, quod reassumptio habitus fieri potest, etiam sine licentia Episcopi, Squillan. *cap.6. n.19.* sed si in fraudem fori laicalis reassumat habitum, valet ad effectum fruendi priuilegio fori tantum quo ad personam, P.del Bene, *de immunit. ecclesiast. par 1. cap 4. dub. 25. n. 9. & 14.* idem resolutum fuit die 17. Septembris 1630. per Sacram Congregationem immunitatis in vna Nullius ad instantiam Claudij Amatorij Clerici coniugati, ibi Sacra &c. censuit, *contra Clericum Amatorium, qui habitum, & tonsuram & seruitium Ecclesiæ reassumpsit in fraudem post sententias contra eum latas à Iudice sæculari, licere Iudici laico procedere realiter quoad bona, non autem quoad personam, lib.2.* Decretorum Paul. fol.68.

Mortua vxore, ex communi Doctorum sententia vir Clericus coniugatus recuperat omnia priuilegia, quæ Clericis non coniugatis competunt, Regens de Marin. *dicto cap.58.n.18.* Iul.Clar. *in prax. §.fin. quæst.36. n.18.* & Grass. *vbi supra n. 90.* quorum vxores gaudent, viuente viro, tantum priuilegio fori, & non canonis, Fagn. *in cap. nullus, n.44. & 45. de for. compet.* & Squillan. *de priuileg. clerical. cap.7. n.34. ver. contrarium*, hoc enim procedit tempore quo vir clericaliter viuit, cæteris casibus sicut vir nullo priuilegio gauderet, ita nec minus eius vxor. & ita decisum fuit per Sacram Congregationem Immunitatis in vna Baren. sub die 22. Septembris 1648. ibi, *vxores Clericorum coniugatorum & oblatorum habentium requisita, & qualitates gaudere priuilegijs quibus gaudent mariti vita istorum durante*, lib.4. Decretorum Paul. fol.60.

FORI PRIVILEGIVM. Hinc est quod Clericus coniugatus gaudet priuilegio fori in criminalibus, siue pro crimine agatur criminaliter, siue ciuiliter, & si pro causa ciuili carcerari contigeret, id expleri non posset, nisi per Iudicem ecclesiasticum, cum Pontificis mentem in dicto *cap. vn.* fuisse videatur, vt nullo pacto possit Iudex sæcularis Clericum coniugatum personaliter adstringere, Fagn. *in cap. proposuisti, n.28. de foro compet.* Donat. Anton. de Marin. *lib.1. cap.58.n.13.* & Iul. Chartar.

de

de immunit. eccles. par. 4. *n.*443. imò etiam in merè ciuilibus in Regno Neapolis gaudent priuilegio fori vbi adeſt cōſuetudo ad illorum fauorem introducta, de qua mentionem facit Auguſt. Barboſ. *in collect. Concil. Trident. ſeſſ.* 23.*cap.*6. *n.*44. *in med.* & P. del Bene, *de immun. eccleſiaſt. par.* 1. *cap.*4. *dubit.*12. *n.*12. & & ita pluries reſolutum fuit ex Sac. Congregat. immun. vt in vna Oppiden, die 6. Martij 1635. ibi Sacra &c. Ad primum reſpondit, *Clericos coniugatos habentes requiſita cap. vn. de Cleric. coniugat. in 6. gaudere priuilegio fori, etiam in cauſis merè ciuilibus*, lib. 2. Decretorum Paul. fol. 219. ideoque Epiſcopi de partibus illos defendere tenentur, ne in præiudicium immunitatis eccleſiaſticæ aliquid innouetur contra formam conſuetudinis legitimè introductæ.

Aduerte, quod Clerici coniugati, quo ad fori priuilegium differunt à Clericis in minoribus, & beneficiatis, nam hi indiſtinctè de omni iure, tàm in ciuilibus, quam in criminalibus gaudent fori priuilegio, & omnibus priuilegijs clericalibus Fagn. *in cap. contingat*, *n.* 82. & 112. *de ætate & qualit.* Graſſ. *de effect. clericat. effect.* 1. *n.*2. & 3. Chartar. *de immun. eccleſiaſt. par.*2. *n.*44. & *ſeq.* licet plurima inter eccleſiaſtica, & laicalia Tribunalia oriri diſſidia, an Iudex ſæcularis ſit competens, quando Clericus conuenitur actione reali, aut in cauſa poſſeſſorij, vel quaſi rei ſpiritualis. Ego tamē libenter amplector partem negatiuam.

Primò, quia ſicuti Clerici non ſubijciuntur iuriſdictioni Iudicis ſæcularis, ita nec eius bona, *Authent. ſtatuimu*, *C. de epiſcop. & cler.* Graſſ. *dicto effect.*1.*n.*10. Secundò, in omni poſſeſſorio eſt probandus titulus, ſaltem coloratus, qui ſine contradictione reſpicit petitorium, cuius cognitio ſpectat ad Iudicem eccleſiaſticum, propter quàm connexionem neceſſariò Iudex eccleſiaſticus eſt adeundus. Demum cauſa poſſeſſoria rei eccleſiaſticæ eſt ſpiritualis vel quaſi, quarum cognitionum laicus eſt incapax, *cap. decernimus*, 2. *de iudic.* quæ & alia fundamenta referuntur per Bellett. *diſquiſ. cleric. par.* 1. *de fauor. cler. real.* §.4. *n.*114. Alex. Sperell. *part.*2. *deciſ.*8. *n.* 19. & P. del Bene *de immun. eccleſ. par.*1. *cap.*10. *dubitat.*4. *n.*1. & 9. qui vnanimiter reijciunt opinionem Theſaur. *in deciſ.* 82.

Differunt Clerici coniugati etiam à Clericis beneficiatis ex diſpoſitione Concil. Trident. *ſeſſ.*23. *de reformat. cap.*6. nam an-

te quam Clerici beneficiati amittant priuilegium fori, prærequiritur trina monitio, quia in Tridentino loco citato non exprimitur contrarium, & meritò non est recedendum ab antiqua dispositione iurium, *cap. in audientia*, 25. *& cap. contingit*, 45. *de sentent. excom.* in quibus iuribus præscribitur monitio specialis, & nominatim facta, etiam si beneficium sit modici valoris, Fagn *in cap. si quis*, n. 28. *de foro compet. in cap. inter cætera*, n. 3. *de rescript.* De Marin. *lib.* 1. *cap.* 56. Capyc. Latr. *decis.* 73. & P. del Bene *de immun. eccles. par.* 1. *cap.* 4. *dub.* 7.

Dicitur Beneficiatus, qui collationem obtinuit etiam ante adeptam possessionem, modò collatio sit valida, Martin. Bonacin. *de censur. in bulla cœnæ disput.* 1. *quæst.* 16. *sect.* 1. *n.* 22. *&* 23. verùm si non incedat in habitu, & tonsura, Episcopus seruatis seruandis procedat ad declarationem priuationis beneficij, & ita resolutum fuit à Sac. Congregatione immunitatis, die 24. Iulij 1628. in vna Ianuen. ibi *Sacra &c. censuit respectu Clericorum beneficiatorum in habitu, & tonsura non incedentium opportunè prouideri posse, si per Archiepiscopum fiant declaratoria super facto contra eosdem, qui non incedunt in habitu, & tonsura, nam factis huiusmodi declaratorijs ex dispositione Constitutionis felic. rec. Sixti V. & iuxta declarationem Sac. Conc. Triden. statim beneficijs ipsis remanent priuati*, lib. 1. Decretorum Paul. fol. 100. & magis latè per P. del Bene *de immunit. dicta part.* 1. *cap.* 4. *dubit.* 7. *n.* 7.

Ampliatur dicta dispositio in Pensionarium. Pensionarius enim censetur Beneficiatus ad effectum fruendi priuilegio fori, etiam si non incedat in habitu, & tonsura, ratio potissima Doctorum, qui hanc substinent sententiam est, quia in fauorabilibus Ecclesiæ, sub nomine beneficij venit pensio, & ita decisum est per Sac. Congregationem Concilij sub die 18. Decembris 1516. ibi *Sacra &c. censuit, Pensionarium censeri beneficiatum ad effectum fruendi beneficio fori de quo Concilium loquitur etiam si non incedat in habitu, & tonsura, ac idem* resolutum fuit à Sac. Congregatione immunitatis, *die* 20. *februarij*, 1652. *in vna, Perusina*, lib. 4. Decretorum Paul. fol. 175.

Clericus enim in minoribus non beneficiatus ad hoc vt priuilegio fori gaudeat tria copulatiuè requiruntur scilicet, quod deferat habitum, quod deferat tonsuram, & quod inseruiat alicui Ecclesiæ de mandato Episcopi, quorum trium vltimum

tan-

Digitized by Google

tantum est introductum de nouo ex dispositione Concil. Trident. *sess.*23. *cap.*6. quia reliqua iam requirebantur ex iure Canonico, Glos. *in cap. si iudex laicus*, 12. *de sentent. excommun.* Grass. *dicto effect.*1. *n.* 1167. & Squillan. *de priuileg. clerical.cap.* 7. *n.*5. *in fin.* vnde si non incedat in habitu, & tonsura sed continuò in habitu laicali, ita vt publicè æxtimatur laicus, absque alia monitione perdit priuilegium fori, Barbos. *de off. & potest. episc. par.*2. *alleg.* 12. *n.* 19. 20. & Squillan. *dicto cap.* 7. *n.*9. durat hæc priuatio pro tempore, quo non incedit in habitu, Fagn. *in cap. si quis*, *n.*49. *de for. compet.* verum si non incedat in habitu, sed publicè se gerat pro Clerico, dictum decretum Concilij non obstaret Episcopo, quia potest tunc Episcopus eos punire, Barbos. *in dicto cap.* 6. *sess.* 23. *num.* 26. Squillan. *cap.*7. *n.*24. Fagn. *in cap. odoardus*, *n.*25. *de solut.* & ita decisum fuit à Sac. Congregatione super immunit. die 12. Septembris, 1645. in vna Tudertina ibi *Sacra &c. censuit Oratorem, vti Clericum, etiam si non habeat requisita Sac. Concilij remittendum esse Eminentissimo Episcopo illum repetere volenti*, lib. 3. Decretorum Paul. fol. 262.

Aduerte, quod si Clericus delinqueret in exercitio officij laicalis, ille est puniendus à Iudice ecclesiastico, dummodo prius non sit ter monitus, vt ab officio desistat, Iul. Clar. *in prax. criminal.* §. *fin. quæst.* 36. *n.* 25. Grass. *de effect. cleric. effect.*1. *n.*851. & Squillan, *de priuil. clerical.cap.*7. *n.*88. verum si non incedat inhabitu, & se immisceat in enormitatibus est ardua quæstio, an nulla præcedente monitione perdat priuilegium fori, vt per Clar. *in prax.* §. *fin. quæst.*36. *n.*23. qui concludit pro affirmatiua, tamen salua pace ipsius, dico, quod si alias erat solitus deferre habitum, gaudet fori priuilegio, eruditissimus Fagn. *in cap. contingit*, il secondo, *n.*14. *de sentent. excom.* Grass. *dicto effect.* 1. *num.* 909. Ricc. *in prax. for. ecclesiast. resolut.*529. *n.*5.

CANONIS PRIVILEGIVM. Secundum priuilegium, quod competit Clericis coniugatis est priuilegium *can. si quis suadente*, 17. *quæst.*4. quod est inductum ex consuetudine Ecclesiæ Fagn. *in cap. perpendimus*, *n.* 9. *de sent. excom.* vnde non conceditur ratione ordinis, cum sit datum etiam Conuersis laicis, & Nouitijs, qui tamen ordines non habent, *cap. non dubium*, 5. *de sent. excomm.* & pluribus alijs conceditur, vt per Squillan.

de

de priuil. clerical. cap.6. per totum. In hoc priuilegio, etiam distinguuntur Clerici coniugati à cæteris, quia à coniugatis deperditur per non vsum tantum habitus clericalis, vt ex Bonifacio VIII. in citato *cap. vn. in princ.* ibi, *si & vestes deferant Clericales priuilegium retineant Canonis*. à Clericis autem in minoribus seù beneficiatis, vltra non vsum, trinæ monitiones sunt præmittendæ, Fagn. *in cap. contingit*, il secondo, *n. 2. de sent. excom.* & Bonacin. *de octauo precepto decal. disput.* 10. *quæst.* 2. *punt.*2. *§.*4. *n.*22.

Oppones. Priuilegium fori competit Clerico de iure diuino, Fagn. *in cap. ad audientiam*, *n.*126. *de rescript.* & priuilegium canonis ex consuetudine, Idem *in dicto cap. perpendimus*, *n.* 9. sed Clericus in minoribus non beneficiatus, qui non incedit in habitu perdit priuilegium fori, non præmissis trinis monitionibus; ergo à fortiori perdit priuilegium canonis.

Respondetur negando consequentiam, quia Concilium *in dicto cap.6.* solum denegat Clerico non deferenti habitum priuilegium fori, & cum dicta dispositio sit odiosa, non extenditur ad priuilegium canonis, nam si Concilium illud voluisset, vtique dixisset. Tùm quia ex hoc, quod Clerici supponantur foro laicali, nulla infertur iniuria, neque Ordini Clericali, cum authoritate Canonum supponantur, neque ipsis personis, quæ iure meritò iustitiæ subijciuntur, alias si manerent exemptæ à sæculari potestate, sumerent ansam delinquendi, quæ rationes non militant in concessione, vel denegatione priuilegij canonis, quia hoc concessum fuit fauore Cleri, & refrenat laicos ab inferendis iniurijs Clericis, quibus infensi essent, si illo priuarentur, & id interdum contingeret absque culpa, Fagnan. *in cap. si quis*, *num.* 72. *&* 73. *de for. compet.* Bonacin. *dicta disput.* 10. *quæst.*11. *pun.*2. *§.*4. *n.*22. ver. respondeo, & P. del Bene, *par.*1. *cap.*2. *dubit.*4. *sect.*3. *n.*31.

EXEMPTIONIS PRIVILEGIVM. Aliud principale priuilegium, quo gaudent Clerici est exemptionis ab oneribus laicalibus, quæ onera sunt diuersi generis; alia enim sunt personalia, quædam realia, & quædam mixta, & sicuti sunt diuersi generis, ita diuersimodè nuncupatur; sicque quandoque appellantur collecta, quandoque gabella, quandoque pedagium, & quandoque tributum, munus, & vectigal, quæ omnia, licet videantur diuersa, nihilominus Clerici ab his de omni iure sunt

exem-

exempti, nempè de iure diuino *in Genesi*, *cap.* 47. vbi Ægyptij omnes terras Pharaonis colentes ex decreto Ioseph eam partem fructuum soluere tenebantur, sola portione Sacerdotum libera, & exempta remanente; de iure Canonico, *cap. clericis*, *3. de immunit. ecclesiast. in 6. & Clem. præsenti, de censi. & exaction.* Item de iure Ciuili, *l. placet* 5. *C. de sacrosf. eccles.* & magis latè Fagnan. *in cap. non minus*, *num* 4. *de immunit. ecclesiast.* & Iul. Chartar. *eod. tract. part.* 2. *num* 44. *& sequen.* Qua exemptione fruuntur etiam illi Clerici, qui dimisso habitu Clericali se immiscent negotijs sæcularibus, nisi ter moniti à negotiatione abstineant, Fagn. *in cap. contingit*, il secondo *n.* 11. *de sentent. excomm.* vnde à Sacr. Congregatione super immunitate ecclesiastica decisum fuit, sub die 13. iunij 1640. in vna Florentina, ibi. *Sacra &c. respondit requisita Sac. Concilij cap. 6. sess. 23. de reformat. non requiri, nisi respectu priuilegij fori ab ipsis Clericis allegati, secus verò respectu exemptionis à gabellis pro qua sufficit solus character clericalis*, lib. 3. Decretorum Paul. fol. 119. à tergo, & sub die 27. februarij 1646. in vna Fanen. ibi. *Sacra &c. censuit, oratores ex solo charactere Clericali, etiam si non habeant alia requisita in cap. 6. sess. 23. de reformat. gaudere debere exemptione, & immunitate ab impositionibus*, lib. 3. Decretorum Paul. fol. 272.

Explicantur nunc prædictæ species onerum laicalium Onus personale dicitur iusta exactio à personis, siue capitibus singulis sine ordine ad bona patrimonij, *l. plebs*, 1. *C de capitatione ciuium, lib.* 11. vel est id, quod soluitur ex rebus ratione personæ, vt est tributum soluendum Principi sæculari, quod conuenit rebus propter personas, quæ sub Principis iurisdictione existentes lege tributi obligari possunt, P. del Bene *dicta parte* 1. *cap.* 5. *dubit.* 4. *n.* 3 *& dubit.* 6. *n* 8. & hæc vtique cum sint verè personalia ad personas non subditas cum ipsis bonis non transeunt, Alex. Sperel. *decis.* 35. *num.* 7. *&* 8. nam sicut priuilegium non extenditur de persona ad personam, etiam ex maioritate rationis Fagnan. *in cap ne pro dilatione*, *n.* 32. *de pœnitent. & remiss.* à fortiori non extenditur onus personale, cum simus in odiosis.

Personalia onera subdiuiduntur in plures species. Alia dicuntur angaria, & sunt obsequia personalia proprijs sumptibus præstita, & hæc dicuntur munus purum, & merè personale. Alia perangaria, vt quando persona seruit sumptibus alienis, & hæc

hæc sunt munus mixtum. Alia dicuntur sordida, vt calcis coquendæ, *l. maximarum*, 13. *C. de excusat. muner. lib.* 10. quibus speciebus onerum Ecclesiæ, & ecclesiasticæ personæ non sunt affligendæ, Fagn. *in cap. non minus, nu.* 5. *de immun. eccles.* qua exemptione gaudent etiam Clerici coniugati, quod pluries resolutum fuit à Sac. Congreg. super immunitate ecclesiastica, vt sub die 21. Martij 1646. in vna Meliuitana ad instantiam Magni Magistri, ibi, Sacra &c. *censuit Clericos coniugatos de iure communi gaudere priuilegio exemptionis ab oneribus & seruitijs personalibus, & militaribus, ac propterea &c.* lib. 3. Decretorum Paul. fol. 276. Item die 24 Aprilis 1646. Nuscana, Sacra &c. respondit *Oratores Clericos coniugatos nō teneri pro oneribus personalibus*, lib. 3. Decretorum. Paul. fol. 279. à tergò.

Onera realia, alia sunt ordinaria seù patrimonialia, alia extraordinaria. Ordinaria sunt, quæ inhærent rebus, seù possessionibus secundum se, & ab his Ecclesiastici non eximuntur, dummodò duo copulatiuè concurrant. Primò, vt onera sint merè realia, idest ipsis fundis infixa, & bonis propter bona, non autem propter personas imposita; & secundò, vt sint certa perpetua, & inuariabilia, non autem ex aliquibus vrgentijs imposita, & in his terminis procedit vulgata regula, *bona transire cum onere suo*, Regens de Marin. *resolut. iur. lib.* 1. *cap.* 47. *nu.* 115. & P. del Bene *di Ia par.* 1. *cap.* 5. *dubit.* 6. *nu.* 1. si verò, vel non sint verè realia, vel non sint perpetua, & inuariabilia, intrat alia regula *mutatione personæ, mutari & bona*, pro quo est egregius *tex. in cap. vn. de iure patr. in* 6. & latè *decis* 35. *num.* 2. *penes Sperell.*

Munera extraordinaria sunt, quæ per accidens & extra ordinem propter publicam vtilitatem imponuntur, vt ad instructionem pontium, & viarum, ad quæ Ecclesiastici non tenentur *cap. non minus*, 4. *cap. aduersus*, 7. *de immun. eccles.* & Fagn. *in cap. licet nu.* 29. & 30 *de censib.* quia laicis propriè incumbit subire munera, & onera Reipublicæ temporalia, personæ autem Ecclesiasticæ, & bona ecclesiasticorum deseruire debent ad finem spiritualem, P. del Bene, *d. dubit.* 6. *nu.* 22.

Hinc est, quod Clerici neque spontè possunt soluere gabellas impositas à sæculari potestate, Grass. *de effect. cleric. effect.* 3. *nu.* 94. & ita decisum fuit per Sac. Congreg. immunitatis, sub die 31. Maij 1639. in vna Placentina, Sacra &c. *ad primum respondit Abbatem, Capitulum, Rectores, & Cappellanos Diæcesis Placentinæ esse exem-*

exemptos à gabellis laicalibus. Ad secundum per supradictos etiam sponte non posse illas solui absque præcedenti Sedis Apostolicæ beneplacito. Ad tertium teneri eos, qui exegerunt ad restitutionem, lib.3. Decretorum Paul.fol.93.

Possunt autem Ecclesiastici subuenire laicis, & contribuere oneribus laicalibus extraordinariis, si copulatiuè infrascripta requisita concurrant. Primò deliberatio Episcopi, & Cleri. ita ut sede vacante Vicarius Capitularis cum Clero non supplet consensum Episcopi ad hoc vt Ecclesiastici grauentur gabellis, & contribuere valeant muneribus laicalibus extraordinarijs, Fagn. *in cap. nouit. n.20. & 21.ne sede vacante*. Secundò, requiritur magna necessitas, vel vtilitas, quæ sit communis, tam laicorum, quam Clericorum. Ter-tiò vt laicorum facultates non suppetant. Quartò, vt contributio fiat sine vlla exactione laicali. Vltimò, vt Romanus Pontifex consulatur,& plenissimè tractat Idem in citato *cap. non minus à n.23. ad fin.* & à Sacr.Congregatione super immunit.ecclesiast dictum fuit, sub die 8. Aprilis, 1636.in vna Nullius Guastalli, *Sacra &c. respondit, Ecclesiasticos non teneri ad contributionem pro refectione arginum, nisi habeant commodum priuatum, & particulare, & tunc pro rata commodi recepti à Iudice ecclesiastico taxandi, alias pro commodo in genere non teneri, nisi concurrentibus requisitis, cap. non minus, & cap. aduersus de immunit. ecclesiastica*, lib.3. Decretorum Paul.fol.2.idem resolutum fuit in vna Mutinen,*sub die 13.Iulij* 1637.lib.3.Decretor.Paul.fol.38.& in vna Tharantina *die* 23. *Martij* 1645. lib.3. Decretor Paul.fol.253. & passim concedi solet beneplacitum Apostolicum verificatis prædictis requisitis, *cap.non minus de immunit.eccles.*

Denique explicantur onera mixta, & dicuntur quæ habent animi, & corporis sollicitudinem annexo sumptu, *l. 1. ff. de muner. & honor.* Dicuntur mixta, quia materialiter sunt onera rerum, & formaliter onera personarum; vel quia imponuntur principaliter personis propter res, ita vt nec persona tantum, nec res tantum sit immediata causa impositionis, sed vtraque simul, Bart. *in l. placet, num.9. 17. & 27. C. de sacros. eccles.* quæ onera mixta vulgo appellantur collectæ. Collecta enim, quæ imponitur per es, & libram de directo eiusdem quantitas respicit rem ipsam,eiusque æstimationem; obligatio tamen, siue vinculum soluendi respicit personam, & hac de causa col-

 lectæ

lectæ nuncupantur onus mixtum, Sperell. *dicta decis. 35. n. 28.* ab his oneribus mixtis Clerici coniugati non eximuntur, nec minus à muneribus extraordinarijs, Ricc. *in prax. resolut.* 253. *n.3.* Bellett. *disquis. cler. part.1. de fauor. cleric. personarum §.8. n.11.* & Grass. *dicto effect.3. n.* 44. imò tenentur ad custodiam murorum non secus, ac laici, Fagn. *in cap. peruenit, n.16. de immun. eccles.*

Limitatur, si ad eorum fauorem concurrat consuetudo non soluendi, quia tunc non tenentur ad illa onera, vt decisum fuit in vna Aprutina à Sac Congregatione super immunitate die 6. Martij 1635. ibi *Sacra &c. respondit ad tertium Clericos coniugatos, & seluagios non gaudere exemptione ab oneribus realibus, nisi succedant loco personalium, vel ad illorum fauorem concurrat legitima consuetudo*. lib.2. Decretorum Paul. fol. 218. & die 20. martij 1661. in vna Castellaneten. ibi *Sacra &c. ad quartum, Clericos coniugatos teneri ad solutionem onerum sæcularium, nisi ad illorum fauorem adsit legitima consuetudo*, lib. Decretorum R.P.D. Roccij fol 391.

An, & quando Clerici coniugati cognoscere valeant causas spirituales, vel quasi. Ratio dubitandi originem habet ex tex. *in cap. vn. de cleric. coniugat. in 6.* vbi Clericus coniugatus, exceptis priuilegio fori, & Canonis si quis suadente Diabolo, in cæteris tanquam denudatus priuilegijs Clericalibus æquiparatur laicis, Ricc. *in prax. resolut.* 253. *n.4.* & hac de causa non potest esse Vicarius Episcopi, Iacob. Sbroz. *de vicar. episcopi lib.1. cap.31. n.8.* intellige in spiritualibus, quia in temporalibus potest esse Vicarius, Fagn. *in cap. Ioannes, n. 3. de cleric. coniugatis*.

Aduerte, quod illud verbum *cognoscere* refertur ad potestatem iurisdictionis, quæ secūdum Bolognnett. *in rubr. ff. de offic. eius, n.9.* ita definitur, *est potestas de publico introducta ius dicendi, & æquitatis statuendæ*, ac multiplex est. Primo alia est ordinaria, alia delegata.

Ordinaria iurisdictio dicitur, *quæ à lege datur, & descendit*, vnde Iudex ordinarius est, qui iurisdictionem habet ipso iure à nemine demandatam, *l. more maiorum, 5. ff. de iurisdictione omnium iudicum*, & dicitur perpetua, quia adhuc mortuo concedente permanet. Hinc est quod Legati iurisdictio, vtpotè ordinaria morte Sum. Pontificis non expirat, *cap. legatus*

rus 2. *de offic. legat. in* 6. & Barbos. *de offic. & potest. episc. par*. 3. *allegat*. 54. *n*. 35.

Iurisdictio delegata est illa, *quæ alicui competit ex delegatione ab homine iurisdictionem ordinariam habente*, & hæc morte delegantis re integra finitur, *cap. relatum*, 19. *de offic. & potest. iudic. delegat.* idem est, quando delegatus legitimè subdelegauit, & re integra decessit, *cap. si delegatus*, 7. *eod. in* 6. quando autem dicatur res integra, singillatim adducitur per Paulum Squillan. *de priuileg. clerical. cap*. 2. *dubit*. 10. *n*. 93.

Diuiditur secundò, alia dicitur spiritualis, alia temporalis. Iurisdictio spiritualis consistit in excommunicando, sacramentis administrandis, beneficijs conferendis, & similibus, Azor. *instit. moral. part*. 2. *lib*. 7. *cap*. 45. *quæsit*. 7. *ver. temporalis*.

Temporalis etiam subdiuiditur alia iudiciaria, alia extraiudiciaria. Iudiciaria est quando Vicarius V. G. pleno iure habet potestatem, & iurisdictionem temporalem quoad merum, & mixtum imperium, *cap. cum contigat*, 13. *& cap. conquestus*, 16. *de foro compet.* Imperium enim *est iurisdictio, quæ officio Iudicis nobili, vel per accusationem expeditur publicam vtilitatem respiciens*, Bolognett. *in l. imperium*, *n*. 58. *ff. de iurisdict. omnium iudic.* Hinc est, quod concessa iurisdictione in genere cum signo vniuersali merum, & mixtum imperium concessa censeri, Fontanell. *de pact. nuptialibus tom*. 1. *claus*. 4. *gloss*. 14. *num*. 5. *& sequen.* vnde hodie vnaquæque Ciuitas Italiæ habet Officialem cum mero, & mixto imperio, Bolognett. *in d. l. imperium*, *n*. 65. Temporalis extraiudiciaria consistit, vt possit bona Ecclesiæ locare, alienare, permutare, census, reditus & pensiones colligere, *cap. si quis presbyterorum*, 6. *de rebus ecclesiast. non alien. & cap. vestra*, 2. *de locato*.

Aduerte, quod iurisdictio spiritualis est maior temporali, vnde Iudex animarum dignior est Iudice corporis, ac supplere potest negligentiam Iudicis sæcularis, Graff. *de effect. clericat. in prælud. num*. 386. *&* 387. ac ad inducendam spiritualem iurisdictionem non est necessaria temporalitatis vnio, sicque iurisdictio Episcopi inducitur absque temporalitate ex iuris assistentia quam habet super Ecclesia, & Ecclesiasticis suæ Diœcesis, Bellett. *disquis. cleric. part*. 1. *de iurisdict. abbat.* S. *Michaelis*, §. *vn. num*. 16.

Diuiditur vltimò in voluntariam, & contenti osam, prima exercetur in volentes, vt est ordinatio, consecratio, & similia, quæ sine causæ cognitione decernuntur, Barbos. *de offic. & potest. episcopi par. 3. allegat. 126. num. 5.* & hæc ad differentiam contentiosæ iurisdictionis exerceri potest extra territorium, *l. fin. ff. de iurisdict. omn. iudic.* ac etiam in die festo, Fontanell. *dicta claus. 4. gloss 10 part. 1. num. 107. & 112.* Contentiosa redditur in inuitos, & cum causæ cognitione, Marant. *in prax. iudiciar. part. 4. distin. 18. n. 1.*

Nota, quod potestas ecclesiastica, quando exercetur in Clericos dicitur merè spiritualis, & hæc spiritualitas venit à Deo mediante impressione characteris clericalis; quando enim exercetur in sæculares se habet sicut spiritus ad carnem, spiritus enim non impedit actiones, cum bene se habeant, eam tamen regit, aliquando cohibet, & quandoque excitat, Alex. Sperell. *decis. 123. num. 10.*

Diuersimodè tamen dicta potestas exercetur in laicos subditos in spiritualibus & temporalibus; & in laicos subditos in spiritualibus tantum. Primò casu Episcopus exercere potest iurisdictionem in genere sumptam. Secundò verò subdistingue, aut agitur de delictis pertinentibus ad forum ecclesiasticum, & tunc Episcopo tribuitur facultas procedendi contra laicos, siue cum censuris, siue cum alijs pœnis, non solum per sacros Canones, sed etiam per leges Regias, & Imperiales, Fagn. *in cap. peruenit, num. 11. & 25. de adulter.* Vel agitur de criminibus mixti fori, & est locus præuentioni inter Iudicem ecclesiasticum, & sæcularem, *Idem in cap. perniciosum, num. 13. de offic. ordin.*

Nota vltimò pro explicatione vltimi verbi quæsiti propositi, quod res spirituales sunt in triplici differentia, quædam sunt merè ecclesiasticæ, vt sunt causæ de sacramentis, ordinibus, & similibus; quædam sunt eiusdem naturæ, vt sunt causæ excommunicationis, hæresis, & simoniæ, & in his Iudex sæcularis non potest se intromittere, neque principaliter, neque incidenter, Graff. *dicto effect. 1. num. 403. in fin.* Aliæ dicuntur res spirituales, quæ licet sint tales, nihilominus potest aliquando Iudex laicus de eis cognoscere, vt est in causa vsurarum, vel periurij, cum hac distinctione, aut in his cadit quæstio iuris, vel quæstio facti. Quæstio iuris dicitur, quando partes sunt

con-

concordes circa factum, & dumtaxat dubitatur circa ius, vtrum factum illud legitimè interuenerit, Cynus *in l. arethusa*, *num. 6. ff. de stat. homin.* Quæstio facti est quando partes sunt concordes circa ius, & tantum dubitatur circa factum, an scilicet aliquid factum extiterit nec ne, Bart. *in l. titia*, *n. 8. ff. solut. matrim.* Si quæstio sit iuris, erit terminanda per Iudicem ecclesiasticum, idem est quando esset mixta, nempe iuris & facti, quia tali casu maius dignum trahit ad se minus dignum, Graff. *dicto effect.* 1 *num.* 407. nè continentia causæ diuidatur, & hic est casus tex. *in cap. si iudex laicus*, 12, *de sent. excommunic. in 6.* Si quæstio sit facti, puta an sit commissum tale quid, ex quo crimen vsurarum fundatur, & videtur distinguendum, aut agitur illa quæstio inter Clericos, & priuatiuè spectat ad Iudicem ecclesiasticum, ex quo nullo modo Iudex laicus ius dicere potest inter eos, vt supra probatum est; aut agitur inter laicos, & iterum distingue, vel re integra laicus Iudex fuit inhibitus à Iudice ecclesiastico, & nullatenus de ea cognoscere valet, Sperell. *decis.* 8. *num.* 56. *decis.* 133. *num.* 11. Graff. *dicto effectu* 1. *num.* 404. Aut non fuit inhibitus re integra, & tunc incidenter potest cognoscere illam quæstionem de facto, maximè quando factum est ab omni spiritualitate abstractum, vt est cum disputatur de qualitate fructuum decimalium eligendorum, Felin. *in cap. causam*, *num.* 15. *de præscript.* Stephan. Gratian. *discept. forens. cap.* 238. *num.* 9. Afflict. *decis.* 24. *num.* 9.

Insuper aduerte, quod aut Clericus coniugatus processit, tanquam Delegatus à Papa ad cognitionem rei spiritualis, & cessat omne dubium, quia Papa potest laico concedere facultatem cognoscendi spiritualia, Bellett. *disquis. clerical. part.* 1. *de fauor. cleric. person.* §. 1. *num.* 37. & P. del Bene, vbi supra *part.* 1. *cap.* 5. *dubit.* 14. *sect.* 7. dixi *Papa*, quia hæc prohibitio laicis est Concilij generalis, & solus Papa, & non inferior potest illud violare, Fagn. *in cap. contingit*, *n.* 6. *de arbitr.* hinc est posse laicum esse Vicarium Episcopi mediante dispensatione Summi Pontificis, Barbos. *de offic. & potest. episcopi*, *part.* 3. *allegat.* 54. *num.* 10. *in fin.* & Sbroz. *de offic. vicar. lib.* 1. *quæst.* 31. *num.* 13.

Aut simpliciter deputatus fuit à Romano Pontifice in Tribunali prætorio, vel Congregatione, quæ constant ex Clericis, & laicis, & potest cognoscere simpliciter causas Ecclesiastico-

rum

rum in spiritualibus & in temporalibus; ratio est, quia illorum iurisdictio originem habet à Principe Ecclesiastico, qui spiritualium est capax. Tum quia, ratione vnius Clerici possunt, & cæteri Collegæ, etiam laici super his causis iudicare, secus est si illorum Iudicum potestas fluxerit à Rege, vel Imperatore, quia in spiritualibus, nullum habent ius, & potestatem, & ita distinguit Azor. *instit. moral. part.1. lib.7. cap.36. quæst.* 2. Rebuff. *in tract. de decimis quæst.*10. *num.* 36. Moneta *eodem tract. cap.*8. *quæst*, 2. *num.*4.

Oppones. Papa duplicem repræsentat personam, nempe Principis Ecclesiastici, & Principis temporalis, Abb. *in cap. cum inter vniuersas*, 18. *num.* 6. *de elect.* sed in spiritualibus dicitur Pontifex, & in temporalibus Rex; ergo sicut laicus deputatus à Rege nullam habet iurisdictionem in spiritualibus, à pari quando est deputatus à Papa, vel è contra.

Respondetur nego consequentiam, & suppositum, nam commissio facta ab habente duplicem dignitatem censetur facta nomine eius dignitatis, quæ facit actum valere, etiam si illa expressa fuerit per dictionem, & cet. Fagn. *in cap. ex parte, n.* 38. *de arbitr.* Tum quia non obstat neque defectus potentiæ, neque voluntatis, quod secus est in Rege, vel Imperatore propter incapacitatem, quam habent in rebus spiritualibus. Hinc est quod statutum laicale simpliciter confirmatum à Papa non comprehendit personas ecclesiasticas, & casus iuratos, quia ad hoc vt comprehenderentur ecclesiastici requirebatur specialis nominatio, qua non facta censetur vti temporali, & non spirituali potestate, sicque obstat defectus voluntatis, & ita resolutum fuit per Rot. *in decis.* 682. *num.* 25. 26. *&* 27. *part.*4. *tom.*3. Recen. *& decis.*901. *num.*4. *&* 5. apud Merlin.

Insurgit aliud quæsitum, an compromissum factum in Clericum coniugatum de rebus spiritualibus valeat, & necesse est videre, an illi data sit facultas Arbitri dumtaxat, vel Arbitratoris tantum, vel Arbitri, & Arbitratoris simul.

Primò casu, iterum distingue, aut compromissum factum est in laicum vel Clericum coniugatum authoritate Romani Pontificis, vel authoritate Episcopi; si factum sit authoritate Papæ proculdubio ex adductis valet, Gloss. *in cap. contingit*, 8. *ver. spiritualibus, de arbitr.* Si sit de mandato Episcopi, iterum distingue, aut factum fuit simpliciter in laicum, & non

va-

valet, quia nullus inferior à Papa potest authorizare, vt de iure spirituali in laicum compromittatur, *dicto cap. contingit*. Aut factum fuit in Clericum, & laicum, & valet, quia Clericus associatus laico facit laicum capacem illius actus, quem exercere non posset, quoniam trahit & non trahitur, & hic est casus tex. *in cap. per tuas*, vbi Abb. *n.* 3. *de arbitris* Felin. *in cap.* 2. *num.* 8. *de iudic.* & Bellett. *dicta part.* 1. *de fauor. clerical. real.* §. 2. *n.* 7.

Multo magis valeret compromissum in laicum, si esset de re temporali Ecclesiæ, vel personarum ecclesiasticarum, quia tex. *in dicto cap. contingit, verb. spiritualibus*, & ibi Glos. prohibet expresè fieri compromissum in laicum de re spirituali, & quod de vno prohibetur de altero conceditur, *cap. qualis.* 4. *in medio, distinct.* 25. iuncto *cap. non ne*, 5. *de præsumpt.*

Oppones ex *l. pedius*, 7. §. *fin. ff. de receptis arbitr.* per quem habetur, quod in seruum, & liberum non potest fieri compromissum, *& per Glos. ibidem in verb.* Nullum, vtile per inutile vitiari; ergo à pari in laicum, & Clericum authoritate Episcopi compromissum cum facultate Arbitri fieri non potest.

Respondetur nego consequentiam, & paritatem, quia seruus est incapax compromissi, & mixtura habilis, non facit ipsum habilem & capacem, laicus enim non est incapax compromissi de re spirituali, sed solum prohibetur propter quamdam indecentiam, vt colligitur ex verbis tex. *in dicto cap. contingit*, ibi. *Quia non decet, vt laicus in talibus arbitretur*; etenim *non decet* ostendit quod laicus prohibetur non ratione incapacitatis, sed ratione indecentiæ, quæ satis conseruatur ex mixtura Clerici cum authoritate Episcopi.

Nec obstare videtur tex. *in cap. massana*, 56. *de elect.* per quem habetur, quod laicus per mixturam Clerici non efficitur capax rei spiritualis, quia arbitrium de re spirituali non est actus spiritualis, Abb. *in dicto cap. per tuas, num.* 3.

Contra, qui non potest esse Iudex, non potest esse Arbiter, *l. cum lege*, 46. *de recept. arbitr.* ergo sicut laicus non potest esse Iudex de re spirituali neque simul cum Clerico potest esse Arbiter.

Respondetur, quod tex. præcitatus procederet, quando laicus seorsim à Clerico consideratur, tunc enim certum est non valere compromissum de re spirituali in laicum tantum, verum pro-

propter mixturam Clerici dispar militat ratio ex adductis.

Secundò casu. Si factum sit compromissum de re spirituali in laicum, & tanquam in Arbitratorem, seu amicabilem compromissorem, vel est de iure & de facto, ita vt liceat arbitratori controuersiam dirimere pro libito suæ voluntatis, & manifestum est hoc compromissum non valere, quia compromissum de iure, & de facto alienationem includit, vnde quæ alienari non possunt, vt res Ecclesiæ, & iura spiritualia, nec de facto possunt compromitti, Gloss. *in cap. peruenit*, 3. *de arbitr.* Authen. *si vero C. de iudic.* & Fagn. *in cap. non sine*, *n.* 10. *de arbitr.*

Aut est de iure tantum, ita vt teneatur controuersiam amicabiliter decidere, & componere tanquam vir probus, & declarare cui ex compromittentibus res de iure debeatur; & in hoc DD. non conueniunt, verum communior opinio est valere, Felin. *in cap. cum sit generale*, *num.* 3. *de foro competenti*, & Bellett. *disquisit. clerical. part.* 1. *de fauor. cleric. resl.* §. 2. *nu.* 72. ratio est, quia arbitramẽtum non dicitur nec sententia, nec quasi sententia, sed implementum compromissi; & Arbitrator eligitur, vt sine ordine iudiciario dicat, quod sibi videatur, & amicabiliter partes componat, Abb. *in cap. quintuallis*, *n.* 9. *de iur. iur.* & Fagn. *in cap. contingit*, *n.* 20. *de arbitr.* his ponderatis, ratio indecentiæ, quæ militat in Arbitro ex *dicto cap. contingit*, cessat in Arbitratore.

Vltimò, aut compromissum factum de re spirituali in Clericum coniugatum, siue laicum est cum facultate Arbitri, & Arbitratoris pœna adiecta, vt communiter fieri solet, & valet, quia semper compromissum est sumendum eo iure, quo melius valere potest, ne actus pereat, *cap. Abbate*, 25. *de verb. signif.* tum quia in materia diuidua, vtile per inutile non vitiatur, *cap. vtile*, 37. *de reg. iur. in* 6.

Alla Sacra Congreg. dell'immun. ecclesiast. per Felice Via. Emin. e Reuerendissimi Signori. Il Sacerdote Felice Via humilmente supplica l'EE. VV. concedergli licenza di poter allegare li sopradetti Decreti &c.

Supradicta Decreta facta collatione inuenta sunt concordare cum suis originalib. existentib. in Regiſtis S. Congreg. immun. eccles. & super controuersijs iurisdictionalib. in quorum fidem &c. Datum Romæ die 4. Maij, 1669. M. Cardinalis Ginnettus. I. Patriarcha Antiochiæ Secretarius. *Locus sigilli.*

De

De Clericis non Residentibus.

Titulus XXXI.

Quid sit Residentia, quo iure sit introducta, quas personas obliget, sub qua pœna, de an & quãdo beneficiati excusentur ab onere residendi.

QVID SIT. Residentia ita definitur, *est Clerici in Ecclesia tenentis beneficium cum voluntate debiti præstandi seruitij, præsentia*. Dixi *cum voluntate*, quia parum esset præsentiam sui exhibere, & seruitium negligere, *cap. extirpanda*, 30. *de præbendis*. Cum beneficia Ecclesiastica instituta sint diuini officij explendi causa, rectè à sacris Canonibus sancitum est, vt nullus ad beneficium ecclesiasticum assumatur, nisi qui in loco beneficij residere, & per se deseruire possit, *cap. 3. & 4. hoc tit.* & non residentes ex minus iusta causa appellare prohibentur à priuationis Decreto, *dicto cap.4. eodem*.

DE QVO IVRE, QVAS PERSONAS, ET SVB QVA PŒNA OBLIGET. Quod præceptum residentiæ in beneficijs curatis est de iure diuino, Fagn. *in cap. ex parte, num.68. eod.* in beneficijs verò non curatis est de iure positiuo, Idem *in cap. extirpanda, §. qui vero, num.* 28. *de præbendis*, vnde residentiam non faciens in beneficio, etiam modicæ æxtimationis, illo priuari debet; & quia hoc onus residendi est onus personale per alium impleri non potest, Fagn. *in dicto cap. conquærente, num.1. & 13.* ad quod præceptũ tenentur Episcopi, Canonici, Curati, & alij constituti in dignitate, iuxta Trid. *sess.*24. *de reformat. cap.* 12 qui ob non residentiam puniuntur ad formam S. Concilij, *dicto cap.*12. *§. præterea*, vbi vltimò loco ponitur pæna priuationis beneficij, de qua priuatione & modo priuandi plenè tractat Rota *in recen. decis.593. num.1. part.1. & decis.*137. *num.1. par.*3. ratio est, quia ex non residentia nonnulla mala sequi manifestũm est. Primò sæculares efficiuntur irreuerentes. Secundò perit doctrinæ puritas. & Tertiò pauperes nimis patiuntur. Ad quæ vitanda coguntur beneficiati ad residendum.

EX QVIBVS CAVSIS EXCVSENTVR. A' quo onere residentiæ excusantur illi qui absunt pro seruitio Pontificis, vel Episcopi, aut Ecclesiæ, *cap. cum dilectus*, 14. *& cap. ad audientiam*, 15. *eod.* Vel si morbo impediatur, *cap.* 1. *de cler. agrotan.* Vel causa studiorum, *cap. tua fraternitatis*, 12. *hoc tit.* vel si sit excommunicatus aut carceratus iniustè, Gratian. *disceptat. foren. cap.* 591. *num.* 49. & latè de prædictis causis, & alijs tractat August. Barbos. *de off. & potest. Episcopi*, *par.* 3. *allegat.* 53. *num.* 159. *& sequentes.*

Quæ causæ suffragantur ad collectionem fructuum beneficiorum, non autem distributionum quotidianarum, exceptis casibus expressis in iure, *cap. de cætero*, 7. *hoc tit.*

De vita, & honestate Clericorum & Prælatorum.

Titulus XXXII.

Explicantur termini quibus componitur titulus, breuiter numerantur requisita boni Prælati, & spectantia ad mores, habitum, & officia Clericorum.

VITA. Explicatur igitur illud verbum *Vita*, quæ triplex est prima dicitur vita naturæ, & perdurat mediante cibo & potu; alia est vita gratiæ, qua quis moritur vitijs, & viuit Deo per opera bona; & alia est vita disciplinæ, quæ est modus, & ordo secundum quem quis viuere debet. Hæc subdiuiditur, alia dicitur contemplatiua, & alia actiua; contemplatiua est quæ efficitur in sola Dei contemplatione, vt per Fagn. *in cap. nisi cum pridem*, *n.* 10. *de renunciat.* Actiua denique est quæ operatur in operibus iustitiæ, & vtilitate proximi, quæ est fructuosior, quam contemplatiua, Fagn. *in cap. licet*, *num.* 17. & *in cap. sanè*, *num.* 9. *&* 40. *de regular.*

HONESTAS. Illud verbum *honestas*, dupliciter sumitur, vel prout est contraria turpitudini, & duplex est exterior, & ordinatur exterioribus actibus congruentibus cum virtute; & interior quæ continetur sub cordis sinceritate, patientia, alijsque

que virtutibus theologicis, & intellectualibus, Analys. *iuris pontificij, hoc tit. in principio*; denique vel sumitur honestas, prout est apparatus diuitiarum, iuxta illud Sapien. X. *honestauit in laboribus suis*, idest ditauit illum in labore quo seruiuit.

PRÆLATI. Dixi *Clericorum*, & de his actum est supra. Dixi *Prælatorum*; Prælati enim dupliciter sumuntur largè, & strictè; largè comprehendunt sub se, etiam Clericos habentes simplicem curam, Fagn. *in cap. cum ab ecclesiarum, n.6. de offic. ordin.* & *in cap. relatum, n.6. de cler. non residen.* strictè verò comprehendunt habentes iurisdictionem contentiosam, Fagn. *in dicto cap. relatum, n.8.*

In præsenti titulo solum agimus de vita disciplinæ, de honestate contraria turpitudini, de Clericis, & de Prælatis vtroque modo sumptis. Illis expositis, vnico verbo resoluitur titulus cum auctor. Apost. 1. ad Timoth. 3. *Episcopum oportet esse irreprehensibilem in exemplo*, scilicet operum, *& doctrina*, scilicet verborum, latius requisita boni Prælati enumerat, & explicat Barbos. *de iure ecclesiast. lib.1. cap.10.n.3. & sequen.* Lancell. *institut. can. hoc tit. per tot.* de quibus aliqua adducuntur.

PRÆLATORVM REQVISITA. Primò habere debet illas duas præclaras virtutes iustitiam, & mansuetudinem, & apud se viros boni testimonij, tam circa castitatem & bonos mores, quam circa fidem, *cap. cum pastoris, 2. quæst. 7.* imò eos instruere tenetur, Triden. *sess.2 cap. vn.* nec non vitare debet litigia, *cap.1. distin.46.* & *cap. episcopus, 3. dist. 88.* Ex rebus Ecclesiæ ditare non potest consanguineos, & familiares, Triden. *sess. 24. de reformat. cap. 1.* iuncto *cap. res ecclesiæ, 12. quæst. 1.* Honorare tenetur Clericos, nam Episcopus est Sacerdos, & non Dominus, & Clerici sunt fratres, & non serui, vnde si Prælatus non seruet reuerentiam subdito, subditus eam Prælato seruare non tenetur, Gloss. *in cap. cum beatus, 8. ve. sic. subtrahit. distin.45.* & *cap. esto, 7. dist.95.*

Regulæ benè formandi vitam, & mores Clericorum sunt plures. Prima, vt extra matrimonium seruent castitatem, *cap. diaconus, 1. §. hac auctoritate, distin.27.* Secunda, vt non sint crapulosi, vel ebriosi, Fagn. *in cap. à crapula, num. 1. & seq. hoc tit.* Vltima, nè ludant ad aleas, vel taxillos, *cap. clerici, 1. de vita, & honest. cler.* & *cap. clerici, 4. distin.44.*

Regulæ de habitu corporis, & vestitu sunt duæ. Prima, sit ornatus vestibus, & grauitate itineris, quibus mediantibus ostendat mentis maturitatem, *cap. clericus*, 8. *distin*.41. Secunda, ne comam, & barbam nutriat, *Clemen. fin. eod. titulo*.

CLERICORVM REQVISITA. Denique regulæ concernentes officia, & negotia Clericorum sunt plures. Prima, non exerceant officia sæcularia, & præsertim inhonesta, *cap. clerici*, 15. *eod.* non debent proferre sententiam sanguinis, *cap. sententia*, 9. *nè cler. vel mon.* item compelluntur desistere ab officio tabellionatus, *cap. sicut*, 8. *ne cler. vel mon.* insuper prohibentur lucri causa negotiare, *cap.* 2. *citato titulo*; Vltimò, alijs omissis, in sacris constitutis prohibitæ sunt venationes, *cap. omnibus*, 2. *de cler. venerator.*

Communia, tam maiorum, quam minorum ordinum.

Titulus XXXIII.

Quatuor sunt æqualiter communia, tam maioribus, quam minoribus ordinibus, nempè baptismus, examen, collatio ordinum, & reuerentia.

PRIMVM. Baptismus est necessarius ordinando, alias non imprimitur character cum deficiat fundamentum, *cap. cum Paulus*, 1. *quæst.* 1.

SECVNDVM. Examen est etiam æqualiter commune, & præcedere debet ante collationem ordinum, *cap. nullus*, 2. & *cap. Episcopi*, 4. §. *itaque dist.* 24. & quamuis sit faciendum ab Episcopo dimissorias concedente, non autem ab Ordinante, tamen si Episcopus alienus sciret illum esse criminosum peccaret ordinando, Fagn. *in cap. cum secundum*, *n.* 59. *de prabendis*. Examinatores caueant fauoris gratia, aut cupiditate alicuius lucri approbare non idoneum, quia in pœnam priuabuntur ecclesiastica dignitate, & Ordinatus remouetur ab altari, *cap. quando* 5. *vers. ipsi autem*, *dist.* 24. imò Ordinandus tenetur prodere impedimentum suum, alias amoueri debet à beneficio post ordi-

ordinationem obtento. Fagn. *in cap. quaris, num. 36. de atate, & qualit.* & si sit criminosus criminis maioris deponi, *cap. quando, 5. & cap. fin. dist. 24.* verum si sit criminosus criminis minoris, nō deponatur, sed imponatur pænitentia salutari, Gloss. *in cap. si quis presbyter, 7. dist. 24. cap. 1. dist. 68. & cap. presbyter 12. dist. 82.*

TERTIVM. Collatio ordinum est facienda in die Sabati quatuor temporum, intelligē de maioribus, quia minores possunt conferri in alijs diebus, Abb. *in cap. litteras, num. 3. de tempor. ordinat.* limitatur in ordine Episcopatus, quia in die dominico confertur, & idem in sacris ordinibus quando conferuntur à Pontifice, *cap. de eo*, & Abb. *in cap. 13. n. 3. de tempor. ordinat.* Omnes ordines sunt conferendi gradatim, & si quis per saltum promoueatur, imprimitur character, sed suspenditur executio, Abb. *in cap. vn. num. 4. & 5. de cler. per saltum*, Vnde si quis exerceat ordinem, quē non habet pæna falsi punitur, Abb. *in cap. si quis, 1. de cler. non ordinat. minist.* Duo ordines maiores, vel vnus minor cum Subdiaconatu in eodem die conferri non possunt sine dispensatione Sum. Pontificis, quia sic Ecclesia iubet, Triden. *sess. 23. cap. 11* Barbos. *de off. & potest. episcopi, allegat. 14. n. 10.*

Tempus seu ætas non est de substantia ordinationis, nam si ordinetur puer ad sacros ordines imprimitur character, sed suspenditur exercitium illius ordinis, vsque quod venit ad legitimam ætatem, & ordinans suspenditur à potestate conferendi illum ordinem, & maiores illius, Abb. *in cap. vel non est compos, n. 2. de tempor. ordinat.* si quis furtiuè ordinem susciplat, suspenditur executio illius ordinis, donec à superiore dispensetur, DD. *in cap. fin. de eo qui ord. furtiuè suscepit.*

QVARTVM. Aduerte vlt. quod constituti in minoribus exhibere tenentur reuerentiam eis, qui præcellunt in officio, *cap. à subdiacono, 5. dist. 93.* Meminerint tamen maiores non esse Dominos, sed diligant & honorent subditos, quia gloria Patris est filius sapiens, *cap. esto, 7. dist. 95.*



De

Qui promoueri non possunt:

Titulus XXXIV.

Ex quatuor causis quis ad ordines promoueri non potest, nempè ratione subiectionis, ratione delicti, ratione suspicionis futuri lapsus, & ob corporis læsionem.

PRIMA. Ratione subiectionis Monachi, & serui cum sint in aliena potestate, non sunt ordinandi sine licentia Abbatis, vel scientia Patroni, *cap. nullus episcoporum*, 1. *dist.* 54.

SECVNDA. Ratione delicti distinguè tres casus, aut delictum est data opera, seù appensatè commissum, & non potest promoueri ad ordines sine Pontificis dispensatione, quæ difficiliter conceditur, *cap. miror*, 4. *dist.* 50. Iterum distingue, aut Occisor est furiosus, vel dormiens, & excusatur, *Clemen. vn. de homic. volunt.* aut Occisosor est sanæ mentis, sed alium interficit ad vitandum periculum mortis, & etiam excusatur Abb. in *cap. interfecisti, in fine, de homicid. volunt.* intelligè, dummodò defensio sit cum moderamine inculpatæ tutelæ, Abb. in *cap. suscepimus*, & in *cap. significasti*, vbi supra. Aut denique ad defensionem bonorum alium interficit, & tunc fit liber à pęna in foro contentioso, non autem à peccato; idem est quando quis interficit vxorem adulteram, & in adulterijs actu repertam in his casibus facilius à Papa dispensatur, Abb. in dicto *cap. interfecisti, nu.* 2. *&* 4. *rod.*

Secundus casus, aut casualiter commisit delictum, & substingue, vel dabat operam rei licitæ, & tunc quia cessat animus occidendi culpa est innoxius, *cap. hi qui arborem*, 43. *dist.* 50. & Abb. in *cap. dilectus, per tot. de homicid.* Aut dabat operam rei illicitæ, & indiget dispensatione Pontificis, *cap. lator*, 9. *& cap. continebitur*, 8. *de homicid.* Ampliatur, etiam quod præter voluntatem secutum sit homicidium, vt si causa ludi cum muliere secutus sit abortus fetus animati, Abb. in *cap. sicut, de homicid.* minimè verò si sit inanimatus. Limita tamen de iure Ciuili, quia dans causam abortui punitur pęna capitis indistinctè, *l. si quis aliquid*, 38. §. *abortioni, ff. de pœnis*.

Vltimus casus est, quando ex præcepto homicidium committitur,

citur, & iterum subdistingue, vel est iustum illud præceptum, vt pro executione iustitiæ, & non punitur in nullo foro, sed efficitur irregularis ex defectu lenitatis, vt infra; vel est iniustum, & punitur in foro fori, Abb. in *cap. sicut dignum, nu.* 10. *de homicid. volunt.* à quo impedimento irregularitatis excusantur Clerici, qui conquæruntur de iniurijs sibi illatis, & faciunt querelam de suis malefactoribus, præmissa protestatione citra pænam sanguinis, Abb. in *cap. postulasti, num.* 3. *de homicid.*

TERTIA. Causa propter quam quis ad ordines promoueri non potest est ob suspicionem futuri lapsus, vt est ille qui in ægritudine baptizatur, potius enim ex necessitate, quam ex voluntate id facit.

QVARTA. Vltima causa dicitur corporis vitiatio, & refertur ad animum, & corpus. Ad corpus contingit adesse quatrupliciter ex defectu membri, ex inhabilitate, ex diminutione, & ex augmento, intelige semper quando læsio est notabilis, Abb. in *cap.* 1. *& fin. de corp. vitiat.* excipiuntur illi quibus abscissa fuerunt virilia vi in cunabilis, vel Medicorum consilio imminentis metu periculi, *cap. ex parte*, 3. *de corp. vitiat.*

De Regularibus, & Monachis.

Titulus XXXV.

Regulares, & Monachi vnde dicantur, quæ sint eorum substantialia, quibus modis Monachi efficiantur, quæ requiruntur ad canonicam professionem, & quibus ex causis transitus ad aliam Religionem permittatur.

TErtium, & vltimum genus personarum est Regularium, sub quo nomine veniunt Monachi, Fratres, Canonici, Regulares, Religiosi Societatis Iesu, Moniales, & alij qui sub certa & probata à Sede Apostolica regula se obstrinxerunt, *cap. fin. de religiosis domibus.*

QVID NOMINIS, ET QVID REI. Regulares dicuntur à *Regula*, quæ normam rectè viuendi tribuit, & distortum prauumque corrigit, Hostien. *in sum. tit. de regularib. & transeuntib. ad religionem, nu.* 4. & dicuntur illi, qui sunt adscripti singulariter

cer-

Digitized by Google

certæ viuendi regulæ approbatæ à Sede Apostolica, Canisius in *summ. iuris pontif. hoc tit. in princ.* Monachi verò græcè dicuntur à *monos*, & *achos*, latinè *monos*, idem est ac *vnus*, & *achos tristis*, qui reputantur tamquam mortui in mundo; & vacare debent soli Deo. *l. decernimus, 26. C. de episc. & cler.* quorum substantialia tria sunt, nempè renunciatio propriæ voluntatis, quia hominem vice Dei super caput suum constituunt, *cap. statuimus, 19. quæst. 3.* proprietatis abdicatio, & castitatis obseruatio: hæc enim adeo sunt de substantia regulæ, vt neque Sum. Pont. contra hęc dispensare valeat, Hostien. *vbi supra num. 6.* & Fagn. in *cap. cum ad monasterium, à nu. 12. de statu monachorum*.

Qui Monachi tripliciter solent fieri, aut ex propria professione, aut ex voti emissione, aut ex paterna deuotione, Lancell. *in institutionibus canonicis, hoc tit. § monachi*.

SPECTANTIA AD PROFESSIONEM. Professio est *certa religionis solemnis promissio, qua quis incorporatur alicui ex certis religionibus approbatis*, Fagn. in *cap. ex parte, nu. 27. de conuers. coniugat.* & duplex est expressa, & tacita. Expressa fit expressis verbis ad voluntatem profitentis cognoscendam; quia professio, & non habitus facit Monachum, *cap. porrectum, 13. & cap. ex parte, 22. de regular.* Tacita inducitur, quando vltra probationis tempus in Monasterio permanserit, habitumque retinuit. Tempus probationis est annus completus, Fagn. in *cap. qui presbyterum, num. 111. de pænit. & remissionib.* Vtraque species professionis post Concil. Trident. fieri non debet, neqne tacitè præsumitur ante annum 16. completum, & antè annum exactum probationis, alias non obligat Professum ad Religionem ingenere, vt Fagn. in *cap. consuluit, num. 15. & 34. qui cler. vel vouen.* & in *cap. ad apostolicam, n. 52. de regularibus*, nam in materia professionis, dies cœpta non habetur pro completa, sed tempus currit de momento ad momentum, Fagn. in *cap. ad nostram, à nu. 4. vsque ad 23. de regularibus*, completo enim anno probationis ad professionem faciendam, requiritur consensus Religionis recipientis, Idem in *cap. ex parte*, il secondo, *n. 19. de conuersione coniugatorum*, & consensus Regularis profitentis, qui consensus ab Ecclesia suppleri non potest, Fagn. in *cap. quanto, num. 104. de translat. Episcoporum*, quibus requisitis indiget, etiam tacita professio, Fagn. in *cap. quod presbyterum, num. 55. de panitent. & remiss.*

Con-

Contra quam professionem Regularis intra quinquennium potest reclamare, seruata forma præscripta à Sacro Concil. Trident.*sess.25.de regular.cap.19* & latè per Fagn.in *cap.per latum num.19.de his, quæ vi, metus ve causa fiunt*, & Chartar.*dec.crim. dec.85.* per tot.quo quinquennio elapso, non potest dici de nullitate, licet proueniat ex perpetuo impedimento, Fagn. in *cap. consuluit, à nu.12. qui cler.vel vouen.* nisi ex capite restitutionis in integrum,vt est quãdo intra quinquennium illam nullitatem deducere non potuerit,Idem in *cap. si quis, n.54. de regular.*

Secundò,Monachus fit per voti emissionem, vt est, quando quis compos mentis votum emisit de ingressu religionis,& tunc cogendus est, vt Monachus fiat, Lancell.vbi supra, §.*is quoque*.

Vlt.fieri potest Monachus ob paternam deuotionem, puta si Pater, vel Mater filium impuberem intra septa Monasterij in disciplinam regularem tradat, qui post quam factus est pubes redire potest ad vitam sæcularem, sed nolit.

TRANSITVS. Qui Religiosi manere debent in ea vocatione, qua sunt vocati, nec transire debent ad aliam Religionem sine magna necessitatis vel vtilitatis causa,Fagn.in *cap.licet,num.6. & 7.de regular.*

Aduerte, quod transitus tripliciter fieri potest, vel ad parem Religionem, vel ad laxiorem, vel ad strictiorem. Ad parem cum causa præter licentiam Abbatis requiritur consensus Conuentus;tamẽ sine legitima causa requiritur licentia Papæ,quæ suffragatur etiam in foro poli, Fagn.in *cap.dilecti, nu.8.9.& 18.de renuntiat.* Ad laxiorem cum causa, vt infirmitatis, vel quia est exosus fratribus,cum dispensatione Papæ permittitur. ille transitus etiam sine causa solus Papa dispensat,quæ dispensatio non excusat quo ad Deum,Fagn.in dicto *cap.dilecti, nu.20.21.& 36.* Ad strictiorem zelo sanctitatis quis transire potest petita licentia superioris,licet non obtenta; non petita tamen licentia de rigore cogendus est redire ad primam, & dispensatiuè permittitur remanere, quia in melius commutatur, Fagn in *cap.sanè, nu.10.de regular.*& in *cap.licet, nu.19.& 20.eodem titulo*.

De monialibus specialiter non tractabo, quia comprehenduntur titulo de Regularibus; qui alia de eis videre cupiunt adeant Ascanium Tamburin.*in tract. de iure abbatissarum, & monialium*.

Digitized by Google

De Electione.

Titulus XXXVI.

Electio quid, & quotuplex sit, quibus indigeat requisitis, & ex quibus causis vitietur.

EGimus de Prælatis Ecclesiæ, agere debemus de modis quibus ad hoc munus ascendunt, & quia electio est vnus de illis, & est remedium ordinarium ad differentiam postulationis, quæ est remedium extraordinarium, meritò primo loco agimus de Electione, & postea de Postulatione.

QVID SIT. Electio est nomen verbale, & duplicem habet significationem actiuam, nempè quantum ad eos qui possunt eligere; & passiuam quantum ad eos, qui possunt eligi, Lancell. *in princ. huius tit.* & ibi Glos. vnde à Canonistis ita communiter definitur *est hominis alicuius ad dignitatem, vel fraternam societatem canonicè facta vocatio*, Hostien. in *sum. in prin. huius tit.*

QVOTVPLEX. Quæ electio ratione formæ quadruplex est, alia per quasi inspirationem, alia per scrutinium, alia per compromissum, & alia dicitur mista, *cap. quia propter*, 42. *de elect.*

Electio per inspirationem fit quando Electores nullo præcedente tractatu, quasi diuini spiritus impulsu omnes in vnum conueniunt, & simul vnum nominant, Fagn. in dicto *cap. quia propter, n.* 3. & in *cap. licet de vitanda, n.* 47 *eodem*.

Electio per scrutinium, est cum præsentibus omnibus qui debent, volunt, & possunt commodè interesse tres de Collegio fidei digni assumuntur, qui secretò, & singillatim vota cunctorum diligenter exquirunt, & demum illa publicant; de hac specie tractat Idem in dicto *cap. quia propter, à n.* 36. *ad* 66. vnde facta electione, & publicato scrutinio Electores variare non possunt, sed cogi debent ad collationem, Idem in *cap. publicato, num.* 1. *eod.* & in *cap. bonæ memoriæ, n.* 48. *de postulat. prælatorum*.

Electio per compromissum fit, cum plures idonei viri eliguntur, in quos omnium eligendi certo modo facultas, & potestas transfunditur, *cap. cum dilectus*, 32. & *cap. cum in iure*, 33. *eod.* &

quia

quia compromissum est voluntarium ab omnibus recipi debet, itaut vnius dissensus compromissum impediat, Fagn.in *cap.licet de vitanda, n.74. de elect.* vtilius est, vt hæc facultas committatur pluribus, & impari numero, quam vni, Idem in *cap.causam, nu.37.& 42.eod.*Ordo fere idem est cum eo,qui in electione ex scrutinio obseruatur.

Quarta species electionis fit quando plures compromissarij secretò & singillatim singulorum vota exquirunt, illumque eligunt in quem maior, & sanior pars Capituli consenserit, *cap.si electio, 26.hoc tit.in 6.*& dicto *cap.cum dilectus, 32.eod.*si autem electio consideretur ratione obiecti multiplex est.

Primò, alia dicitur Summi Pontificis, & fit à Sacro Collegio Cardinalium, vel per scrutinium, aut per compromissum, vt supra, Fagn. in *cap. licet de vitanda, n.21.& 74.de elect.*quo in casu non repelluntur Cardinales per exceptionem excommunicationis, *Clemen.ne romani,§.caeterum, eod.*

Secundò, alia dicitur Imperatoris, & fit per tres Archiepiscopos, & quatuor Principes laicos, de quibus loquitur Glos. in *cap.apostolicæ, 2. in fin. verbo illi autem, de senten.& re iudic.* ac vbi maior,& sanior pars consentit ille præfertur, *cap.venerabilem, 34.de elect.*

Tertiò, alia dicitur electio Prælatorum principalium Ecclesiarum, & fit à Papa, exceptis Ecclesijs in quibus Reges in suis Regnis habent ius nominandi ex permissione Summi Pontificis, vt sunt Reges Hispaniæ, Galliæ & alij, nec non excipitur Germania in qua vetus consuetudo canonicæ electionis per Capitula faciendæ obseruatur, vt ait Azor *institut.moral.par.2. lib.6.cap.14.quæst.1.*in alijs enim locis eos Summus Pontifex assumit, vt passim in Italia, & eos veros esse Episcopos, Triden. *sess.23.de sacram.can.*8.& tunc pronunciatio Papæ in Consistorio habet vim electionis, & confirmationis,Fagn.in *cap.eam te, num. 15.de rescript.*

Denique, Electio aliorum,vel per Papam,vel suffragijs Capitularium, vel Conuentualium Collegij ex quo ille eligitur efficitur, sicque quando inter Regulares fit electio, efficitur per vota secreta, vt per Triden.*sess.25. cap.7. de regular.* & si agatur de electione Abbatissæ idem, vt per Concil.vbi sup.& per Fagn. in dicto *cap. quia propter, nu.*30. quæ Monialis eligenda in Abbatissam non sit minor 40.annis, & quod octo annis post pro-

 sess-

fessionem expressam laudabiliter vixerit.

REQVISITA. Ad validitatem electionis plura requiruntur, & præsertim oportet omnes, qui ius eligendi habent legitimè vocari, vt electioni intersint, Glos. in *cap. quod sicut, 28. verf. vocatos, de elect.* Secundò, Electores esse in quasi possessione eligendi, Fagn. in *cap. vidua, n. 32. de regular.* Tertiò, vt concurrat, non solum maior pars suffragiorum in Electum, sed sanior, Idem in dicto *cap. quia propter, n. 61.* & semper dignior omisso digno eligatur; dignior enim intelligitur, qui simpliciter est Sanctior, & plus habens charitatis, verum post factum sustinetur electio de digno omisso dignori, Fagn. in *cap. eam te, n. 23. de ætat. & qualit.* & in *cap. bonæ memoriæ, nu. 71. de postul. prælat.* His concurrentibus & alijs, vt per Doctores allegatos contra Electum & confirmatum non admittitur appellatio ad impediendum electionis, vel confirmationis effectum, Idem in *cap. constitutis, il secondò, nu. 1. & 17. de appellat.* limitatur tamen in pluribus casibus, vt per eumdem ibidem, in sequen. numeris.

Dixi *contra electum, & confirmatum*, quia per solam electionem Electus acquirit ius ad rem & reuocabile, vnde ante confirmationem, nequit facere quæ sunt iurisdictionis, *cap. nosti, 9. & cap. qualiter, 17. de elect.* & Azor. *institut. moral. par. 2. lib. 6. cap. 14. quæst. 4.* hinc est, quod Electores peracta electione illam intra octo dies enunciare tenentur Electo, & petere eius consensum, *cap. cupientes, 16. §. cæterum, de elect. in 6.* & Electus tenetur consentire, vel dissentire intra mensem, *cap. quam sit, 6. eod. in 6.*

DEFECTVS. Aduerte vlt. quod pluribus modis vitiatur electio, vt est si non fuerit celebrata iuxta præscriptam formam sacrorum canonum; vel si adsit vitium simoniæ, siue sciente, siue ignorante Electo, *cap. si alicuius, 59. eod.* & Fagn. in *cap. nobis, nu. 1. de simonia*, vel si non ex libertate, sed ex coactione efficiatur, Idem in *cap. quis quis, nu. 33. eod.* Vel si efficiatur per alios, quam per Collegium, cui est ius eligendi, *cap. 1. eodem.* Vel quando fit per abusum laicæ potestatis, Fagn. in *cap. quis quis, n. 2.*

Nec non vitiatur ex defectu Electi, vt si non sit ex legitimis nuptijs; *cap. innotuit, 20. eod.* vel si sit excommunicatus, *cap. illa, 39. eod.* aut si ante confirmationem administret res sacras, *cap. auaritiæ, 5. eod. in 6.* & demum si Electi vitium manifestetur, quod antea erat occultum, eo quod si notum fuisset, non potuisset eligi, *cap. si electio, 26. eod. in 6.*

De

De Postulatione Prælatorum.

Titulus XXXVII.

Postulatio quid, & quotuplex sit, quibus permittatur postulare, & ex quibus causis.

PRomiscuus erat olim vsus verborum postulationis, & electionis, *cap. litteras*, 14. *distin.* 63. hodie tamen à se inuicem planè distincta sunt causa vitandi incertitudinem, quia si dicatur hac forma eligo postulandum, pel postulo eligendum, nescitur an sit Postulatus, vel Electus, *cap. vn. de postulat. in* 6. & Fagnan. *in cap. etsi vnanimiter*, *num.* 7. *de postulat. Prælat.* vltra quod postulatio, est remedium extraordinarium, & innititur gratiæ, veluti si de Laico in Episcopum assumendo agatur, *cap.* 3. *eod.* & Fagn. *in cap. bonæ memoriæ*, *num.* 59. *eod. tit.* his positis.

QVID SIT. Postulatio sic definitur, *est concors Capituli facta petitio in Prælatum eius, qui eligi non potest*, Lancel. *institut. can. lib.* 1. *h. c tit. in principio*. Dixi *concors &c.* loco generis. Dixi *petitio*, ad differentiam electionis, quia Postulantes non consentiunt in Postulatum, sed solum dirigunt vota ad superiorem, vt ille de gratia admittere debeat Postulatum. Eligentes verò consentiunt in Electum, & per electionem initiatur vinculum spiritualis matrimonij, *cap. fin. de translat. prælat.*

QVOTVPLEX. Quæ postulatio duplex est, alia dicitur simplex, alia solemnis. Simplex dicitur quæ nullam solemnitatem requirit, sed eius fit, cuius consensus ad promotionem Postulati necessarius est, vt si Religiosus ad aliquam dignitatem assumeretur, hoc fieri non potest, nisi consentiente Abbate, cum agatur de alienatione personæ, quæ est rei alienatione maior, *cap. statuimus*, 19. *quæst.* 3.

Solemnis postulatio est, quæ recte ad superiorem instituitur, qui omne Postulati impedimentum remouere potest, & hæc species postulationis fit seruata forma, *cap. quia propter*, 13. *de elect.*

POSTVLARE. Aduerte, quod omnes habent ius postulandi,

di, exceptis illis, quibus Canones eligendi facultatem non dant, vt sunt qui scienter eligunt indignum, *cap. innotuit*, 20. & *cap. scriptum*, 40. *de elect.* præsentata postulatione, etiam ante admissionem, Postulantes variare non possunt, *cap. in causis*, 30. *de elect.* admissa verò legitimè facta postulatione in Postulatum transfunditur ius regendi, non secus, ac si Electus verèque confirmatus esset, Abb. *in cap.* 1. *num.* 34. *de postulat. prælat.* Barbos. *de iure ecclesiast. cap.* 19. *n.* 14. & Azor. *inst. moral. par.* 2. *lib.* 4. *cap.* 7. *quæst.* 4.

CAVSÆ POSTVLANDI. Nota, quod non simpliciter vnicuique licitum est postulare, nisi concurrente legitima causa, nempè ex necessitate, vel ex vtilitate; ex necessitate, vt si nullus sit in Collegio cui tutò vacans Præfectura committi possit, *cap. nullus inuitus*, 12. & *cap. nec emeritis*, 11. *dist.* 61. & ex vtilitate, vt si spectata probitas, insignis pietas, litterarum doctrina, magnus rerum vsus, morumque vitæ integritas Postulati, eum dignitati vel officio præfici suadeant, *dicto cap. bonæ memoriæ*. Hinc est, quod criminosi, & alij, in quibus iuris rigor relaxari non debet, postulari non possunt, Azor. *instit. moral. par.* 2. *lib.* 6. *cap.* 17. *quæst.* 9.

De Confirmatione.

Titulus XXXVIII.

Quid sit, à quo efficiatur, quando, quomodo, & quam potestatem tribuat Electo.

DEFINITIO. Quia non statim Electus peracta electione habet ius administrandæ suæ Ecclesiæ, sed necesse est vt prius confirmetur à suo superiore, *cap. nihil*, 44. *de elect.* meritò sic confirmatio definitur, *est iuris quæsiti corroboratio, qua mediante spirituale matrimonium inchoatum per electionem inter Ecclesiam, & Pastorem perficitur, cap. inter corporalia*, 2. *de translat. epist.*

A' QVO. Quæ fieri solet gradatim, nempè Abbates & alij inferiores confirmantur ab Episcopis, Episcopi ab Archiepiscopis, & Archiepiscopi à suo Patriarcha; Azor. *institut. moral.*

ral. par.2. lib.6. cap. 16. quæst. 7. hic ordo fallit, quando illi sunt exempti, aut singulari iure sibi reseruauit Summus Pontifex confirmationem, nam his casibus confirmatio erit petenda à Sede Apostolica, veluti in Episcopis Germaniæ vigore concordatorum, *cap. nihil*, 44. §. *cæterum, de elect.* & *cap. cum venerabilis*, 7. *de consuetud.* vel à Legato de latere in Prouincia existente, *cap. si abbatem*, 36. *de elect. in 6.* & Barbos. *de iure eccles. cap* 19. *n.*250.

QVANDO. Aduerte, quod tempus trium mensium concessum Electo post præstitum consensum ad petendam confirmationem, vt *in cap. quam sit*, 6. *de elect. in 6.* à Nicolao III. immutatum fuit in Electis ad Cathedrales, vel Regulares Ecclesias, quorum confirmatio ad Summum Pontificem spectat, qui statuit, vt infra vnum mensem post consensum vel notitiam electionis iter arripiant ad Sedem Apostolicam, *cap. cupientes*, 16. & *cap. si post quam*, 33. *de elect. in 6.*

QVOMODO. Deindè Confirmatores inquirere debent, an electio sit canonicè facta, & de persona Electi an sit idonea, & non ex abrupto, sed seruatis seruandis ad confirmationem deuenire debent, *cap. cum ad monasterium*, 6. *de statu monachorum*, & si Electus habeat alium coelectum aduersarium omninò citandus erit à Confirmatore ante confirmationem, alias confirmatio erit nullius momenti prætermisso hoc ordine, *cap. fin. de elect. in 6.*

POTESTAS. Per quam confirmationem Electus adepta possessione beneficij facere potest omnia ea, quæ sunt iurisdictionis, non autem ordinis, nisi facta consecratione, *cap. nosti*, 9. & *cap. transmissam*, 15. *de elect.* ante enim confirmationem prohibetur administrare iura suæ Ecclesiæ, alias priuatur omni iure quæsito per electionem, *cap. auaritiæ*, 5. *de elect. in 6.*

De Consecratione.

Titulus XXXIX.

Quid, & quotuplex sit, quibus, & quomodo permittatur.

QVID

QVID SIT. Consecratio dupliciter sumitur, largè, & strictè; largè dicitur benedictio, & est *profanatis tantum, vel nequitia exclusio, atque sanctificationis infusio*; & strictè nihil aliud est, *quam Deo dicare, & eodem modo rem sacram efficere*, *§. sacra, Institut. de rerum diuis.* quæ differt à consecratione largè sumpta, quia benedictio non addit rei perpetuam dedicationem ad cultum diuinum, vt facit consecratio strictè sumpta. Barbos. *de iure ecclesiast. lib. 2. cap. 3. 54. & 55.* nos hic agimus de consecratione strictè sumpta, quæ duxit originem ab Antiquis Patribus, vt *in Genes. cap. 4.* vbi Abel, & Cayn offerre Deo cœperunt sacrificia, & demum in statu legis Euangelicæ Ecclesia sumpsit ritum consecrandi, & dedicandi Domino loca, res, & personas, vt in principio *de consecrat. distin. 1.* & primum quidem post Christi ascensum consecrari ab Apostolis cæperunt Episcopi, & Sacerdotes, & postea templa, & altaria, cum sacri olei vnctione consecrata fuerunt, *cap. porrò, 2. dist. 66.*

QVOTVPLEX. Consecratio est quadruplex personarum, sacramentorum, rerum, & locorum. Consecratio personarum comprehendit quatuor genera personarum, idest Episcopos, Presbyteros, Clericos inferiores, & Virgines; verùm propriè cadit in Episcopos, & est facienda à tribus Episcopis, vnus illam perficit, & alij duo assistunt auctoritate Metropolitani, Fagn. *in cap. nec episcopi, num. 1. de tempor. ordinat.* sed promoti à Papa in Consistorio de speciali mandato Pontificis ab aliquo Cardinali Episcopo cõsecrantur in die Dominico, vel in alio die dispensatiuè, Azor. *institut. moral. par. 2. lib. 3. cap. 30. quæst. 3. & 4.* In præsbyteris cadit ordinatio, & in Abbatibus benedictio, Abb. *in cap. sicut pro certo, num. 5. de simonia*, sicuti & in Virginibus vt est quando desponsantur cum Christo, quod munus consecrandi Virgines per Episcopum tantum exerceri potest, vel de mandato Pontificis ab aliquo simplici Sacerdote, Tamburin. *de iure abbatiss. monial. disput. 27. quæst. 5.*

Consecratio Sacramentorũ adhibetur in illis quinque sacramentis, nempè in Baptismo, Confirmatione, Eucharistia, Ordine, & Extrema vnctione; alia enim duo sacramenta Pœnitentia, & Matrimonium initium sumpserunt ex lege veteri, & absque elementis fuerunt instituta, vnde à Christo solum fuerunt eleuata, & confirmata.

Con-

Consecratio locorum triplex est Ecclesiarum, Cæmeteriorum, & Altarium. Ecclesia est consecranda ab Episcopo illius loci, quando nescitur an sit consecrata, *cap. ecclesijs*, 19. *de consecrat. distin.* 1 aut quando Ecclesia fuit igne exusta, itaut parietes fuerint abrasi, vel combusti ex toto, vel ex maiori parte, dicto *cap. ecclesijs*, & *cap. de fabrica*, 23. *de consecr. dist.* 1. & in pluribus alijs casibus relatis per Azor. *instit. mor. par.* 2. *lib.* 9. *cap.* 4. *quæsit.* 4. & Augustin. Barbos. *de iure ecclesf. lib.* 2. *cap.* 2. *n.* 49.

Quarta species consecrationis est vasorum sacrorum, & linteaminum sacrificij; sicque Calix, & Patena est consecranda ab Episcopo loci, vel ab Abbate mitrato, si fauorabilis consuetudo hoc illi permittat, & quando Calix consecratus auro nudatur, iterum consecrari debet, Azor. dicto *lib.* 9. *cap.* 7. *quæsit.* 4.

QVIBVS, ET QVALITER. Aduerte, quod ad vnamquamque speciem quatuòr requisita potissimè requiruntur. Primò, Minister verus, & legitimus nempè, vt habeat illam potestatem ad illum actum necessariam, *cap. sacramenta*, 1. *quæst.* 1. Secundò, intentio Canonica. Tertiò, materia debita. Vltimò, legitima forma. Forma consecrandi Pontificem, & Imperatorem habetur in *cap. vn. de sacra vnct.* Forma consecrandi Episcopos, legitur in *cap. Episcopus*, 7. *dist.* 23. & in *c.* 1. *distin.* 75. De consecrationis modo aliorum Clericorũ habetur in *c. presbyter*, 8. *dist.* 23. Forma consecrandi Ecclesias traditur in *c.* 1. *de conse. dist.* 1. Denique forma consecrandi Altaria, aliasque res sacras explicatur in *cap. placuit*, 18. & in *cap. altaris*, 30. *de consecr. distin.* 1.

De Authoritate, & vsu Pallij.

Titulus XL.

Pallium vnde dicatur, quid, & quotuplex sit, à quo concedatur, quibus, quando, & ad quid; an & quando eo vti possit.

QVID, ET QVOTVPLEX SIT. Dantur duo termini Pallium dignitatis, & Pallium honestatis. Pallium honestatis, etiam Laici deferre possunt, minimè vero Pallium dignitatis, quod dicitur à pallore, & pro forma in eo ponuntur quatuor Cruces nigri coloris, quæ denotant mortificationem vitiorum

in Palleato, qui præ cæteris Deum diligere debet, & ex ieiunijs pallidus esse solet; in corpore autem iuris Canonici dicitur Pallium, & non Palleum, & ita definitur, *est insigne ornamentum Patriarcharum, & Archiepiscoporum, & quandoque Episcoporum ex speciali priuilegio designans plenitudinem Pontificialis officij cum trãslatione dignitatis*, Daniel. Venator, Analys. *iuris pontif. hoc tit. in principio*, & secundum Io. Paul. Lancell. *hoc tit. instit. can.* definitur hoc modo, *est insigne ornamentum Metropolitanorum desumptum de corpore Beati Petri, designans plenitudinem potestatis.*

QVANDO, QVIBVS, ET AD QVID. Quod Pallium datur à solo Romano Pontifice, vel à Patriarchis ex auctoritate ipsis communicata, *cap. nisi, 3. de auctor. & vsu pallij*, & ad illud petendum Archiepiscopi habent tempus trium mensium, quod incipit à die consecrationis, *cap. 1. distin. 100.* & Azor *inst. moral. par. 2. lib. 3. cap. 34. quæst. 3.* quibus Archiepiscopis non datur, nisi prius præstent iuramentum fidelitatis, & obedientiæ, Fagn. in *cap. significasti, n. 1. de elect.* ac ante quam illud suscipiant exercere possunt tantum ea, quæ sunt iurisdictionis, Idem in *cap. quanto, num. 7. de consuetud.* eo vero suscepto possunt exercere, quæ sunt iurisdictionis, & ordinis, & vt est ordinare Clericos, Episcopos consecrare, chrisma conficere, & alia spectantia ad potestatem ordinis, *cap. quod sicut, 28. §. penul. de elect.* & Fagn. in dicto *cap. significasti, num. 7.*

VSVS PALLII. Quo Pallio non semper vtuntur Archiepiscopi, sed in certis diebus expressis in eiusdem concessione, *cap. ad honorem, 4.* & *cap. vlt. hoc tit.* nec vbique, sed solummodo in Ecclesijs suæ Prouinciæ, *cap. 1.* & *cap. ex tuarum, 5. eod.* iuncto *cap. pallium, 8. distin. 100.* Hinc est, quod in Diœcesi aliena Pallio vti non potest, etiam de consensu Episcopi Diœcesani, nisi super hoc sit priuilegiatus, Idem in *cap. quia nos, n. 7. hoc tit.*

Demum aduerte, Pallium esse personale, & ille cui fuit concessum nequit accomodare ad effectum vtendi, nec minus in morte illud alicui potest relinquere, sed cum eo sepeliri debet; & si transferatur de vna Ecclesia ad aliam, vti non potest Pallio prioris Ecclesiæ, Abb. in *cap. ad hoc, 1. per tot. eod.* Lancell. *instit. can. lib. 1. hoc tit. §. sed eo*, Azor. *inst. moral. par. 2. lib. 3. cap. 34. quæst. 8.* & Barbos. *de iure eccles. lib. 1. cap. 7. n. 110. & 119.*

De

De Translatione.

Titulus XLI.

Quid, & quotuplex sit, à quo efficiatur, quando, qualiter, & ad quid.

QVID, ET QVOTVPLEX SIT. Translatio in genere sumpta, etiam mutatio nuncupari potest, & sub se comprehendit, non tantum Ecclesias, & Episcopos, verum etiam alios beneficiatos inferiores, pensiones, monachos, & reliquias, vt infra: tamen hic in specie sumpta ita definitur, *est cuiuslibet persona in sacris ordinibus constituta, qua postulari potest de vna Ecclesia ad aliam, causa necessitatis, vel vtilitatis consensu superioris facta transportatio, cap. inter corporalia, 2. de translat.*

A' QVO, QVANDO, ET AD QVID. Ecclesiarum translatio contingit, quando Ecclesia Cathedralis in non Cathedralem, vel Ecclesia sæcularis in Regularem, vel è contra mutatur, Azor. *institut. moral. par. 2. lib. 6. cap. 30. quæsit. 1.* quod ius mutandi Ecclesias Cathedrales, Collegiatas, & Regulares, solum est penes Papam, Azor. *dicto cap. 30. quæsit. 2.* cæteras verò Ecclesias, Episcopus iure proprio mutare potest, *cap. ad audientiam, 1 de eccles. ædificandis*, & semper id fieri solet, vel ob euidentem necessitatem, vel ob magnam earum vtilitatem, *cap. scias, & cap. episcopus, 7. quæst. 1.* ob quam translationem prior Ecclesia perdit priuilegia, & in aliam transferuntur, *cap. si quis vult, 16 quæst. 7.* quod est verum, quando priuilegium concernet personam, secus rem, *l. 2. §. 1. de priuil gijs creditorum, & l tempus, 29. ff. de re iudicata*. Omnia iura pertinentia ad priorem Ecclesiam, transeunt in Ecclesiam ad quam facta est translatio, Fagn. in *cap. extirpandæ, §. qui vero, n. 6. de prabend.*

A' QVO, ET AD QVID. Episcoporum translatio efficitur, quando transfertur Episcopus de vna Ecclesia ad aliam, & hæc fieri non potest, nisi auctoritate Papæ, *cap. 1. de translat. episcop.* & Fagn. in *cap. quanto, n. 10. eodem.* Vnde si quis propria auctoritate transeat ad aliam Ecclesiam carebit habita, & ambita, *cap. penul. eod.* & Idem in *cap. cum ex illo, n. 12 cit. tit.* ad quam fa-

ciendam requiritur, vt transferendus liberetur ab Ecclesia à qua transfertur per absolutionem. Secundò, vt Episcopus consentiat, quando fit in gratiam Episcopi, Fagn. in dicto *cap. quanto*, *n.97.* Tertió vt concurrat iusta causa, alias translatus diceretur Adulter spiritualis; verum circa hoc non ligatur potestas Papæ ob deficientiam causæ, quia potest pro libito suæ voluntatis Episcopum transferre; & Episcopus quo ad translationem liberum dissensum non habet, sed Monacho æquiparatur, Idem in dicto *cap. quanto, n.32. & sequen.* sed quando adest causa, esse debet, vel vtilitatis Ecclesiæ, vel necessitatis, Idem in dicto *cap. ex illo*, *n.16.* & latè Rebuff. *in prax. beneficiaria, tit. de translat. episcop. à n.4. ad 9.* ob quam translationem tantummodo locus, non autem Episcopalis dignitas variatur, Idem in dicto *cap. quanto*, *n.107.* proindè non tenetur subijcere nouo examini, Idem in *cap. nisi cum pridem, num.64. de renunciat.* verum respectu primæ Ecclesiæ habetur pro mortuo, quia soluitur primum coniugium spirituale, *cap. inter corporalia, eod. cap. in apibus, §. ecce, 7. q. 1.* & Fagn. in dicto *cap. quanto, n.112.*

A' QVO, ET AD QVID. Translatio aliorum beneficiatorum, dicitur mutatio vnius beneficij cum alio, & hæc fieri debet auctoritate Episcopi ob magnam necessitatem, vel ob euidentem vtilitatem, *cap. mutationis, cap. sciat, & cap. episcopus, 7. quæst. 1.* & si quis propria auctoritate voluerit permutare suum beneficium, vterque proprij beneficij iacturam faciet, *c. cum olim, 7. de rerum permutat.* & Lancell. *institut. can. hoc tit. §. non absimilis.*

Translatio pensionis, est mutatio obligationis ex vno ad aliũ; & quia pensio est onus in beneficio constitutum, non licet eam imponere sine consensu Romani Pontificis, Azor. *instit. moral. par 2. lib. 8. cap. 11, quæst. 2* verum Episcopi auctoritate ordinaria cum causa (ad differentiam Papæ, qui sine causa illam imponere potest) possunt pensiones imponere super prouentibus beneficiorum suæ Diœcesis, de quo latè agit Fagnan. in *cap. nisi essent, num. 14. de præbendis*, & de iure non imponitur, nisi supersint reditus sufficientes ad congruam substentationem beneficiati, *ibidem, num. 26.*

Hæc species translationis tribus modis fieri potest, per Flamin. Paris. *de resignatio. benef. lib. 6. quæst. 4. n. 7.* Primò in vim priuilegiorum concessorum per Summos Pontifices, vt Militibus Sancti Petri, & alijs. Secundò, quando fuit imposita cum facul-

facultate transferendi, & vtraque species non indiget alio consensu Papæ, sed vt plurimum fit inter ipsas partes coram Notario. Tertiò, fit coram Summo Pontifice, vt est quando fuit imposita pensio absque illa clausula transferendi in assignatione ipsius pensionis, sed ipsæ partes deinde supplicant Papæ, quod pensio illa transferri possit, quæ trãslatio nõ potest fieri sub hac conditione, si moreretur ex præsenti infirmitate, Nicolaus Garz. *de benef.par.1.cap.5.nu.244.*

A' QVO, ET QVOMODO. Monachorum translatio dicitur, quando quis est translatus de vno Monasterio ad aliud; & fit multipliciter; quia vel est de vno Monasterio ad aliud eiusdem Religionis, & non diuersæ Regulæ, & non est necesse facere nouam professionem, Abb. in *cap. Abbate, n.4.de verbor. signif.* & Fagn. in *cap.apostolicam,num.45.& 56.de regularib.* Secundò, fieri potest de vna Religione ad aliam Religionem parem, & tunc sufficit causa iusta, & voluntas Abbatis: verum non datur licentia, nisi constet de voluntate Abbatis, & Conuentus secundæ Religionis ad hoc, vt statim ingressum habeat in illam, DD.in *cap. fin. de renuntiat.* Tertiò, vel fit transitus de vna Religione ad aliam latiorem, & fieri non potest, nisi de consensu Papæ. Præcipua causa huiusmodi translationis est infirmitas, ac debilitas complexionis, Fagn.in dicto *cap.ad apostolicam, n.62. de regular.* & si illa secunda Religio latior sit eiusdem Ordinis, potest intra annum redire ad primam, Fagn. *ibidem, n. 55.* Vltimò, vel est ad artiorem Religionem; & tunc sufficit consensus Abbatis vt dimittat Religionem in qua est professus, & aliam ingrediatur, *cap.licet, 18.de regularib.* an & quando iste transitus sit permittendus, habetur per Fagn.*in cap.nè religiosi, n. 70. de regular.* Igitur ad translationem faciendam requiritur legitima causa, & licentia à suo superiore, vt plenissimè per Rebuff.*in prax.beneficiaria, tit.de translat.monachorum per tot.*

Vltimò datur translatio reliquiarum, seu corporum Sanctorum, & fit quando de loco ad locum transferuntur, quæ nequit fieri auctoritate Principis sæcularis, Fagn. in *cap. cum ex eo, n. 18.de reliq.& vener.sanctorum.*

De Renuntiatione.

Titulus XLII.

Quid, & quotuplex sit renunciatio, quibus permittatur, ex quibus causis, per quas personas, & coram quo.

HOc verbum *renunciare*, hic accipitur pro *repudiare*, vel *resignare*, vt *in l.2. ff. de diuortio*, & capitur in genere, & in specie. In genere, *est iuris proprij spontanea refutatio*, vt per Cardin. Hostien. *in summ. hoc tit. num.1.* Dixi, *spontanea*, nam si esset coacta diceretur inualida, *cap. super eo, 7. de his quæ vi metusque causa*. In specie sumpta, capitur pro renunciatione beneficij, & *est legitima dimissio à superiore admissa*. Azor. *instit. moral. par.2. lib.7. cap.19. quæst.2.* Dicitur *legitima*, quia fieri debet coram suo Ordinario expressa legitima causa, *cap. admonet, 4. eod.* Dicitur *admissa*, nam ab admissione assumit vires, Flamin. Paris. *de resignat. benef. lib.1. quæst.2. num.12.*

Hæc secunda species diuiditur in expressam, & tacitam. Expressa celebratur à resignante verbo, aut scripto, & de hac loquitur totus titulus *de renunciat.* quæ subdiuiditur, vel est pura, vel conditionales. Pura est quando mera liberalitate ex fit, aliqua tamen causa, vt est ægritudo, & similes, *cap. nisi cum pridem, 10. de renuntiat.* & fieri potest coram Ordinario, verum Resignans rogare potest Ordinarium, vt conferat beneficium resignatum N. *cap. tua nos, 24. de simonia*. Conditionalis fit pluribus modis, V.G. si quis renunciet titulum beneficij cum reseruatione fructuum in toto, vel in parte, *cap. nisi essent, 21. de prabendis*, vel si quis simpliciter ad fauorem alterius renunciet: & fieri non potest, nisi coram Papa, cum in ea versetur simonia, quam Ordinarius purgare non valet, *cap. ex parte*, il primo, *de off. delegati*. & esse debet admissa à Papa, nam ante admissionem resignans retinebit beneficium, *cap. inter, 17. de prabendis*, ac exindè confertur illi in fauorem cuius est facta resignatio, *cap. vn. de rerum permutat.* alias resignans semper retinebit suum beneficium ratione illius clausulæ, *nec aliter &c.* de hac conditionali renunciatione tractat Azor. *in-*

stitut.

ſtitut. moral. par. 2. lib. 7. cap. 19. quaeſ. 3. & Rebuff. *in praxi benef. tit. de reſignat. conditionali cum clauſula, nec alias, nec aliter.*

Renunciatio tacita inducitur ipſo iure abſque alia expreſſione verborum V.G. quis adipiſcendo ſecundum beneficium cum onere reſidentiæ, videtur reſignare primum, cum ſit incompatibile, *cap. de multa*, 28. *de praeben.* & Triden. *ſeſſ. 7. de reformat. cap.* 4. & *ſeſſ.* 24. *de reform cap.* 17. vndè ſi Clericus in minoribus contraxit matrimonium, ſtatim videtur renunciare ſuo beneficio, Fagn. *in cap. ſtatuimus, n.* 16. *de regularibus.*

Aduerte, quod omnes beneficiati renunciare poſſunt ſuis beneficijs, modo quo vt ſupra, non ſolum per ſe ipſos, verum etiam per Procuratorem, ſiuè laicum, ſiuè Clericum, *cap. non indiſcretè*, 1. *de procuratorib. in 6.* & Azor. *dicto lib.* 7. *cap.* 20. *quaeſ.* 1. & *cap.* 22. *quaeſ.* 2. nihilominus ab Epiſcopis non admittitur renunciatio, niſi ex legitima cauſa, *dicto cap. niſi cum pridem, de renuntiat.* Hoſtien. *hoc tit.* §. *cui ſit*, & Lancell. *inſtitut. canon. hoc eod. tit.* §. *propter.*

Cauſa legitima dicitur ſcientia criminis, *cap. tanta eſt labes*, 7. *de ſimonia.* corporis infirmitas, per quam redditur, impotens ad exequendum officium paſtorale, *cap. quia frater*, 7. *quaeſ.* 1. defectus ſcientiæ, vel perſonæ irregularitas; & denique malitia Plebis, intelligè de intrinſeca qua mediante ſubditi ſe opponunt ſanæ doctrinæ, & ſunt incorrigibiles, vt per Hoſtien. *vbi ſupra.* Verum extra Romanam Curiam ab Ordinarijs, non eſt admittenda reſignatio pro certis leuibuſque cauſis, ſed ex cauſis expreſſis in iure, vt ob capitales inimicitias, ob tyrannidem potentiorum hominum, & ex pluribus alijs cauſis, quas recenſet Azor. *inſtitut. moral. par.* 2. *lib.* 7. *cap.* 19. *quaeſ.* 5. hinc eſt quod Clericus prohibetur renuntiare beneficio ſuo ſine licentia Epiſcopi Diœceſani, alias non valet, etiam in præiudicium renunciantis, Fagn. *in cap. admonet, num.* 4. *& 6. de renuntiat.* ſed obtenta licentia cedendi beneficium, non poteſt recedere, *cap. bona memoria*, 4. *de poſtulat. praelat.* & Lancell. *hoc tit.* §. *aliud iuris eſt.*



De

De Degradatione.

Titulus XLIII.

Quid & quotuplex sit, à quo, quomodo, & quando efficiatur; & quos effectus producit.

QVID, & QVOTVPLEX. Quia sæpe degradatio pro depositione accipitur, promiscuè vtimur his vocibus, Fagn. *in cap. qualiter*, il secondo, *num. 76. de accusat.* vnde degradatio in genere, *est deijcere aliquem de gradu*; & duplex est, alia actualis, alia verbalis; ac vtraque species cadit in personis ecclesiasticis in ordinibus constitutis.

A' QVO. Aduerte, quod in sententia degradationis Sacerdotis omnes Episcopi, vel Abbates mitrati ibidem ad hunc effectum interuenientes, iuxta Triden. *sess. 13. cap. 4.* esse debent concordes nemine discrepante, *cap. 3. de senten. & re iudicata*, in Diaconis verò, & in alijs in minoribus constitutis sufficit, quod maior pars illorum inclinet, ratio disparitatis est, quia in Sacerdotibus maius præiudicium reperitur, quam in Diaconis inferioribus, ita Augustin. Barbos. *dicta allegat.* 110. *n.* 27. *& sequen.*

QVOMODO. Degradatio actualis fit verbis & facto. Vnde Clericus degradandus induitur vestibus sacris, & in manibus tenens illud instrumentum ad suum ordinem spectans, deinde omnibus illis ornamentis exuitur, ab vltimo inchoando, gradatim descendendo vsque ad primam vestem, quæ datur in collatione primæ tonsuræ, sicque spoliatur personaliter Ordinibus ecclesiasticis per detractionem insignium Clericalium, abraduntur manus, & caput tondeatur nè tonsuræ, seù Clericatus vestigium remaneat in eodem. In ablatione vltimi, qui in collatione Ordinum fuit primum pronuntiet infrascripto, vel alio simili modo. *Auctoritate Dei omnipotentis Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, ac nostra tibi auferimus habitum Clericalem, & deponimus, degradamus, spoliamus, & exuimus te omni Ordine, beneficio, & priuilegio Clericali.* Et deinde traditur Iudici Laico iuxta *cap. degradatio, 2. de panis in 6.* & Triden.

den. *de reformat. sess.* 13. *cap.* 4. & latè Barbos. *de off. & potest. episcopi par.* 3. *allegat.* 110. *num* 30.

QVANDO. Quæ pæna degradationis non imponitur, nisi in casibus expressis à iure, itaut ad casus non expressos minimè fit extentio, etiam ex maioritate rationis, Fagn. *in cap. cum non ab homine, num.* 68. *& sequen. de iudicijs*, & *in cap. ad falsariorum, num.* 41. *de crimine falsi.* Inter casus in iure expressos ponitur crimen hæresis, falsificatio litterarũ Apostolicarum, & falsificatio monetæ, vt per Fagn. *ibidem*.

EFFECTVS. Degradatio verbalis fieri solet, quando oretenus sententia contra Clericum profertur, per quam remouetur ab Ordinibus, vel ab Altaris ministerio, ac officium Clericale exercere non valet, & hæc propriè dicitur depositio, *cap. qualiter*, il secondo *de accusat.* & *cap. sacerdos, distin.* 81. Hinc est, quod depositio differt à degradatione, quia depositio propriè est verbalis, & est respectu honorum, & dignitatum, ac non eximit Clericum à iurisdictione Iudicis ecclesiastici, sicuti facit degradatio actualis. Aduerte quod degradatio verbalis non infligitur sine culpa mortali, Idem *in cap. ne innitaris, n.* 243. *de constitutionibus*. Crimina, quæ merentur hanc degradationem verbalem sunt Adulterium, Simonia notoria, Incestus, Furtum, Homicidium, & alia vt per Martin. Bonacin. *in tit. de censuris, disput.* 4. *pun. vn. num.* 6. per quam degradationem Depositus si celebret, & post monitionem non desistat excommunicatur; & si non desistat, exilio damnatur, Fagn. *in cap. si quis presbyter, num.* 1. *de cler. excom. ministrante*.

De Præbendis.

Titulus XLIV.

Præbenda quid, & quotuplex sit, à quo conferatur, quibus, & quomodo.

QVID SIT. Dantur duo termini Præbenda, & Canonia, qui differunt inter se, sicut causa, & effectus; quia Canonia, *est quoddam ius proueniens ex electione, & receptione in fratrem, Analys. hoc tit. §. differunt.* Præbenda verò dupliciter

sumitur in genere, & in specie; primo modo sumpta stat pro omni beneficio, & pro præbenda merè temporali, Nicol. Garz. *de benefic. par.* 1. *cap.* 1. *n.* 8. in specie sumpta accipitur pro præbenda canonicali, & de hac hic loquimur, & se habet tamquam effectus respectu Canoniæ: quæ præbenda ita definitur, *est ius institutum pro Canonico ad vtendum, & fruendum rebus, & iuribus ad hoc deputatis, & recipiendum, & administrandum ipsa.* Nam ex quo quis habet Canoniam, & officium, habere debet præbendam, siuè beneficium, *cap. relatum*, 9. *& cap. dilectus*, 19. *eodem*, & Fagn. *in cap. cum*, *M. ferrariensis*, *n.* 28. *de constitutionib.*

QVOTVPLEX. Quæ præbenda diuiditur primò in diaconalem, & subdiaconalem. Diaconalis habet annexum ordinem diaconatus, & eiusdem officium. Idem est in subdiaconali; vnde licet subdiaconus ex accidenti fit præsbyter, tamen missam solemnem non celebrabit, sed inseruit in officio subdiaconi, & sedet post Canonicos Diaconos, Fagn. *in cap. cum in cunctis*, *num.* 21. *de elect.*

Secundò, alia dicitur præbenda Theologalis, & alia Sacræ scripturæ; vtraque species datur personæ idoneæ, vna ad legendum, & docendum Theologiam; & alia ad explicandum Sacram Scripturam. Idem *in cap. quia nonnullis*, *num.* 29. 63 *&* 67. *de magistris*. Qui Lectores in diebus quibus legunt habentur pro præsentibus, & interessentibus, Fagn. *in cap. licet*, *num.* 116. *de præbendis*, & quia singulæ præbendæ requirunt singulos ministros, nemo potest habere plures præbendas intitulatas, nisi eas habeat ab eo, qui omnia potest, Fagn. *in cap. cum iam dudum*, *n.* 18. 20. *&* 32. *eodem.* alias si in eadem Ecclesia recipiat aliam præbendam, prima vacat, Fagn. *in cap. cum litteras*, il primo, *de concess. præbendæ.*

A'QVO ET QVIBVS. Quarum præbendarum collatio spectat solum ad Episcopum, qui non indiget consensu capituli, Idem *in cap. cum Ecclesia Vultorana*, *num.* 7. *de elect.* & hodie Episcopus non potest supprimere præbendas, si illarum tenuitati possit per vnionem beneficiorum occurrere, Idem *in cap. ex parte*, *num.* 14. *de constitution.* & *in cap. exposuisti*, *n.* 1. *eod.* quarum numerus determinatur secundum varias Ecclesiarum consuetudines, Fagn *in dicto cap. cum M. ferrariensis*, *num.* 2. & conferendæ sunt Clericis habentibus illum ordinem annexum

xum præbendæ', & personis idoneis, quæ idoneitas attenditur circa ætatem, qualitatem, scientiam, & ordinem, Card. Hostien. *in summa, hoc tit. num. 3.*

De Beneficijs.

Titulus XLV.

Quæ, & quotuplicia sint, à quo, quando, quibus, & quomodo conferantur.

QVID REI. Beneficia, vel sumuntur in generali significatione, & comprehenduntur beneficia maiora, & minora, Nicol. Garz. *par. 1. cap. 6. num. 37.* Vel sumuntur in specie, prout est beneficium ecclesiasticum de cuius requisitis tractat Fagn. *in cap. si quis, num. 28. de foro competen.* & tunc sub beneficij, appellatione, non venit pensio, Idem *in cap. cum in cunctis, num. 16. de elect.* nec minus comprehenditur beneficium existens in Cathedrali, Fagn. *in cap. exposuisti, num. 20 de prabendis*, & latè Nicol. Garz. *par. 1. cap. 6. num. 27.* Nos hic tractabimus de beneficio ecclesiastico, quod sic definitur per Fagn. *in cap. ad audientiam, n. 110. de rescriptis*, & Nicol. Garz. *de benef. par. 1. cap. 2. num. 2. est ius percipiendi fructus ex bonis Deo dicatis Cler co propter diuinum officium competens.* Quod beneficim principaliter est ius temporale, cum sit ius percipiendi fructus, qui sunt temporales. Dicitur spirituale, quia est spiritualitati annexum, nam beneficium datur propter officium, *cap. fin. de rescriptis, in 6.*

QVOTVPLICIA. Alia dicuntur beneficia maiora, vt est Episcopatus. Alia minora, quæ subdiuiduntur. Alia dicuntur curata, quia habent annexam curam animarum, de quorum requisitis tractat Mascard. *de probationib. conclus. 469.* Alia simplicia, & non habent annexam curam animarum, vt per Abb. *in cap. de multa, num. 2. de prabendis.* Quædam dicuntur manualia, & sunt prouentus, qui dietim diuiduntur inter eos, qui diuinis officijs intersunt, vt sunt distributiones quotidianæ, Fagn. *in cap. olim, n. 41. de verbor. significat.* Alia sunt electiua, & prouidentur per electionem à superiore confirmandam,

& maximè quando seruatur dispositio *cap. quia propter*, 13. *de elect.* Alia collatiua, quæ collatione, aut alio, quam electionis modo obtinentur. Alia sunt beneficia sæcularia, & Clericis sæcularibus sunt conferenda vt supra. Et alia Regularia, quæ per Religiosos regi debent, *cap. cum de beneficio*, 5. *de præbendis in 6.*

A' QVO. Quæ beneficia sunt prouidenda ab illis ad quos spectat prouisio, intellige infra legitimum tempus, quod est per sex menses, & incipit currere à die notitiæ vacationis, Fagn. *in cap. quia diuersitatem*, *num.* 2. *&* 9. *de concess. præbendæ*, & *in cap. nulla*, *num.* 25. *eodem.* Ille Episcopus, qui distulit conferre vltra sex menses beneficium, priuatur ea vice potestate conferendi, vt per Nicolaum Garz. *de benef. par.* 10. *cap.* 2. *num.* 1.

QVANDO. Conferuntur quãdo vacant prædicta beneficia, quod accidit pluribus. Primò per obitum beneficiati, *cap. susceptum*, 6. *de rescriptis in* 6. Secundò, per assecutionem alterius beneficij Curati, aut Dignitatis, *extrauag. execrabilis*, *de præbendis*, aut personatus vel beneficij, etiam simplicis vniformis tamen, sub eodem tecto, *cap. de multa*, 28. *de præbendis*. Tertiò, ob promotionem ad Episcopatum, *cap. cum in cunctis*, 7. §. 1. *de elect.* Quartò, ob contractum matrimonij, etiam non sequuta copula, *cap.* 1. iuncto *cap. diuersis fallacijs* 5. *de cler. coniugat.* Vltimò, per ingressum Religionis, intellige sequuta professione expressa, vel tacita, & non antea, *cap. beneficium*, 4. *de regular. in* 6. & pluribus alijs modis, vt per Nicol. Garz. *de beneficijs*, *par.* 11. *cap.* 1. *& sequen.*

QVIBVS. Personæ quibus conferuntur beneficia indigent pluribus requisitis, nempè non sint minores quatuordecim ann. Concil. Triden. *sess.* 23. *cap.* 6. & alijs omissis requiritur, vt habeant primam tonsuram, quia laici sunt incapaces beneficiorum, *cap. ex litteris*, 6. *de transaction.* Verùm si ille Clericus sit schismaticus, vel excommunicatus, collatio est ipso nulla, Fagn. *in cap. quod à prædecessore*, *num.* 60. *de schismat.* & latè hanc partem explicat, Nicol. Garz. *par.* 7. *cap.* 1. *& sequen.* idem militat quando collator est excommunicatus, Fagn. ibidem *num.* 25.

QVOMODO. Demum aduerte, quod beneficia tribus modis nobis acquiruntur, nempè per collationem, præsentationem,

nem, & electionem, nos hic agimus de primo modo, vnde collatio sic definirur *est concessio beneficij vacantis facta ab habente potestatem*, vt ab Ordinario, Rebuff. *in prax. beneficiaria, tit. de collat.* & Nicol. Garz. *par. 4. cap. 1. num. 3.* quæ collatio, vel est voluntaria, vel necessaria, Fagn. *in cap. ex frequentibus, num. 3. de institut.* Voluntaria fit ex voluntate, & liberè. Necessaria verò est quam collator facere tenetur mandatario, *cap. tibi, 12. & cap. duobus, 14. de rescriptis in 6.*

De Iure Patronatus.

Titulus XLVI.

Quid, & quotuplex sit, à quibus personis acquiratur, ex quibus causis, quos effectus producat, an & quando amittatur.

QVID SIT. Canones appellant ius istud ius patronatus ad similitudinem patronatus legalis quæsiti tempore manumissionis seruorum, de quo per Oinotom. *institut. ciuil. lib. 3. tit. de success. libertorum, num. 8. & 12.* verum prout spectat ad nos, hic diuersimodè definitur, & alijs omissis, secundum Lancell. *hoc tit.* ita definitur, *est ius, seù potestas præsentandi instituendum ad beneficium vacans.*

QVOTVPLEX. Diuiditur primò in ecclesiasticum, laicale, & mixtum. Ecclesiasticum dicitur, quando fuit fundarum de bonis ecclesiasticis, & possidetur ab ecclesiastico, vel est de bonis laici, & possidetur ab ecclesiastica persona, *cap. vn. §. verum, & ibi Gl. f. de iure patron. in 6.* & Fagn. *in cap. cum propter, num. 40. de iure patronatus.* Laicale dicitur quando Patronus laicus est in quasi possessione præsentandi, Iulian. Viuian. *de iurepatr. par. 1. lib. 1. cap. 3. num. 11. & 12.* Et mixtum est, quod pertinet partim ad ecclesiasticum, & partim ad laicum; & cum sit inter eos facta concordia de alternis vicibus præsentando, in turno laici censetur totum laicale, & in turno ecclesiastici, totum ecclesiasticum, Fagn. *in dicto cap. cum propter, num. 22. & Viuian. d. cto cap. 3. num. 18. 19.*

Secundò, aliud est hæreditarium, & aliud familiare, seu gentilitium. Familiare transit ad illos de familia tantum. Heredita-

tarium vero ad omnes hæredes, etiam extraneos, *cap.3. eodem.* Hinc est, quod ius patronatus est transmissibile ad quoscumque heredes mediãte titulo vniuersali, ad quod nõ requiritur cõsensus Episcopi, Idem *in cap. quoniam, num.3.* & *in cap. ex litteris, num.1. 36. & 38. hoc tit.*

Vltimò diuiditur in actiuum, & passiuum. Actiuum dicitur, quando à fundatore iuris patronatus disponitur, ne quis beneficium conferat, nisi ad præsentationem talis personæ. Passiuum est illud, per quod certi de tali familia sunt præsentandi, Iulian. Viuian. *dicta par.1. lib.1. cap.3. num.30. & 37.*

A' QVIBVS, ET QVANDO ACQVIRATVR. Nõ solũ masculus, verum etiam mulier potest acquirere ius patronatus, *Viuian.lib.2.cap.6.n.1.& 2.* intellige ex tribus causis alternatiuè, nempè fundatione, dotatione, & constructione, *cap. filij, 16.quæst.7.* vnde si vnus det fundum, alius Ecclesiam construat, & alius assignet dotem, omnes insolidum efficiuntur patroni, Fagn. *in cap. quoniam, num. 45.49. eodem*, dummodò interueniat consensus Episcopi Diœcesani in fundatione, dotatione, & in reseruatione iuris patronatus, *cap. placuit, 1. quæst.2.* & Viuian. *dicta par.1. lib.2. cap.1. num.7.* Personæ verò incapaces illius iuris patronatus sunt Hæretici, Iudæi, & omnes alij, qui in Ecclesia orare non valent, Viuian. *dicta par. 1. lib.2. cap.6. per tot.*

EFFECTVS. Effectus Iurispatronatus sunt plures, nempè potestas præsentandi instituendum, & defendendi illam Ecclesiam, *cap. filijs, 16. quæst.7.* & si Patronus vergat ad inopiam est alendus ab Ecclesia patronata, si habeat plus necessario ad cultum Ecclesiæ, *cap. quicumq. 16. quæst.7.* & in processionibus primus locus fundatori seruatur, *cap. nobis, 25. hoc tit*

CAVSÆ PRIVATIONIS. Aduerte vltimò, quod pluribus modis amittitur ius patronatus. Primò, si patronus vsurpauerit bona Ecclesiæ patronatæ, Triden. *sess.22. de reformat. cap.11.* Secundò, si patronus in hæresim labatur, *cap. cum secundum, 19. de hæreticis in 6.* Tertiò, si ipse, vel alius loco illius Rectorem benefici patronati occidat, *cap. in quibusdam, 12. §. sacri de pænis*, & latè Viuian. vbi supra *par. 3. lib. 15. cap. 2. per tot.* nec non sine delicto patroni amittitur ius patronatus, vt si Ecclesia funditus destruatur, Fagn. *in cap. quoniam, num.32. 56. & 58. de iure patronatus*, & pluribus alijs modis, vt

vt per Viuian. *dicta par.3. lib. 15. cap. 1. num. 3. & sequen.*

De Institutionibus.

Titulus XLVII.

Præsentatio quid sit, à quo fieri debeat, de quibus personis, intra quod tempus, & quod ius præsentato acquiratur per præsentationem; Deindè quid, & quotuplex sit institutio, ad quem spectet instituere, intra quod tempus, quomodo, & an institui possit dignus, omisso digniore.

Licet institutio in genere sumpta, contineat immissionem, inuestituram, & alia significata, vt per Iulian. Viuian. *in tractatu de iure patronatus par.2. lib.12. cap.1. num.2.* hic autem capitur solum in specie, prout cadit super præsentatione facta à patrono.

QVID SIT. Præsentatio, *est exhibitio quadam legitimè facta per patronum de Clerico præsente sensibus corporis Episcopo, vel alteri, ad quem pertinet institutio,* Abb. Panorm. *in cap. nascitur, num.3. de his, quæ fiunt à prælatis, sine consen. capituli,* & August. Barbos. *de off. & potest. episcopi par.3. allegat. 72. n. 13.* dicitur *donatio*, quia stat in libertate patroni præsentare quem vult, dummodò sit idoneus, ex eo quia præsentare est fructus iuris patranatus, Felin. *in cap. cum olim, num.2. de maiorit. & obedien.*

A' QVO DE QVIBVS. Quæ præsentatio fieri debet à patrono vero, vel putatiuo, *cap. decernimus*, & *cap. filijs, 16. q.7.* qui patronus nunquam potest præsentare se ipsum, sed alium, cum requiratur distinctio inter præsentatem, & præsentatum, *cap. fin. de instit.* & requiritur, vt præsentatus sit habilis de tempore præsentationis, Viuian. *de iure patron. par.2. lib.6. cap. 1. num.6.*

QVANDO. Nota, quod præsentatio fieri debet intra legitimum tempus seruata hac distinctione, quando patronus est ecclesiasticus, etiam quod origine illud ius patronatus sit laicale, habet tempus sex mensium ad præsentandum, Abb. *in cap. nulla, num.12. de conceß. præben.* quando verò patronus est laicus

eus habet quadrimestre ad præsentandum, & in compensationem minoritatis temporis potest alium cumulatiuè præsentare, quod prohibetur patrono ecclesiastico, Viuian. *dict. par. 2. lib. 10. cap. 1.* Sed si illud ius patronatus sit commune laicis, & ecclesiasticis, omnes simul habent semestre ad præsentandum, *cap. 2. de supplen. negligen. prælat.* quod tempus incipit currere à die scientiæ vacationis, vel à die quo scire potuit, & currit de momento ad momentum, Viuian. *dicta par. 2. lib. 6. cap. 2. & 4. num. 2.* quo tempore elapso fit deuolutio, & Episcopus illud confert, *cap. 3. de iure patron.*

AD QVID. Aduerte, quod admissa præsentatione canonicè facta cum solita clausula, *si & in quantum, &c.* vt per Glos. *in cap. vlt. de elect. in 6.* præsentato à laico acquiritur ius ad rem; sed præsentato à patrono ecclesiastico acquiritur ius in rem: ratio disparitatis est, quia ecclesiasticus non habet ius præsentandi alium cumulatiuè, vt distinguit Barbos. *de off. & potest. episcopi, par. 3. allegat. 72. num. 155.* & Viuian. *dicta par. 2. lib. 8. cap. 8. num. 1.* Quod ius quæsitum per præsentationem confirmatur per institutionem; verum ante quam præsentati admittantur sunt examinandi à locorum Ordinarijs, & si idonei fuerint reperti instituantur, alias minimè, Concil. Triden. *sess. 7. cap. 13. & sess. 24. cap. 18.*

QVID SIT. Facta præsentatione, Episcopus deuenit ad institutionem, quæ sic definitur, *est concessio Ecclesiæ, seu beneficij auctoritate legitima Episcopi, vel alterius Ordinarij facta, non simpliciter, sed ei, qui est à patrono nominatus*, Azor. *institut. moral. par. 2. lib. 6. cap. 22. quæst. 1.*

QVOTVPLEX. Quæ institutio, per Fagn. *in cap. cum ecclesia, num. 28. de caus. possess. & propr.* diuiditur in tres species. Alia dicitur corporalis, & hæc est immissionis in possessionem, Alia authorizabilis idest, approbationis ad curam animarum. Alia dicitur collatiua tituli, cuius subiectum est beneficium. In secunda, & tertia specie Episcopus fundatam habet intentionem de iure communi, *cap. basilica, 13. quæst. 7.* quoniam institutio præsentatorum spectat ad actum iurisdictionis necessariæ, & non voluntariæ, Fagn. *in cap. illa, num. 15. ne sede vacante.*

A' QVO, ET QVANDO. Ad quã institutionem faciendam à iure non reperitur præfixum tempus, sicut est præfixum colla-

lato-

latori ad faciendum collationem, verum à superiore habentis instituere potest assignari certum tempus ad instituendum, quo elapso potest illum compellere ad instituendum, vel ipse illum instituat, Viuian. *in prax iuris patron. par. 2. lib. 12. cap. 4. n. 7. & 9. qui ibidem* explicat modum faciendi institutionem, & ad hoc, vt dicatur sine vitio conferentis, recipientis, vel formæ, serua annotata per Fagn. *in cap. constitutus*, *num.* 10. *de fil. presbyterorum*.

QVIS. Aduerte, quod si sint plures præsentati Ordinarius magis idoneum eligere debet, nihilominus si instituatur dignus omisso digniore, quamuis à principio fieri non debeat, tamen facta tenet, Fagn. *in cap. cum autem*, *n. 29. & 36. de iure patronatus*.

SVMMAE IVRIS CANONICI

LIBER SECVNDVS

QVI EST

De rerum diuisione, atque illarum administratione.



VPERIORE libro exposuimus de iure personarum: modò pertractemus de rebus ecclesiasticis illarumque administratione. Summa rerum ecclesiasticarum diuisio hæc est, aut sunt spirituales, aut temporales. Spirituales deseruiunt spiritui, vt sacramenta Ecclesiæ. Temporales sunt, quæ non tàm spiritus, quam corporis gratia pro ecclesiasticis ministerijs, sacrorumque ministrorum vsu sunt quæsitæ, vt sunt prædia, domus, & similia. Subdiuiduntur res spirituales, aut sunt corporales, aut incorporales. Corporales dicũtur, quæ humanis sensibus percipi possunt. Incorporales sunt, quæ in iure consistunt, quales sunt collatio, electio, & similia. Verum quia inter res corporales sacramenta sunt digniora, & à dignioribus est incipiendum,

iuxta præceptum traditum *in cap. 1. de maiorit. & obedien.* *& in l. 1. ff. de albo scribendo*, proindè ponitur præsens titulus.

De Sacramentis.

Titulus I.

Quæ sint genera Sacramentorum, quid, & quotuplicia sint sacramenta noua legis, ex quibus constent, & quos effectus producant.

QVÆ SINT. Sacramenti nomen generale est, ideoque sub se continet Matrimonium Adæ cum Eua contractum in statu innocentiæ, quod ab Apostolo ad Ephes. *cap. 5.* dicitur sacramentum, non quia verè fuit sacramentum, sed quia fuit mysterium, & figura futuræ incarnationis: nam in statu innocentiæ super vacanea fuissent sacramenta, cum iustitia originalis sufficienter præstaret, quod sacramenta præstitissent, S.Thom. *3. par. quæst. 61. art. 3.* Continet illa duo sacramenta, quæ fuerunt in statu naturæ, nempè vnum pro paruulis, quod iustificabat per modum operis operati, & consistebat in externa protestatione fidei facta à parentibus, & cum Deutoron. 30 dicebatur, *propè est Dominus nobis*, signum erat Dominum etiam fuisse propè paruulis. Aliud pro adultis, & erat sacrificium, vt per Martin. Bonacin. *de sacramen. in genere, disput. 1. quæst. 1. pun. 3. num. 7.* Continet sacramenta, quæ fuerunt in statu legis scriptæ, nempè Circuncisio, Agnus paschalis, Sacrificium, & alia, vt ait S. Thom. loco citato, *art. 3. ad 3.* & hæc dicuntur sacramenta veteris legis. Ac etiam continet Sacramenta quæ fuerunt in statu legis Euangelicæ, qui incæpit ab Incarnatione D.N.I. Christi & dicuntur sacramenta nouæ legis.

DE QVO IVRE, ET QVID SIT. In præsenti accipimus Sacramentum, vt significat id, quod à Christo fuit institutū ad conferendum gratiam, & eius essentialia sunt immediatè ex institutione Christi, Bagn. *in cap. presbyter, num. 13. de sacram. non iteran.* quod ita definitur, *est sacræ rei symbolum, & inuisibilis gratiæ visibilis forma*, Idem *in cap. cum venisset, num. 85. de sacra vnct. & in cap. requisiuit, num. 53. de ordinat. ab episcopo.*

po. Vel ita definiri poteſt, *eſt ſignum ſacrum, non ſolum ſignificans, verum etiam infallibiliter efficiens rem ſacram ſanctificantem homines*, Bonacin. loco citato, *quaſt.1.pun.1. num.* 1. Dixi *ſignum*, loco generis. Dixi *ſacrum*, loco differentiæ. Dixi *infallibiliter*, quia ex natura ſua infallibiliter producit gratiam in ſuſcipiente, niſi ponatur obex ex parte ſuſcipientis, Concil. Triden. *de ſacram. in genere, ſeſſ.7. can.7.*

QVOTVPLEX. Quæ ſacramenta nouæ legis de fide certum eſt ſeptem eſſe, nec plura, nec pauciora, nempè Baptiſmus, Confirmatio, Euchariſtia, Pænitentia, Extrema vnctio, Ordo, & Matrimonium, Trid. *dicta ſeſſ.7. can.1.* ratio congruentiæ huius numeri eſt, quia per Baptiſmum regeneratur; per Confirmationem corroboratur; per Pœnitentiam curatur à morbo; per Extremam vnctionem armatur ad mortis prælium; per Euchariſtiam augetur, & creſcit in vita ſpirituali; per Matrimonium licitè intendit propagationem generis humani; & per Ordines conſtituitur in gradu honorifico, ita S. Thom. 3. *par. quæſt.65. art.1.*

Quorum, quædam ſunt voluntaria, quædam neceſſaria. Voluntaria ſunt, quæ pro cuiuſque arbitrio recipi poſſunt ſine diſpendio ſalutis æternæ, qualia ſunt Ordo ſacer, & Matrimonium, *cap.14. de ſponſalib.* Neceſſaria ſunt, quæ ſine interitu ſalutis æternæ prætermitti non poſſunt, *cap. omnes vtriuſque*, 12. *de pæniten. & remiſſ.* & *cap. nulla præter*, 140. *de conſecrat. diſt.4.* vt eſt Baptiſmus cum alijs quatuor. Quæ ſacramenta ſuppoſita Chriſti inſtitutione, ſunt neceſſaria neceſſitate medij ad ſalutem; verum & ſine contemptu ex neceſſitate prætermitti poſſunt, *cap. debitum*, 4. *de baptiſ.* & *cap. baptiſmi*, 32. *de conſecrat. diſtin.4.*

Rurſus, quædam imprimunt characterem, & quædam non. Character *eſt qualitas ſpiritualis animæ diuinitus infuſa, qua homo redditur aptus ad ſacramenta ſuſcipienda, & ad alia diuini cultus opera*: qui character immediatè recipitur in ipſa ſubſtantia animæ, Vaſquez, *3. par. quæſt.3. art.6. diſp.134. cap.4. num.81.* Sacramenta, quæ imprimunt characterem dicuntur, quæ iterari non poſſunt abſque ſacrilegio, vt eſt Baptiſmus, Confirmatio, & Ordo, Triden. *ſeſſ.7. can.9.* cætera ſacramēta, vt eſt Pœnitentia, & alia repeti nō prohibentur, quia non imprimunt characterem, Trid. *ſeſſ.14. cap.2.* Nota quod ſacramentis,

per quæ imprimitur character est essentiale illud in quo, siuè per quod character imprimitur, Fagn. *in cap. cum venisset, n. 34. de sacra vnctione*.

EX QVIBVS. Quæ sacramenra tribus perficiuutur materia, forma, & ministro Enricus Canisius *in sum. iur. can. lib. 2. tit. 2. §. omnia*, de intentione ministri est Tridentin. *sess. 7. de sacram. in gen. can. 11. & 14.* & vbique terrarū sufficit eadem materia, & forma in singulis sacramentis, nam vniformitas sacramentorum spectat ad vuitatem fidei & sacramentorum immutatio spectat ad solum institutorem Christum, Fagn. *in cap. quod nobis, num. 53. de clandest. desponsat.*

Materia sacramentorum duplex est, proxima, & remota; V. G. in Baptismo materia remota est aqua naturalis, & proxima est ipsa ablutio, quia Christus singulis sacramentis instituit determinatam materiam. Forma consistit in verbis, quæ cum sint à Christo determinata, non possunt variari, alias si formaliter, seù substantialiter varientur, sacramenta non subsistunt, secus si variatio sit accidentalis, vt est quando saluatur significatio & non tollitur debitus sensus, quia tunc variatio illa non afficit, DD. vbi supra & S. Thom. *par. 3. quæst. 61. art. 8.*

Quæ materia, & forma sunt partes intrinsecæ & necessariò requisitæ ad componenda sacramenta, Bonacin. *dicta disput. quæst. 2. pun. 1. 2. & sequentes*. Minister in singulis sacramentis est Christus, cum ipse sit causa sacramentorum per potestatem excellentiæ, & ministri Ecclesiæ in conficiendis sacris ministerijs, præter nudum mysterium, nihil sibi vendicare valent, cum non propriam, sed eius, qui sacramenta instituit in personam referant, *cap. baptismus, 24. de consecr. dist. 4.* & Lancell. *instit. can. lib. 2. hoc tit. §. ergo*. Ministri Ecclesiæ, siue boni, siue mali, modò vtantur materia, forma, & debita intentione faciunt sacramentum, & confert fructum gratiæ, nisi obstet obex ex parte susceptoris, Trident *sess. 7. can. 12. & cap. spiritus sanctus, 1. quæst. 1.*

Intentio ministri esse debet faciendi, quod intendit Ecclesia, quæ triplex est actualis, virtualis, & habitualis. Actualis dicitur, quando quis vult conficere sacramentum, quando illud conficit. Virtualis est illa, quæ post quam actualis præcessit, adhuc durat virtualiter in aliquo opere inchoato virtute actualis intentionis, nec est moraliter interrupta per oppositam in-

tentionem, aut per longam temporis moram interpositam. Habitualis dicitur; quando quis aliquid facit nulla præcedente intentione, sed ex habitu, de quibus speciebus tractat, Bonacin. præcitata *disput. 1. quæst. 3. pun. 2. §. 3. num. 3.* Aduerte, quod sufficit intentio actualis, aut virtualis ad faciendum sacramentum, non autem habitualis, Idem *dicto* §. 3. *n. 12.*

EFFECTVS. Effectus sacramenti duo sunt, primus est conferre gratiam habitualem; & secundus imprimere characterem, de quo visum est supra. Circa primum effectum, omnia sacramenta nouæ legis conferunt gratiam, vt patet ex Tridentino, *sess. 7. can. 8. & 9.* Gratia habitualis dicitur qualitas supernaturalis, qua homo formaliter iustificatur, & confertur ex opere operantis, & ex opere operato. Ex opere operantis confertur solum propter meritum, & dispositionem suscipientis, vnde peccator eliciens actum contritionis, dicitur recipere gratiam ex opere operantis; quia recipit gratiam propter propriam dispositionem. Ex opere operato confertur gratia, non propter solam dispositionem suscipientis, sed propter aliquid aliud externum institutum à Deo ad conferendum gratiam, vltra meritum operantis. Hinc est, quod ex parte suscipientis inæqualiter recipitur gratia, propter inæqualem dispositionem, S. Thom. *par. 3. quæst. 69. art. 8.* & Bonacin. vbi supra *disput. 1. quæst. 4. pun. 1. 2. & 3.* & quia Deus intuitu sacramentorum repræsentantium merita Christi producit gratiam, sacramenta sunt causa moralis instrumentalis gratiæ, quam producere solent, quando sunt in esse completo sacramenti, excepto sacramento Euchatistiæ, quod cum sit sacramẽtum permanens, non producit gratiam, quando est completa forma consecrationis, sed in ipsa susceptione Eucharistiæ, Sotus *in 4. distin. 9. quæst. 2. art. 2.* & Bonacin. *dicta quæst. 4. pun. 7. num. 2. & 3.*

De Baptismo.

Titulus II.

Quid, & quotuplex sit, ex quibus constet, à quo conferatur; quibus, quando, vbi, & quos effectus producat.

QVID,

QVID, ET QVOTVPLEX. Quia baptiſmus eſt fundamentum, & ianua omnium Sacramentorum, vt per Fagn. in cap. omnis, num. 2. de pœniten. & remiſſ. meritò incipimus hoc ſacramentum explicare, & triplex eſt ſanguinis, flaminis, & fluminis. Baptiſmus ſanguinis fit per martyrium, quod dicitur paſſio lethalis ſuſcepta pro Chriſti fide, ſeù pro vera virtute, *cap. baptiſmi vicem, 32. de conſecrat. diſtinct. 4.*

Baptiſmus flaminis eſt pœnitentia, ſeu dolor perfectus de peccatis ob Dei amorem. Qui nequit realiter accipere baptiſmum, eliciat actum contritionis cum propoſito illum ſuſcipiendi, & obtinet remiſſionem peccatorum, *cap. apoſtolicam, 2. de presbyteris non baptizatis*. Baptiſmus fluminis, *eſt ſacramentum regenerationis per aquam in verbo vitæ, cap. penult. de baptiſmo*. Vel definiri poteſt, *eſt Sacramentum conſiſtens in ablutione corporis exteriori, ſub præſcripta forma verborum à Chriſto inſtituta ad regenerationem ſpiritualem*, Martin. Bonacin. *de baptiſmo diſput. 2. quæſt. 2. pun. 1. n. 1.* hæc ſpecies baptiſmi eſt verum, ac proprium Sacramentum.

EX QVIBVS. Hic agendum eſt de Baptiſmo fluminis, & conſtat materia, forma, & intentione miniſtri. Materia, eſt omne genus naturalis aquæ, ſiue maris, ſiue fluminis, ſiuè tinta, ſiuè calida, dummodò non ſit nec alterata, nec commiſta cum alio liquore, deſumitur hoc ex illis verbis, S.C.Triden. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & ſpiritu &c. ſeſſ. 7. de baptiſmo, can. 2.* & eſſe debet tanta quantitas, vt ſufficiat ad abluendum membrum corporis, nec intereſt quod vna, aut trina ablutio adhibeatur, quamuis conueniat ſeruari vniuſcuiuſque Eccleſiæ conſuetudinem, *cap. de trinitate, 78. de conſecrat. diſtin. 4.* Qui Baptiſmus fluminis nō ſolum fieri poteſt per ablutionem, verum etiam per infuſionem & immerſionem iuxta ritū Eccleſiæ vbi adminiſtratur, alias grauiter peccat, Bonacin. vbi ſupra, *diſput. 2. q. 2. pun. 3. n. 18.* & Auguſt. Barboſ. *de offi. & poteſtat. parochi, par. 2. cap. 18. num. 47.*

Forma conſiſtit in illis verbis, *Ego te Baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* in qua non eſt facienda mutatio ſubſtantialis; accidentalis enim, vt eſt error in pronunciatione ſyllabarum pro ſola ignorantia Romanæ locutionis non afficit baptiſmo, *cap. retulerunt, 84. de conſecrat. diſtin. 4.* Per illud verbum *te*, requiritur vt baptizans ſit diſtinctus à baptizato, vnde nè va-

varietur forma, nemo baptizare poteſt ſeipſum, *cap. debitum*, 4. *eod.* & ex eadem ratione ſunt exprimendæ perſonæ Sanctiſſimæ Trinitatis, Barboſ. *vbi ſupra n.* 53. Per verbum *baptizo*, *emergo*, vel quid ſimile oſtenditur actio, quapropter plures baptizari poſſunt paſſiuè, quia non mutatur forma, minimè autem actiuè, Bonacin.dicta *diſput.2.quaſt.2.pun.4.num.21.*

A' QVO. Miniſter huius ſacramenti, eſt Sacerdos, *cap.conſtat*, 17. *de conſecrat. diſtin.* 4. in caſu tamen neceſſitatis eſt quilibet homo, tam maſculus, quam fœmina, ſiue fidelis, ſiue infidelis, *cap.à quodam*, 22.*de conſecrat.diſt.*4. ratio eſt, quia baptiſmus non habet efficaciam à miniſtro, ſed à principali Agente, qui eſt Chriſtus, Fagn.in *cap.ſi quis puerum, n.* 9. 15. & 16.*de baptiſmo*, vnde; baptizati à Caluiniſtis, qui ſciant debitam formam proferre, cum debita intentione, non ſunt rebaptizandi, Fagn. in *cap.quoniam, num.*24.*de conſtitut.* imò in caſu neceſſitatis pater validè poteſt baptizare filium, & non contrahitur cognatio ſpiritualis cum vxore, *cap.ad limina*, 7.*quaſt.*1.& Idem in *cap.ſi vir*, *n.*7.*de cognat.ſpirit.*

CVI, ET QVANDO. Subiectũ huius Sacramenti dicitur quilibet homo natus exiſtens in hoc mortali corpore, ſiue ſit infans, ſiue adultus, ſiue maſculus, ſiue fęmina; excluduntur tamen mortui, & monſtruoſi qui non cognoſcuntur, an ſit animal rationale. Adeſt tamen differentia inter infantem, & adultum; quia infans baptizatur in fide parentum, & non tenetur elicere actum voluntatis, *cap.paruuli*, 72.*de conſecrat.diſt.*4. & ſi poſt quam ſit in adulta ætate nolit credere eſſe baptizatum, & ratum habere, quod geſtum eſt per patrinos, ille ad chriſtianam vitam eſt compellendus, & arceatur à Sacramentis, donec reſipiſcat, Tridentin. *ſeſſ.* 7. *can.*14. *de baptiſmo.* Imminente periculo mortis, quidquid appareat de puero extra vterum baptizetur propter penetrabilem, & occultam operationem Sancti Spiritus, Fagn. in *cap.nè innitaris, num.*378.*de conſtitut.*

In adultis verò duo requiruntur. Primò intentio actualis, vel virtualis accipiendi Sacramentum baptiſmatis, alias non imprimitur character, & ſi non conſtet de illa intentione, eſſet rebaptizandus ſub conditione, Idem in *cap.maiorem, n.*68. 69. & 70. *de baptiſmo*. Secundò requiritur fides, & attritio ad recipiendum gratiam, & remiſſionem pœnę, alias recipitur quo ad characterem, ſed non quo ad gratiam, *cap. nihil*, 74. *de conſecrat.diſtin.*

stin. 4. Muti & surdi simul, alijs pro se profitentibus rectè baptizari possunt, *cap. quaeris, 12. de consecrat. dist.* 4. nec non dormiens & amens, si ante somnum, & amentiam habuerunt propositum baptizandi baptizari possunt, Lancell. *instiut. can. lib.* 2. *hoc tit.* §. *de dormientibus*.

VBI. Ecclesia baptismalis est matrix, seu dicitur Ecclesia parochialis, Fagn. in *cap. cum contingat, n.* 34. *de decimis*, nam in priuatis domibus baptismus conferri non debet, nisi ex magna necessitate; vel ob magnam nobilitatem, *Clement. vn. de baptismo*, & Idem in *cap. ex transmissa, num.* 16 *de fil. presbyt.*

EFFECTVS. Quod Sacramentum producit plures effectus, nempè confert gratiam, qua non solum deletur peccatum originale, verum etiam delentur peccata actualia commissa ante baptismum, cum non sint materia sacramenti pęnitentiæ, *cap. maiores, 3. de baptis.* S. Thom. *par. 3. quaest. 69. art* 1. 4. *&* 6. & Bonacin. *de bapt. disput. 2. quaest. 2. pun. 7. nu.* 1. 4. *& sequentes*, quæ gratia à baptismo pueris æqualiter confertur: adultis verò inæqualiter pro ratione maioris, vel minoris dispositionis, S. Thom. *locis citatis*.

Delet omnem pœnam peccato debitam, vnde baptizatis non est iniungenda pęnitentia pro peccatis præteritis, Bonacin. dicta *disput. 2. quaest. 2. pun. 7. n.* 5. remanent tamen pęnalitates, vt est concupiscentia, infirmitas, & alia, ad hoc vt homines exerceant se ad luctam, & pugnam spiritualem cum merito fidei, vt deindè coronam victoriæ recipiant, *cap. per baptismum, 1. de consecr. dist.* 4.

Imprimit characterem, qui est indelibilis, vt de fide constat ex Trident. *sess. 7. de baptis.* & iterantes scienter baptismum sunt deponendi ab officio, & beneficio, *cap. qui bis, 115. de consecrat. distin.* 4. sed si ignoranter quis rebaptizetur, nulla quidē imponēda erit pęnitentia, sed nisi magna cogat necessitas, ordinari non poterit, Lancell. *institut. can. lib. 2. hoc tit.* §. *quod si quis*.

Denique per baptismum susceptus de sacro fonte efficitur filius spiritualis baptizantis, & suscipientis, Fagn. *in cap. ex literis, n.* 3. *&* 13. *de cognat. spirit.* Ad summum vnus tantum, & vna suscipere debent, *ibidem, num.* 4. Non omitto tamen dicere, quod Baptismo est annexa obligatio profitendi fidem, Idem in dicto *cap. maiores, num.* 109.

De

De Confirmationis Sacramento.

Titulus III.

Quid sit, ex quibus constet, à quo conferatur, quomodo, cui, & quos effectus producat.

QVID SIT. Sacramentum confirmationis est complementum baptismi, & ante confirmationem, quis non dicitur plenè Christianus, Fagn. in *cap. responso, num. 27. de sent. excommunicat.* & Barbos. *de offic. & potest. episcopi, par. 2. alleg. 30. num. 8.* meritò igitur ita definitur, *est illud, quo viator baptizatus vngitur in fronte ab Episcopo cum chrismate, & præscripta forma verborum ad fidei robur consequendum,* Martin. Bonacin. *de sacram. confirmationis, disput. 3. pun. 1. n. 1.*

EX QVIBVS. Quæ confirmatio constat ex materia, forma, & intentione ministri. Materia duplex est proxima, & remota. Materia remota est Chrisma ex eoleo oliuarum, & balsamo confectum per Episcopum benedicto, Fagn. in *cap. cum venisset, n. 53. de sacra vnct.* Materia proxima est manus impositio, & vnctio in fronte baptizati, quæ est de essentia huius sacramenti, Fagn. *ibidem, num. 5.*

Forma sunt illa verba *signo te signo Crucis, & confirmo te Chrismate salutis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti* quæ variari non potest substantialiter ex adductis iuribus in præcedenti titulo, & latè Barbos. dicta *alleg. 30. n. 22.*

A' QVO. Minister ordinarius huius Sacramenti est Episcopus, Trident *sess. 7. de confir. can. 3.* ac etiã simplex Sacerdos, si sit Delegatus à Papa ad hunc effectum, Fagn. in dicto *cap. cum venisset, num. 2. 4. &* 8. Qui Episcopus vel Delegatus in die feriali, etiam non ieiunus, & non ieiunis in Ecclesia, vel loco honesto, aut palatio Episcopi potest hoc Sacramentum ministrare intra suam Diœcesim, vel in alia de consensu illius Episcopi, alias incidit in pænam suspensionis ab exercitio Pontificalium, Triden. *sess. 6. de reformat. cap. 5.* & Barbos. dicta *allegat. 30. num. 12. & 15.*


QVOMODO. Tam in basptismo, quam in confirmatione

requiritur patrinus ad suscipiendum baptizatum, qui esse debet baptizatus, & confirmatus, & si non sit baptizatus, etiam imprimitur charecter. Ad summum sit vnus, & vna, qui suscipiant, Triden. *sess.* 24 *de reformat. matrim. cap.* 2. & Lancell. *institut. canon. hoc tit.* §. *admonendi*, atque deinde nomina & cognomina confirmatorum, patrum, matrum, patrinorumque, seu matrinarum, & ipsius Episcopi illud administrantis describi debent à Notario Episcopi, vel à Parocho maximè in Oppidis, Barbos. *de off. parochi*, *par.* 1. *cap.* 7. *num.* 16. Differt tamen à baptismo, quia hoc sacramentum, non est necessarium necessitate medij, nec necessitate præcepti, dum nullibi constat de hoc præcepto, sed si omittatur in contemptum peccat mortaliter. Baptismus verò est necessarius necessitate medij, Bonacin. *dicta disp.* 3. *quæst. vn. pun.* 2. *num.* 1.

CVI. Subiectum huius sacramenti, est omnis homo baptizatus, siue sit adultus, siue infans; verùm melius est quod conferatur infantibus, postquam ad rationis vsum peruenerunt ad hoc vt recordentur se hoc sacramentum recepisse, ne iterum recipiant, & hoc vsu receptum videtur, Bonacin. *dicta disput.* 3. *quæst. vn. pun.* 4. *num.* 4.

Adest tamen differentia inter infantes, & adultos, quia in infantibus, ante quam habeant vsum rationis, sufficit voluntas Christi, & Ecclesiæ; in adultis verò requiritur intentio, fides, & quod putent saltem esse in gratia, Bonacin. *vbi supra*, *pun.* 4. *num.* 7.

EFFECTVS. Per quod sacramentum confirmato datur Spiritus Sanctus ad robur, sicut datus est Apostolis in die Pentecostes, *cap.* 2. *de consecrat. distin.* 5. Imprimitur character, qui supponit characterem baptismi; & contrahitur cognatio spiritualis inter confirmantem, & confirmatum, illius patrem, matrem, & tenentem non egreditur, Tridentin. *sess.* 24. *de reformat. matrim. cap.* 2. Nota tamen, quod vtrumque sacramentum possunt conferri tempore interdicti ecclesiastici, Io. Paul. Lancell. *in fine huius tit.*



De

De Sacramento Pænitentiæ.

Titulus IV.

Sacramentum pænitentiæ quid sit, quibus requisitis indigeat; enumerentur partes ex quibus constat; assignantur minister, subiesubiectum, & effectus quos producit.

QVID SIT. Hoc sacramentum pænitentiæ fuit institutum à Christo, tunc præcipuè cum à mortuis excitatus, insuflauit in discipulos suos, dicens: *Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt*, Trident.*sess.* 14. *de sacramento pænitentiæ*, *cap.* 1. *in medio*, & secundum Lancell. *instit. can. hoc tit. in prin.* ita definitur, *est quod contritione, confessione, & satisfactione concurrentibus operatur remissionem peccatorum.*

REQVISITA. Dixi *contritione*, ad denotandum, quod pænitens habere debet perfectum dolorem de peccatis commissis, quatenus sunt offensa Dei, cum proposito non peccandi de cætero, Trident. *sess.*14. *de sacram. pæniten. cap.* 4. nam contritus, quo ad Deum est absolutus, etiam ante sacramentalem confessionem, Fagn. *in cap. à nobis*, il secondo, *num.* 10. *de senten. excommunicat.* quæ contritio non indiget, vt sit longo tempore duratura, quia potest homo iustificari in exiguo momento temporis, nec est necessaria necessitate medij, nam si homò iustus repentè moriatur sine contritione, salutem obtinet. Verum est necessaria necessitate præcepti, quia contritione culpabiliter omissa, salus non obtinetur, Martin. Bonacin *de sacramento pænitentiæ disput.* 5. *section.* 1. *pun.* 2. *num.* 5. Ad effectum recipiendi hoc sacramentum cum fructu est necessaria attritio, quæ dicitur dolor imperfectus proueniens ex consideratione turpitudinis peccati, vel gehennæ, & metu pœnarum; vnde ex defectu attritionis, vel contritionis sacramentum dicitur informe, quo casu est validum, sed non producit gratiam, Bonacin. *vbi supra pun.* 3. *num.* 3. 8. *& per totum.* Vnum nota, quod attritus non sit contritus, si absoluatur à Sacerdote potestatem non habente, Fagn. *in cap. cum venisset, n.* 97. *de sacr. vnct.*

 Dixi

Dixi *confessione*, confessio enim est canonica peccatorum coram proprio Sacerdote facta declaratio; nomine proprij Sacerdotis venit Papa, Episcopus, & Parochus, Fagn. *in cap. nuper*, *n.33. de senten. excomm.* quæ confessio vt dicatur canonica, fieri debet per se ipsum, ore proprio, & non per epistolam, vel internuncium, Idem *in cap. omnis*, *num. 33. de paeniten. & remiss.* ac ante omnia de iure diuino præerequitur examen conscientiæ Trid. *sess.* 14. *cap.* 5. *& can.* 7. & vltra requiruntur sexdecim conditiones, quæ in his carminibus continentur, quas eleganter explicat Bonacin. *loco citato*, *sect.* 11. *pun.* 1. 2 *&* 3. *& sequen.*

Sit simplex, *humilis confessio*, *pura*, *fidelis*,
Atque frequens, *nuda*, *& discreta*, *libens*, *verecunda*,
Integra, *secreta*, *& lacrymabilis*, *accelerata*,
Fortis, *& accusans*, *& sit parere parata*,

Vltima particula definitionis sacramentis pænitentiæ est *satisfactione*. Quæ dicitur compensatio pænæ temporalis debitæ ob iniuriam Deo illatam consistens in operibus pænalibus taxatis à confessario; & est imponenda arbitrio confessarij, considerata tamen peccatorum grauitate, & qualitate, Trident. *sess.* 14. *cap.* 3. *&* 8. ac est adimplenda in statu gratię, alias qui ponit obicem ad remissionem pænę purgatorij, peccat saltem venialiter, verumtamen satisfacit præcepto; & cum reuiuiscat in gratia, etiam illa satisfactio reuiuiscit, quia est opus sacramentale, & ex se viuum, licet quodammodo mortificatum. Hoc non procedit in alijs operibus factis in peccato mortali, quia reputantur mortua, & non reuiuiscunt, Bonacin. *dicta disput.* 5. *hoc tit. quæst.* 3. *pun.* 4. *num.* 18.

PARTES. In quo sacramento tria concurrere debent materia, forma, & minister. Materia duplex est proxima, & remota. Materia proxima sacramenti pænitentiæ, sunt actus pænitentiæ, videlicet contritio, confessio, & satisfactio, Concil. Triden. *sess.* 14. *de sacram. pænit. cap.* 3. *& can.* 4. Materia remota sunt peccata mortalia, & venialia. Cum hac tamen differentia peccata mortalia sunt materia necessaria, & venialia materia sufficiens; quis non tenetur confiteri semel in anno peccata venialia specialiter, sed in generali, Fagn. *in cap. omnis*, *num.* 17. *de pæniten. & remiss.* Forma sunt illa verba, *ego absoluo te in nomine Patris*, *&c.* vt per Trident. *dicta sess.* 14. *cap.* 3

A'QVO.

Digitized by Google

A' QVO. Minister est sacerdos habens auctoritatem absoluendi, vel ordinariam, vel delegatam: alioquin ab alio facta absolutio nullius momenti est, Tridentin. *sess.* 14. *cap.* 6. & *can.* 10. iuncta *sess.* 23. *cap.* 15. *de reformat.* Igitur confessarius per examen esse debet approbatus ab Episcopo, vel eius Vicario, & si quis ignoranter confessus fuerit cum eo, qui non est approbatus ab Ordinario, quo ad Deum est absolutus, verùm quando illud sciuerit, tenetur reiterare confessionem, Barbos. *de off. & potest. episcopi, par.* 2. *allegat.* 25. *num.* 3. etiam est reiteranda confessio, quando non est integra, vel si prius absolutus sit à peccatis, quam à censuris, & in pluribus alijs casibus vt per Bonacin *loco cit. quæst.* 5. *pun.* 3. *num.* 1. *& per totum.* limitatur in articulo mortis, quia tunc quilibet simplex sacerdos, potest pænitentem absoluere à quauis censura, Trident. *sess.* 14. *cap.* 7.

CVI. Subiectum respicit omnes fideles baptizatos habentes peccata mortalia commissa post Baptismum, postquam ad annos discretionis peruenerunt, probatur ex Concil. Tridentin. *sess.* 14. *cap.* 4. *&* 5. *& ex cap. omnis vtriusque*, 12. *de pæniten. & remiss.* de iure Canonico semel in anno quisque fateri tenetur; ex communi vsu annus videtur inchoandus ab vno Paschate ad sequens Pascha circiter. Vnde fidelis qui semel in anno non confitetur est suspectus de hæresi, *dicto cap. omnis*, & ibi Fagn. *num.* 15. verùm de iure diuino quoties existit in probabili periculo mortis tenetur fateri, Bonacin. *hoc tit. disput.* 5. *quæst.* 5. *pun.* 4. *num.* 12. *&* 13.

EFFECTVS. Per quod Sacramentum Pænitens recipit nonnulla beneficia, nempè remittuntur peccata mortalia & venialia, modò adsit debita & sufficiens dispositio, & non ponatur obex: quæ peccata remissa quoad reatum pœnæ per subsequens peccatum non redeunt, quamuis ratione ingratitudinis contra beneficium prius acceptum dici possint redire, tamen in se formaliter non redeunt, ita S. Thomas, 3. *par. quæst.* 88. *art.* 3. *&* 4. Infunditur noua gratia, & patet, quia homo iustificatur per nouam gratiam, quæ vel illi confertur intuitu dispositionum, vt contritionis, quam peccator elicuit; vel intuitu Sacramenti quod suscepit, Bonacin. *hoc tit. disput.* 5. *quæst.* 5. *sect.* 4. *pun.* 2. *num.* 4. Restituitur tota gratia præcedens, quæ præcedentibus meritis respondebat; nam sicut reuiuiscunt


me-

merita per subsequentem pænitentiam, ita etiam restituitur gratia præcedentibus meritis respondens Bonacin. *ibidem n.* 4. *&* 5.

Recuperantur virtutes, quæ ita connexæ sunt cum gratia, vt simul cum ea amittantur, intellige iuxta gradum gratiæ respondentem, S. Thom. *par.* 3. *quæst.*89. *art.* 1. *&* 2. ratio est, quia restituitur gratia quod est principale, ergo & virtutes quæ sunt accessoriæ ad gratiam. Tum quia supposita infinita Dei misericordia, pænitentia non est minoris efficaciæ, quam peccatum, sed per peccatum amittuntur virtutes infusæ: ergo etiam per gratiam recuperantur virtutes infusæ, Bonacin. *vbi supra num.*6.

Vltimò, omnia quæ manifesta sunt Sacerdoti per ordinem ad confessionem sacramentalem factam animo se accusandi cadunt sub sigillum confessionis, ideoque illa reuelare Confessarius prohibetur de iure naturæ ad cauendum infamiam proximi. De iure Diuino, quia vices Dei gerit; sicut ergo Deus ita remittit peccata, vt ea tegat, eorumque abliuiscatur; ita Confessarius tenetur peccata in confessione audita omnino cælare. Et de iure ecclesiastico, vt colligitur ex *cap. omnes de pæniten. & remiss.* Ratio cur hæc omnia cadant sub sigillum est, quia ex horum manifestatione Confessarius censetur sacrilegus, sigilli violator, & confessio redditur odiosa. Excipiuntur tamen plures casus, vt quando adest pænitentis licentia, vel quando pro consilio obtinendo manifestat peccatum sine expressione personæ, quia in his casibus non rumpitur sigillum. Fagn. *in cap. officij, n.*21. *&* 23. *de pæniten. & remiss.* & Bonacin. *citata disp.*5. *quæst.*6. *pun.*4.

Aduerte, quod peccata tripliciter purgantur: aut donantur, aut delentur, aut teguntur. Donantur per gratiam Baptismi, *cap. nullus expectat*, 7. *de pæniten. dist.* 7. Delentur, effusione sanguinis Christi; & teguntur per charitatem, *cap. charitas*, 19. *dist.*2. & Analys *iur. pontif. lib.*5. *hoc tit.* §. *effectus.*



De

De Euchariſtia .

Titulus V.

Vnde dicatur , quid ſit , ex quibus conſtet , à quo , cui , quando , & qualiter conferri poſſit : & quos effectus producat .

QVID SIT . Euchariſtia græce dicitur *Synaſis* , ideſt communio , & ſocietas , quia per hoc Sacramentum Chriſti fideles vniuntur cum Chriſto ; & latinè præcipuè ſignificat bonam gratiam , qui continet Chriſtum , qui eſt plenus gratia , *cap. multi* , 84. *verſic. latinè* , 1. *quæſt.* 1. & ita definitur, *eſt ſacramentum continens ſub ſpecie panis , & vini , vel alterius eorum , corpus , & ſanguinem Chriſti* , *cap. nos autem* , 40. *de conſecrat. diſtin.* 2. ac quotidie ſacerdos ſacrificare debet , ſemel tantum, & non pluries , niſi ex magna cauſa , vel in Natiuitate Domini , Lancell. *inſtitut. canon. lib.* 2. *hoc tit. §. inualuit* .

EX QVIBVS . Quod Sacramentum conſtat ex materia , forma , & intentione miniſtri . Materia eſt panis triticeus , & vinum de vite , cui ante conſecrationem aqua modiciſſima admiſceri debet , *cap.* 1. *de conſecrat. diſtin.* 2. qui panis tranſubſtantiatur in corpus , & vinum in ſanguinem Chriſti , Concil. Trident. *ſeſſ.* 13. *de ſacramen. euchar. cap.* 4. *& can.* 2. Verùm ille panis ſit triticeus , ad excluſionem panis milli , hordei , & ſimilium : ſit confectus aqua naturali, coctus igne per modum aſſationis , aut in furno , aut ſub cinere , aut in ferro calido; ſit præſens moraliter , ita vt poſſit deſignari per particulam *hic* ; & ſit tanta quantitas ſenſibilis , quod poſſit opportuno tempore ſumi , & à corruptione defendi , alias conſecrando tantam quantitatem , quæ non poſſit ſumi opportuno tempore , validè, ſed illicitè agit , quia peccat , Martin. Bonacin. *de ſacram. eucharistia diſput.* 4. *quæſt.* 11. *pun.* 1. *num.* 3. *& pun.* 6. *num.* 2.

Aduerte , quod inter Græcos , & Latinos adeſt differentia , quia Græci vtuntur pane fermentato in conſecrando . Latini pane tritico azymo , & ſi Clericus latinus celebret in pane fermentato , valida eſt conſecratio , quia ille panis non differt ſpecie pane azymo , ſed grauiter peccat , dum facit contra præ-

ceptum

ceptum Ecclesiæ in re graui, vt colligitur ex *cap. litteras*, *vlt. de celebrat. missarum*. Vinum sit de vite, siue sit album, siue nigrum, siue mustum; excluditur tamen acetum, vinum corruptum, & aqua affluens ex vitibus, *cap. cum omne*, 6. *de consecrat. distin.* 2. & aqua sit modicissima, *cap.* 1. *de consecr. dist.* 2. ita vt non excedat tertiam partem vini, quæ est admiscenda ratione præcepti ecclesiastici, Trident. *sess.* 22. *can.* 7. *&* 9. & si loco vini consecrauit solam aquam, post susceptionem aquæ debet denuò vinum consecrare, quia præceptum quod sit ieiunus, est ecclesiasticum; & præceptum de integritate Sacrificij est de iure diuino, quod fortius ligat, & meritò est consecrandum vinum, Bonacin. *dicta disput.* 4. *quæst.* 2. *pun.* 5. *per totum*, sed si per negligētiam aliquid de sanguine Domini stillauerit in terram, quid agendum sit, vide *cap. si per negligentiam*, 26. *de consecr. dist.* 2.

Forma Sacramenti corporis sunt illa verba, *Hoc est enim corpus meum*. Et forma sanguinis sunt illa alia, *Hic est sanguis meus*, cum sequentibus, vt in Canone. Completa forma verborum cum debita intentione, fit in eodem instanti transubstantiatio panis in corpus, & vini in sanguinem Christi, *cap. panis*, 38. *cap. nos autem*, 40. *& cap. corpus*, 59. *de consecrat. dist.* 2. Transubstantiatio aliud non est, quam conuersio, seu transitus totius substantiæ in aliam. Vnde non est necesse consecrare sub vtraque specie necessitate sacramenti, quia alias hostia non esset adoranda ante consecrationem calicis. Sed necessitate præcepti, alias committit graue peccatum sacrilegij, *cap. comperimus*, 11. *de consecrat. distin.* 2.

A' QVO. Et sicut nemo alius conficit hoc Sacramentum, quam Sacerdos, ita nemo alius præter Sacerdotem erogat. Concil. Trident. *sess.* 23. *cap.* 1. sed in articulo mortis si absit Sacerdos, potest Diaconus illud erogare, etiam præsente presbytero, si necessitas cogat, *cap. diaconos*, 13. & *cap. præsente*, 17. *dist.* 93. Religiosi ex se illud omninò administrare prohibētur sub excommunicatione ipso facto incurrenda reseruata Summo Pontifici, *Clemen. religiosi*, 1. *de priuileg.* Requiritur tamen, quod ille Sacerdos non sit in peccato, & si sit in peccato, & forsan fateri non potest, eliciat actuum contritionis; sine quo si pluribus successiuè administret, plura peccata committit, quia dictæ actiones, singulæ habent suum definitum terminum,

num, in quo conficiuntur, & complentur, latè Bonacin. *vbi ſupra diſp.4. quaſt.2.num.5. qui in ſequenti num.* affert contrariam partem.

CVI. Subiectum huius Sacramenti eſt quilibet homo baptizatus habens fidem, & intentionem actualem, aut virtualem illud recipiendi, ſed eſt ſumendum à ieiunis, *cap. liquido*, 53. *de conſecrat. diſt.* 2. & Fagn. *in cap. ſi conſtiterit*, *num.* 54. *de accuſat.* Limita quando quis eſt in articulo mortis, quoniam tunc, etiam fracto ieiunio poteſt ſumere Euchariſtiam, ratio eſt quia præceptum de ſumendo viaticum eſt de iure diuino, & illud de ieiunio eſt de iure poſitiuo,ideoq; in corrurentia potius eſt ſeruandum illud,quod eſt de iure diuino. Hac de cauſa nè infirmis hoc ſacramentum deſit, parocho incumbit, vt Euchariſtiam ſemper paratam habeat pro infirmis, eamque fideli cuſtodia, & clauibus aſſeruatam, ne ſacrilegorum manus eo poſſint pertingere, *cap.1. de cuſtodia euchariſtiæ*, & Trident. *ſeſſ.*13. *cap.* 6. *hoc tit.* à cuius perceptione ſacerdos nullum accedentem reijcere poteſt, niſi ſciat illum commiſiſſe crimen notorium, Henric. Caniſius *in ſumm. iuris canon. hoc tit. §. cæterum.*

QVANDO. De præcepto Eccleſiæ ſemel in anno quilibet Chriſtianus habens vſum rationis à proprio Sacerdote Euchariſtiam ſumere tenetur,Tridentin.*ſeſſ.* 13.*can.* 9. iuncto *cap. omnis, vtriuſque ſexus*, 12. *de pœniten. & remiſſ.* non ſumentes ad minus in Paſchate dant ſignum hæreſis, Fagn. *in dicto cap. omnis, num.*10. *&* 44. De iure diuino ſolum in articulo mortis tenentur illud recipere ad hoc vt præparentur ad tranſitum, alias peccant mortaliter, Bonacin *hoc tit. diſput.* 4. *quaſt.* 7. *pun.* 1. *num.*1.Etiam aliquoties in vita ex præcepto diuino fideles communicare tenentur, S. Thom.*par.* 3. *quaſt.* 80. *art.* 11. & Bonacin. *dicto pun.*1. *num.*8.

QVOMODO. Quod ſacramentum ſub vna tantum ſpecie panis laicis, & clericis non conficientibus diſtribuitur, Concil. Triden.*ſeſſ.*21.*cap.*1. tamen quando in ſacrificium Deo offertur à ſacerdotibus, neceſſe eſt vtramque ſpeciem ſimul coniungi, & offerri, *cap. relatum*, 10. *de conſecrat. diſt.* 2. adeò vt ſi inchoato ſacrificio, morbo præpediatur, alius ipſi ſacerdos ſuccedere poſſit, qui cœptum ſacrificium peragat, *cap. nihil contra*, 7. *quaſt.*1.

EFFECTVS. Virtus huius sacramenti est charitas, & vnitas, quia per hoc charitatis sacramentum Christo incorporati vnum euadimus, Lancell. *in fin. tituli*, præseruat à mortalibus. ac dat auxilium ad rectè operandum, & temperandum fomitem peccati, Trident. *sess.* 13. *cap.* 2.

De Sacramento extremæ vnctionis.

Titulus VI.

Quid sit, ex quibus constet, cui concedatur, & quos effectus producat.

QVID SIT. Hoc Sacramentum nuncupatur exeuntium, quia tantum infirmo de cuius morte timetur exhibetur, vt *in cap.* 3. *de sacra vnct.* & ita definitur, *est visib le signum interius infusæ gratiæ*, *cap.* 1. *de sacra vnct.*

EX QVIBVS. Ad instar aliorum sacramentorum requiritur debita materia, forma, & proprius minister ad hoc vt legitimè conferatur. Materia duplex est proxima, & remota: materia remota, est oleum ex oliuis per Episcopum benedictum; & conficitur chrisma, quod ex oleo fit, & balsamo mystica ratione. Per oleum enim nitor conscientiæ designatur. Per balsamum odor famę exprimitur, latè *in cap.* 1. *ver. per oleum, hoc titulo*; Itaut si oleum non sanctificatum adhibeatur in extrema vnctione, non fit Sacramentum, Fagn. *in cap. cum venisset*, *num.* 51. *eodem*. Materia proxima, est vnctio per modum Crucis, *cap.* 1. §. *sane*, *de sacra vnct.* Dixi per modum Crucis non ex necessitate Sacramenti, sed ex necessitate præcepti; & prætermisso Crucis signo non peccat mortaliter: quia non constat de hoc præcepto sub mortali obligante. Bonac. *disp.* 7. *quæst. vn. pun.* 2. *num.* 9. Forma consistit in illis verbis, *per istam sanctam vnctionem, & suauissimam misericordiam, indulgeat tibi Deus, quid quid &c.* Bonacin. *de sacram. extr. vnctionis disput.* 7. *quæst. vn. pun.* 3. *num.* 1.

A' QVO. Minister, est Episcopus, siue Sacerdos parochus ab eo ritè ordinatus, Tridentin. *sess.* 14. *cap.* 3. qui parochus adhibeat alium ministrum respondentem, & ante huius administra-

ſtrationem, dicat orationes, quæ ab Eccleſia præſcribuntur, alias peccat mortaliter, niſi ſit periculum in mora, Martin. Bonacin. *hoc tit. diſput. 7. quaſt. vn. pun. 6. num. 7.*

Dixi *Sacerdos parochus*, ad excluſionem Diaconi, qui ſine vitio inualiditatis, non poteſt illud adminiſtrare; & ad excluſionem ſimplicis Sacerdotis, quia ſine licentia proprij parochi nequit illud adminiſtrare; eadem prohibitio extenditur ad Re- Religioſos ſub excommunicationis pœna, *Clement. 1. iuncto, §. fin. de priuilegijs*: & hoc eſt nè vſurpetur alterius iuriſdictio, Bonacin. *dicta diſput. 7. quæſt. vn. pun. 4. num. 6.*

CVI. Receptores huius Sacramenti ſunt ſoli fideles de vita periclitantes ſiue maſculi, ſiuè fœminæ, qui ratione vtantur, vel certe antea vſi ſint, hocque recipere poſſunt, quando exiſtunt in mortis periculo, alias ſi conferatur ſano vel infirmo non exiſtenti in probabili mortis periculo, redditur inualidum Trident *ſeſſ. 14. dicto cap. 3.* De neceſſitate ille infirmus eſt vngendus in quinque ſenſibus corporis, & ſufficit quod vnum organum vngatur ex duobus oculis, & ſi careat aliquo membro, eſt vngendus in parte magis illi propinqua, ſed non eſt neceſſe aliquem ordinem ſeruare. Quod Sacramentum in vltima vnctione virtute præcedentium impendit ſuos effectus, Filiuc. *tract. 3. num. 226.*

EFFECTVS. Effectus huius Sacramenti plures ſunt, 1. eſt abſtergere reliquias peccatorum. 2. auctio gratiæ. 3. ſubleuare infirmum à corporali ægritudine, & ſanitatem conferre ſi expediat ſaluti animæ. 4. interior lætitia. 5. diminutio pœnæ peccato debitæ. 6. artatio diabolicæ poteſtatis Tridentin. *ſeſſ. 14. de ſacra vnctione can. 2.* & Dan. Venatar. Analyſ. *iur. pontif. de ſacra vnctione, §. finis.*

***



De Sacramento Ordinis.

Titulus VII.

Quid, & quotuplex sit, ex quibus constet, à quo conferatur, cui, quando, & quos effectus producat.

QVID SIT. Hoc Sacramentum institutum fuit à Christo in vltima cœna in illis verbis, *hoc facite in meam commemorationem*, quibus verbis dedit potestatem Sacerdoti consecrandi, Trident. *sess.* 21. *cap.* 1. & sic definitur, *est signaculum quoddam Ecclesiæ, per quod spiritualis potestas traditur ordinato*, Io: Paul. Lancell. *instit. iur. can. lib.* 2. *hoc tit. in principio*. Ordo enim importat quemdam dignitatis gradum, Fagn. *in cap. cum contingat, num.* 97. *de ætat. & qualit.*

QVOTVPLEX. Quod sacramentum per Trident. *sess.* 23. *cap.* 2. diuiditur in septem ordines, nempè in quatuor minores, & tres maiores, quatuor minores sunt Ostiariatus, Lectoratus, Exorcistatus, & Acolytatus. Maiores vocantur Subdiaconatus, Diaconatus, & Præsbyteratus. Verum quia ordinum distinctio desumitur ex distinctione ministerij, & ex diuersitate materiæ, & formæ, ideoque in Ecclesia militante numerantur nouem ordines, Idem *in cap. cum contingat, num.* 56. *de ætat. & qualit.* vnde secundum Canonistas Episcopatus est distinctus ordo à Presbyteratu, *cap. illud*, 1. *distin.* 77. Tridentin. *sess.* 23. *de sacram. ordinis, cap.* 4. *ver. episcopos, qui in apostolorum*, & Augustin. Barbos. *de off. & potest. episcopi allegat.* 1. *num.* 18. ac etiã Prima tonsura, est ordo, vt supra *in* 1. *lib. dictum est*; licet sint nouem, non per hoc sunt nouem sacramenta, sed vnum, propter vnitatem finis, Martin. Bonacin. *hoc tit. disput.* 8. *quæst. vn. pun.* 2. *num.* 2. *& per tot.*

EX QVIBVS. Materia huius sacramenti, est illud per cuius traditionem confertur ordo. In particulari Christus non instituit materias ordinum, sed generaliter, & indeterminatè, Fagn. *in cap. cum venisset, num.* 28. *&* 32. *de sacra vnct.* Bonacin. *de sacram. in gen. disp.* 1. *quæst.* 2. *pun.* 1. *num.* 8.

Forma sunt verba, quæ ab Episcopo proferuntur imperatiuo

modo

Digitized by Google

modo cum expressione potestatis quæ confertur, pro vt latius continetur in Pontificali Romano; & si quid ex substantialibus inordinationibus fuerit omissũ ex integro essẽt iterandę, ac si nihil esset actum, Fagn. *ibidem num. 5. & 6.* secus est, si aliquid de solemnitatibus prætermittatur, quia non iteratur, sed cautè suppletur omissum, Idem, *in cap. presbyter, num. 7. & 11. de sacram. non iteran.*

A' QVO. Minister huius sacramenti est proprius Episcopus, ex Trident. *sess. 23. cap. 3.* Fagn. *in cap. cum contingat, num. 21. de ætat. & qualit.* Ordines conferre non est tantum officij, sed & ordinis, Idem *in cap. quanto, num. 24. de consuetud.* & *in cap. vel non est compos. num. 30. de tempor. ordinat.* quam potestatem retinet, etiam si sit excommunicatus: bene verum est, quod illicitè agit, & ordinatus ab excommunicato vitando incurrit in suspensionem, Bonacin. *vbi sup. disput. 8. quæst. vn. pun. 4. num. 2.*

Dixi *proprius Episcopus*, intellige ratione originis, vel ratione beneficij, vel ratione domicilij, *cap. cum nullus, 3. de tempor. ordinat. in 6.* Vnde ratione beneficij, etiam tenuissimi quis ordinari potest ab Episcopo loci beneficij, Fagn. *in cap. omnis, num. 98. de pœniten. & remiss.* præsertim si sit beneficium iuris patronatus, vnde oritur difficultas, an laicus non subditus à patrono benificij iuris patronatus presentari possit vti clericandus, affirmatiuam tenent Viuian. *in prax. iuris patron. par. 2. lib. 6. cap. 7. num. 50.* Paris. *de resignat. benef. lib. 4. quæst. 2. num. 6.* Garz. *de benef. par. 7. cap. 1. num. 29.* & Barbos. *de off. & potest. episc. par. 3. alleg. 72. num. 78. in medio*, tutior tamen est contraria opinio, vt ex eisdem allegatis Doctoribus patet, præcipuè quia laicus non est capax beneficij de tempore præsentationis. Ratione originis ab Episcopo originis ordinari potest, licet alibi habeat domiciliũ, Idẽ *in cap. significauit, n. 12. de paroch.* Ratione domicilij ab Episcopo domicilij, August. Barbos. *de off. & potest. episcopi alleg. 4. per tot.* in quibus casibus Ordinarius potest ordinando concedere literas dimissoriales, vt ordinetur ab alio Episcopo, & hic non tenetur inquirire an promouendus sit idoneus, Idem *in cap. cum secundum, num. 50. & 55. de præben.* Sed si aliquis Episcopus sine literis dimissorijs proprij Ordinarij conferat ordines non suo subdito, nec iure domicilij, originis, beneficij, vel familiaritatis, vt in dicto *cap. cum nullus*, & Tri-

Triden.*seff.* 23. *cap.* 9. incidit in pœnam suspensionis, & ordinatio est irrita quo ad executionem, non autem quo ad substantiam, *cap. illud*, il primo, *& cap. si quis ausus*, 3. *distin.* 71. Tridentin. *seff.* 23. *de reformat. cap.* 8. & Fagn. *in cap. nullus, num.* 8. *de paroch.* Verum si ille Prælatus careat potestate ordinis ordinandus nihil recipit, Idem *in cap. statuimus, num.* 18. *de suppl. negl. præl.*

CVI. Subiectum huius sacramenti, est omnis masculus baptizatus, quam vis sit infans carens vsu rationis, aut hæreticus, Bonacin. *loco cit. disput.* 8. *quæst. vn. pun.* 5. *n.* 1. cui ordinando plura concurrere debent. Sit baptizatus, & confirmatus, Tridentin. *seff.* 23. *cap.* 4. . Habeat legitimam ætatem, nempè pro prima tonsura septennium completum, pro subdiaconatu vigesimum secundum inchoatum, pro diaconatu vigesimum tertium inchoatum, pro presbyteratu vigesimum quintum inchoatum, & pro episcopatu trigesimum annum completum, *cap. cum in cunctis*.7, *de elect.* & Tridentin. *seff.* 23. *cap.* 12. Requiritur scientia sufficiens ad vsum vniuscuiusque ordinis, Triden. *seff.* 23. *cap.* 11. 13. *&* 14. Testimonium morum, quod solet adhiberi tempore scrutinij, Trident. *seff.* 23. *cap.* 5. Vt habeat titulum dum promouetur ad sacros ordines, alias Episcopus tenetur prouidere in necessarijs ordinandi, donec titulum habeat, hoc intellige, quando eum ordinauit sine titulo, *cap. sanctorum,* 2. *dist.* 70. Trident. *seff.* 21. *cap.* 2. *in fin. de reformat.* & Fagn. *in cap. cum secundum, num* 1. *de præbend.* Vltimò, vt non ordinetur per vim, quia ordinatus ad subdiaconatum per coactionem absolutam, non tenetur continere, & non recepit characterem, Idem *in cap. significatum, num.* 91. *&* 103. *de regular.* Hinc est, quod siue laicus, siue clericus non beneficiatus ex causa necessitatis, vel vtilitatis Ecclesiæ non potest cogi ad suscipiendum ordines, Fagn. *in cap. magnæ, num.* 63. *de obligat. ad ratiocin.*

QVANDO. Prima tonsura, & minores possunt conferri in qualibet die, & interstitia temporum sunt seruanda ab Episcopo, nisi aliud Episcopo magis expedire videatur, Triden. *seff.* 23. *cap.* 11. *&* 14. & Fagn. *in cap. de eo, num.* 11. *de tempor. ordinat.* Maiores tantum conferuntur in Sabbatis quatuor temporum, vel in Sabbato ante Dominicam Passionis, *cap.* 3. *de tempor. ordinat.* Et Episcopus dispensare nō potest interstitijs maiorum

Digitized by Google

rum ordinum, Trident. *ſeſſ.* 23. *cap.* 14. Neque poteſt ex ſe duos ordines maiores ſimul conferre, nec minus vnum maiorem cum minore, quia ita ſtatutum eſt ab Eccleſia, Fagn. *in dicto cap. de eo, per tot.* Epiſcopi conſecratio verò fieri poteſt quolibet die, Dominico, Idem *in cap. requiſiuit, num.* 16. *de ordinat. ab Epiſcopo.*

EFFECTVS. Per quod Sacramentum ordinando confertur gratia habitualis, & imprimitur character, Concil. Tridentin. *ſeſſ.* 23. *can.* 4. ac etiam conceditur priuilegium *can. ſi quis ſuadente*, 17. *quæſt.* 4. priuilegium fori, & exemptionis ab honeribus laicalibus, vt ſupra *in* 1. *lib. tit. de clericis coniugatis.*

De Sponſalibus.

Titulus VIII.

Sponſalia quæ, & quotuplicia ſint, quibus modis contrahantur, & quibus modis diſſoluantur.

QVÆ SINT. Poſtremum ſacramentum eſt Matrimonium, ſed quia vt plurimum ſponſalia præcedere ſolent, & in corpore iuris Canonici præcedit *rubrica de ſponſalibus*, id circo prius deſpiciamus de ſponſalibus, quæ dicta ſunt à ſpondendo, *cap. noſtrates*, 30. *quæſt.* 5. & ita definiuntur, *ſunt futurarum nuptiarum mentio, & repromiſſio, dicto cap. noſtrates*, Lancell. *inſtitut. canon. hoc tit. in princ.* Dixi *repromiſſio*, ad inſtar ſtipulationis, cum requiratur conſenſus ſponſi, & ſponſæ. Dixi *futurarum nuptiarum*, quia ſi eſſent de præſenti diceretur matrimonium, dum non minus concubitus, quam conſenſus facit matrimonium, *cap. vn. §. fin. de ſponſal. impub. in* 6.

QVOTVPLICIA. Quæ ſponſalia, alia ſunt pura, alia conditionalia, alia in diem, alia per verba de præſenti, & alia per verba de futuro.

Sponſalia pura à principio ſunt perfecta, vt cum vir, & mulier ſe inuicem futuros coniuges pollicentur his verbis, *ego te accipiam in vxorem, & ego te in maritum, cap. penul. de ſponſal.* Hæc inducunt impedimentum publicæ honeſtatis, *cap. vn. de ſponſal. in* 6. quod impedimentum reſtringitur vſque ad primum gra-

gradum ex Concil. Triden. *sess.* 24. *de reform. cap.* 3.

Sponsalia conditionalia dicuntur, quando celebrantur sub conditione, vt si dicat Ego te accipiam in vxorem, si dederis mihi centum, aut si pater meus consenserit, *cap.* 3. *&* 5. *de condition. appos.* tunc si conditio deficiat, sponsus cogi non potest, nisi de nouo consentiat, Abb. Pan. *in cap. de illis, num.* 7. *de conditionibus appositis*. Verùm si conditio sit impossibilis, vel sit turpis, fauore matrimonij reputantur pro non adiectis, *cap. fin. de condition. appos.* & Lancell. *hoc tit. §. hoc tamen*. Secus est, quando illa conditio est turpis & contra substantiam matrimonij, seù sponsaliorum, vt si dicat tecum contraho, *si generationem prolis euitaueris*, tunc matrimonialis contractus caret omni effectu, Lancell. *hoc tit. §. hoc tamen. & tex. in dicto cap. fin.* intellige, quando vterque consentit prædictæ conditioni turpi, alias si vnus contradicat, tenet matrimonium si processum fuit ad consummationem, Abb: Pan. *dicto cap. fin. num.* 8. Quæ sponsalia conditionalia minimè producunt impedimentum publicæ honestatis, nisi postea fuerit præstitus consensus de præsenti, aut copula carnalis, quia tunc censetur recessisse à conditionibus, & matrimonium contraxisse, *cap.* 3. *&* 6. *de condition. appos.* At post Concil. Tridentinum, carnalis copula non est sufficiens, vt sponsalia conditionalia transeant in matrimonium, Fagn. *in cap. is quidem, num.* 8. *de sponsalib.*

Sponsalia in diem sunt, cum quis intra certum temporis spatium aliquam se ducturum in vxorem conuenit, si lapsus sit terminus appositus ad terminandam, vel finiendam obligationem & per promissorem non stetit adimplere promissionem, liberè ad alias nuptias transire potest, Io. Paul. Lancell. *hoc tit. §. dies adijcitur*. Et si sponsus esset longè degens, eo expectato per triennium, sponsa consequitur liberam facultatem contrahendi cum alio, dummodo à principio sponsalia non sint purè contracta, *cap. de illis*, 5. *de spons al. & l. liberum*, 2. *C. de repud.* tùnc Ecclesia dat licentiã nè deterius inde contingat, scil. periculum fornicationis, Glos. *in d. cap. de illis, ver. si per eas.* Sponsalia per verba de præsenti nihil aliud sunt, quam contractus matrimonij, *cap.* 1. *& cap. tuæ fraternitatis*, 25. *de spons al. & matrim.* de quibus infra tractatur.

QVIBVS MODIS CONTRAHANTVR. Sponsalia per verba de futuro quatuor modis contrahuntur re, verbis, literis, & con-

conſenſu. Re contrahuntur per anuli immiſſionem in quarto digito; quæ anuli immiſſio dicitur ſubarratio, & ex ſe non deſignat aliquem contractum, ſed regulatur ſecundum præcedentia, DD. *in dicto cap. fin. de deſpon. impub.* Vnde coniux cuius culpa ſponſalia diſſoluuntur tenetur ad reſtitutionem duplicatarum arrarum, *l. mulier*, 5. *C. eod.* ſed ſi alterutra pars reſciſſioni cauſam non dederit verificatur diſpoſitio tex. *in l. ſi à ſponſo* 16. *C. de donat. ante nupt.* Verbis, ſi vice mutua dicant. *Ego te accipiam in maritum, & ego te accipiam in vxorem*, *cap. licet* 3. *de ſponſa. duorum*. Prius mulier eſt præſcrutanda, nè deindè, præſtito conſenſu viri, propter fragilitatem ſexus diſſentiat, *cap. ſi inter*, 31. *de ſponſal. & matrim.* Literis, vt cum abſentes inter ſe de futuris nuptijs per epiſtolam paciſcantur, *dicto cap. ca.* Vel per procuratorem habentem ſpeciale mandatum, *cap. qui ad agendum*, 4. *de procura. in 6.* Aut per parentes, tunc ſi filij ratificent ſponſalia contracta à parentibus, ſubſequens ratihabitio æquiparatur ſpecialiſſimo mandato, *cap. ratihabitionem*, 10. *de regul. iuris, in 6.* quia filij quo ad matrimonium, non ſunt in patria poteſtate, *cap. fin. de iudic. in 6.* & Lancell. *hoc tit.* §. *non abſimile*. ſecus de iure ciuili, *l. ſicut proponis*, 57. *C. de nupt.* verum in hac materia ſtandum eſt iuri Canonico, *cap. penul. de ſecund. nupt.*

Conſenſu, vt eſt cùm duo impuberes in quibus prudentia, ſeu malitia non ſupplet ætatem, contrahant matrimonium per verba de præſenti, licèt verba de præſenti ſonent matrimonium, verum quia carent contrahentes potentia coheundi, reſoluitur in ſponſalib. de futuro, ſicque quod Ego ago, ſi non valeat vt ago valeat vt valere poſſit, *cap. nobis*, 8. *de ſponſal. impub.*

Aduerte quod illa propoſitio *malitia ſupplet ætatem*, procedit in matrimonio, & in delictis, *cap. pueris*, 1. *de delict. puer.* non autem in ingreſſu Religionis, *cap. poſtulaſti*, 22. *de regular.* Sponſi impuberes facti puberes cogi non debent per cenſuras eccleſiaſticas ad contrahendum per verba de præſenti, Fagn. *in cap. de illis*, *num.* 50. *de ſponſal. impub.* quia iſtæ coactiones difficiles exitus parere ſolent, tolerandum enim eſt minus malum ad vitandum maius & præſertim vbi ſubeſt cauſa non contrahendi, *cap. requiſiuit*, 17. *eod.* & Io: Paul. Lancell. *hoc tit.* §. *initiatum*.

DISSOLVVNTVR. Cauſæ ex quibus ſponſalia diſſoluuntur

tur comprehenduntur his versibus.

Crimen, dissensus, fuga, tempus, & ordo, secunda,
Morbus, & affinis, vox publica cunque reclamat,
Quodlibet istorum sponsalia soluit eorum.

Alij ponunt versus qui sequuntur.

Lepra superueniens, furor, ordo, sanguis, & absens,
Læsaque virginitas, membris damnum, minor ætas,
In hæresim lapsus, fideique remissio prorsus
Sponsos dissociant, & vota futura retractant.

Quorum versuum declaratio apparet, tam ex his quæ sequuntur & præcedunt, quam ex his quæ notat Hostien. *in summa eodem*, §. *qualiter*, & Bonacin. *tit. de impedimentis matrimonij eorumque dispensatione, quæst. 3. pun. 2. & sequen.*

Primò ipso iure ex superueniente causa, vt ex contractu matrimonij, sacrorum ordinum susceptione, vel religionis ingressu; sponsalia enim censentur contracta sub conditione, nisi eligat meliorum statum, *l. oratio*, 16. *ff. de sponsal.* ideoque sponsa de præsenti volens ad religionem transire, præstare debet cautionem saltem iuratoriam, quod infra duos menses transibit, vel adhærebit marito, Fagn. *in cap. publico, num.* 10. *de conuers. coniugat.* Secundò dissoluuntur per affinitatem superuenientem, vt si sponsus cognouisset propinquam sponsæ, ad matrimonium peruenire non poterit, *cap. super eo*, 2. *de consanguin. & affinit.* Tertiò, per spiritualem cognationem superuenientem inter sponsum, & sponsam, *cap. veniens*, 6. *de spiritual. cognat.* Quartò, si ad inuicem contrahentes se se liberent, Io. Paul. Lancell. *vbi supra*, §. *contrahentes*. Quintò, per fornicationem spiritualem, vt si alteruter in hæresim, vel idolatriam inciderit, *cap. non solum, & c. iam nunc*, 28. *quæst.* 1. Sextò dissoluuntur facto hominis, vt per amissionem membri inducentem corporis deformitatem, *cap. fin. de coniug. lepros, & cap. quemadmodum*, 25. *de iure iur.* Vel si sponsa post desponsationem fuerit fornicata, Lancell. *vbi sup.* §. *vnius quoq.* Septimò, si sponsus, vel sponsa sit leprosa, non debet compelli ad maritalem copulam, *cap.* 1. *&* 2. *de coniug. lepros.* Vltimò, aliis omissis per lapsum temporis positi per contrahentes in sponsalibus, *cap. si ut ex literis*, 22. *de sponsalib. & matrim.* nam sponsa non tenetur sequi sponsos vagabundos, & præsertim quando ignorabat illum esse vagabundum, *cap. vnaquaque*, 13. *quæst.* 11. *& l.* 11. *C. de repudijs.*

De

De Sacramento Matrimonij.

Titulus IX.

Vnde dicatur, quid & quotuplex sit, quæ illius requisita, qualiter contrahatur, quare, quos effectus gaudeat, & qualiter impediatur.

DAntur plures termini, qui inter se habent cognationem, nempè bigamia, trigamia, nuptiæ & matrimonium. Bigamia dicitur matrimonium iteratum cum duabus vxoribus successiuè. Trigamia est cum tet fuerit legitimè prioribus vxoribus defunctis iteratum matrimonium, Hostien. *in sum. tit. de bigamis, num.* 1. & 2, Nuptiæ dupliciter sumuntur, vel pro solemnitate, quæ ad celebrandum matrimonium adhibetur, vel pro contractu matrimoniali. Quæ nuptiæ nunquam interdictæ sunt, nisi ab aduentu Domini Nostri vsque ad diem Epiphaniæ, & à feria quarta cinerum, vsque ad octauam Paschatis, in alijs enim temporibus licitè celebrari possunt, Concil. Triden. *seß.* 24. *cap.* 10.

VNDE DICATVR, ET QVID SIT. Matrimonium dictũ est *à matre, & munio*, idest *officio*, & sic dicitur *matris officium*, quia in procreatione sobolis plus oneris, & laboris substinet mater, quam pater, *cap. ex literis*, 2. *de conuers. infidel.* atque in statu innocentiæ institutum fuit à Deo in officium naturæ, & post lapsum infirmitatis in remedium, Fagn. *in cap. de illis*, il secondo *num.* 39. *de desponsat. impuber.* Hoc modo sumptum, quamuis habeat rationem contractus, tamen cùm habeat adiunctam rationem Sacramenti inter fideles, non subest potestatibus sæcularibus, Idem *in cap. vtrum autem, num.* 21. *de cognat. spirit.* his positis, ita definitur, *est viri, & mulieris coniunctio indiuiduam vitæ consuetudinem continens cum diuini, & humani iuris communicatione*, Hostieu. *in sum. tit. de matrim. num.* 1.

Dixi *viri, & mulieris*, quia lex canonica, & ciuilis detestatur pluralitatem virorum, & mulierum in eodem tempore, *cap. gaudemus*, 8. *§. quia verò de diuort.* Dixi *coniunctio*, idest animorum, *cap. matrimonium*, 27. *quæst.* 2. Dixi *indiuiduam*,

quantum ad propositum, & fœdus, *cap. ex publico*, 7. *de conuerſ. coniugat.* & *cap. gaudemus*, 8. *de diuortijs.* Dixi *vitæ*, quia matrimonium morte soluitur, §. *deinceps*, *Authen. de nuptijs*, vnde vxor quamuis ignoret quid sit de marito, qui longo tempore abfuit, contrahere cum alio non poteſt, niſi ſit certificata de morte illius, *cap. in præſentia*, 19. *de ſponſalib. & matrim.* Dixi *conſuetudinem*, nam ex mente contrahentium ad tempus matrimonium contrahi non poteſt, *cap. fin. de conditionibus appoſitis*, *ver. vel donec*. Dixi *diuini, atque humani iuris*, quia coniuges debent eſſe eiuſdem ſectæ, Hoſtien. *in ſum. vbi ſupra in fine num.* 1.

QVOTVPLEX. Diuiditur in plures ſpecies. Primò in publicum, & clandeſtinum: Publicum dicitur, quando fit in facie Eccleſiæ ſeruatis requiſitis Sacr. Concil. Triden. *ſeſſ.* 24. *cap.* 1. Clandeſtinum dici poteſt, quando contrahitur ſine parochi, & duorum, vel trium teſtium præſentia, & hæc valebant ante Concil. Triden; minimè vero hodie ad vitandum adulteria, Fagn. *in cap. quod nobis*, *num.* 26. *de clandeſt. deſponſat.* Vel dicitur clandeſtinum quando omittuntur bannitiones, quo caſu, ſi interueniat præſentia parochi, & duorum teſtium valet, ſed illas omittentes ſine cauſa legitima, peccant mortaliter; quia violatur præceptum in re grauiſſima, Idem *in cap. cum acceſſiſſent*, *num.* 29. *de conſtitut.* Limitatur in locis, vbi non fuit publicatum, & acceptatum Concilium Triden, vt in Græcia, & in Germania, quoniā matrimonium clandeſtinum de iure communi valet, etiam inter fideles, Martin. Bonacin. *de natura, & proprietatibus matrimonij*, *quæſt.* 2. *pun.* 7. *per tot.*

Secundò diuiditur, aliud eſt purum, aliud ſub conditione. Purum, ſeu publicum iam explicatum eſt. Sub conditione fit pluribus modis. Aut conditio non eſt improbata à iure, & tunc purificata conditione illicò abſque nouo conſenſu eſt perfectum, Fagn. *in cap. ſuper eo*, *num.* 1. & 2. *de conditionib. appoſ.* Aut conditio eſt turpis, vel impoſſibilis, & pro non adiecta habetur. Aut eſt turpis & contra ſubſtantiam matrimonij, & tunc vitiat matrimonium, ſed non vitiatur conditio, Fagn. *in cap. ſi conditiones*, *num.* 1. & 9. *de condition. appoſ.*

Vltimò, vel eſt ratum, vel legitimum, vel conſummatum, vt per Io. Paul. Lancell. *inſtitut. canon. hoc tit.* §. *ex his*. Legitimum,

mum, est illud quod legitimo consensu contrahitur, & hoc est inter infideles: inter quos datur verum matrimonium vt contractus, sed non vt sacramentum, Fagn. *in cap. vtrum autem, num. 25. de cognat. spirit.* & *in cap. ex parte, num. 9. de conuers. coniugat.* Quod matrimonium non est iterandum coram parocho, & testibus per conuersionem, Idem *in cap. canonum statuta, num. 90. de constitut.*

Ratum dicitur, in quantum est Sacramentum, & hoc non est inter infideles, fuit tamen inter B. M. cum Sancto Iosepho, Bonac. *loco pracit. quæst. 2. pun. 1. num. 9.* hodie est inter fideles, super quo Papa habet latissimam potestatem, Fagn. *in c. ex parte*, il secondo, *n. 5. de conuers. coniugat.* & nõ dissoluitur per votum simplex, sic autem per susceptionem sacri ordinis, vel per solemnem professionem alterius coniugum, Idem *in cap. verum, num. 2. & in dicto cap. ex parte num. 14. eod.*

Consummatum dicitur, quando coniunctione corporea est consummatum, & propriè nuncupatur carnale, ad differentiam matrimonij spiritualis consummati per consecrationem inter Episcopum, v. gr cum Ecclesia, de quo per Fagn. *in cap. quanto, num. 5. de translepisc.* Nos hic agimus de matrimonio carnali, quod est indissolubile, quo ad vinculũ, tam per solemnem professionem, quã per adulterium, Fagn. *in cap. cum sis, n. 5. de conuers. coniugat.* itaut à Papa dissolui non potest, nisi per causam in iure expressam, Idem *in dicto cap. ex parte*, il secondo *num. 2.*

QVALITER CONTRAHATVR. Ad quod matrimonium contrahendum plura requiruntur nempè libertas contrahentiũ, nam de iure ciuili inter personas seruilis conditionis matrimonium esse non dicitur, quod per ius canonicũ non distinguitur. Io. Paul. Lancell. *tit. de nuptijs, §. sed qui sint.* Iusta ætas, quæ de iure ciuili in masculo est 14. annorum, & in fæmina 12. De iure canonico verò malitia supplet ætatem, Fagn. *in cap. de illis*, il secondo, *num. 2. 19. & 42. de sponsal. impub.* & sufficit attigisse annum 14. minimè tamen in matrimonio spirituali, quia requiritur annus completus, Idem *in cap. ad nostram, num. 29. de regular.* Consensus Parentum, nam quamuis valeat inuitis parentibus, nihilominus improbatur ab Ecclesia, & de iure ciuili non valet, Fagn. *in cap. tua, à num. 11. ad 23. ad sponsal. impub.* Consensus contrahentium congruentib. verbis aut signis declaratus, Idem *in c. tua fraternitati, n. 31. de sponsal. & matrim.*

Con-

Consensus liber, & voluntarius, alias si probetur contractum esse per metum cadentem inconstantem virum non valet, Fagn. *in cap. consultationi*, *num.* 3. *& sequen. de sponsal.* Hinc est, quod domini temporales, & quicumque magistratus impedientes libertatem matrimonij incidunt in excommunicationem, Trid. *sess.* 24. *cap.* 9. & Fagn. *in cap. nuper, num.* 27. *de senten. excommunic.* Et vt non obstet impedimentum canonicum, vt est propinquitas sanguinis, alias scienter contrahentes matrimonium in gradu prohibito, carent omni spe dispensationis, Idem *in cap. nimis, num.* 39. *de fil. presbyter.* & *in cap. quod super, num.* 2. *& 7. de consanguin. & affin.*

Ad cuius essentiam requiritur materia, forma, & minister, Fagn. *in c. quod nobis, num.* 50. *de clandest. desponsat.* Materia contractus matrimonialis est traditio corporum. Forma, est acceptatio, qua perficitur, & completur matrimonium. Et minister essentialis sunt ipsi contrahentes, quia ipsi exhibent consensum, qui est causa matrimonii, nam Sacerdos dici potest minister accidentalis, quatenus ex officio iungit, & benedicit contrahentibus, quod pertinet ad perfectionem accidentariam matrimonii, Fagn. *in dicto cap. quod nobis num.* 50. qui Sacerdos esse debet proprius parochus, vel simplex Sacerdos de eius licentia, alias non valet, cum sit contra formam Sac. Concil. Triden. sicque interueniente parocho, etiam inuitò, matrimonium contractum coram eo valet, Fagn. *in cap. quoniam, num.* 25. *constitut.*

QVARE. Causa finalis huius Sacramenti, est procreatio sobolis, & fornicationis vitatio, *cap. pen. de frigid. & malefic.*

EFFECTVS. Effectus matrimonii plures sunt, nempè consanguinitas, affinitas, transitio vxoris in potestatem viri, & obligatio reddendi debitum, *cap.* 2. *de coniug. leprosor.* & Martin. Bonacin. *in tit. de his quæ pertinent ad vsum matrimonij, quæst.* 4. *pun.* 1. *num.* 1. *& per totum.*

QVALITER IMPEDIATVR. Aduerte, quod impedimenta sunt in duplici specie, quædam dicuntur dirimentia, & quædam impedientia. Dirimentia sunt quatuordecim, & continentur in his carminibus, & hæc dirimunt matrimonium contractum, & impediunt contrahendum.

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,

Cultus

Cultus disparitas, vis, ordo ligamen, honestas,
Si sis affinis, si fortè coire nequibis,
Si Parochi, & duplicis desit præsentia testium,
Rapta ve sit mulier, nec parti reddita tuta,
Hæc facienda vetant connubia, facta retractant.

Error, intellige de errore personæ, & non de errore fortunæ, quia tunc deficit consensus, *cap. tua nos, 26. de sponsal. Votum*, intellige de voto solemni, vnde faciens professionem in Religione, nequit postea matrimonium contrahere, *cap. si quis, 27. quæst. 2. Cognatio*, nam inter personas consanguineas, vsque ad quartum gradum inclusiuè prohibitum est matrimonium contrahere, *cap. non debet, 7. de consanguin. & affin.* Circa cognationem spiritualem, seruatur dispositio Sacri Concil. Trid. *sess. 24. de reformat. matrim. cap. 2. & cap. 1. de cognat. spirit.* Et si sit cognatio legalis dirimit inter adoptantem, & adoptatam, & adoptati descendentes vsque ad quartum gradum, *cap. vn. de cognatione legali. Crimen*, siue homicidij, siue adulterij, vt si viuente prima vxore contrahat cum secunda, & habeat rem, mortua prima, secundam habere non potest, *cap. 2. & 5. de eo qui duxit in matrim. & cap. 1. de conuers. infidel. Disparitas cultus*, nam inter baptizatum, & non baptizatum censetur ab Ecclesia inualidum contractum matrimonium, Bonacin. *vbi sup. de impedimentis matrim. pun. 7. num. 2. Metus*, intellige si sit cadens inconstantem virum, *cap. veniens, 13. de sponsal. & matrim. Ordines*, nempè maiores, qui cũ sint sine graui metu suscepti dirimunt matrimonium subsequens, *cap. vn. de voto in 6. Ligamen*, durante primo matrimonio, prohibetur secundum contrahere, *cap. gaudemus, 8. de diuortijs, & cap. 1. 3. & vlt. de spons. duorum. Publica honestas*, distingue. Aut prouenit ex matrimonio rato, & dirimit vsque ad quartum gradum, *cap. ad audientiam, 4. & cap. sponsam, 8. de sponsal.* Aut prouenit ex sponsalibus validis, & dirimit vsque ad primum gradum, Trid. *sess. 24. cap. 3. Affinitas*, si proueniat ex licita coniunctione dirimit vsque ad quartum gradum, si verò ex illicita vsque ad secundum, Tridentin. *sess. 24. cap. 4. Impotentia coeundi*, nempè si sit perpetua, & antecedat matrimonium, tunc dirimit matrimonium, alias non dirimit, *cap. quod sedem, 2. de frigidis, & maleficiatis.*

Im-

Impedimenta impedientia tantum dicuntur, quia impediunt matrimonia contrahenda, sed contracta non dirimunt, & sunt plura. Prohibitio Ecclesiæ qua certo anni tempore interdicitur matrimonium ab Ecclesia, *cap.* 4. *de feriis*. Cathecismus, qui dicitur instructio fidei & fit solemniter ante ianuam Ecclesiæ super baptizando, ex qua tenens puerum contrahit cognationem spiritualem imperfectam, quæ non dirimit, sed impedit, *cap. per cathecismum*, 2. *de cognat. spirit. in 6.*

Votum simplex castitatis, *cap. vn. de voto in 6.* Incestus, propter quem vir qui habuit rem cum consanguinea vsque ad quartum gradum gradum, non potest, altero coniuge mortuo, contrahere matrimonium, quam vis incestus sit occultus, *cap. transmissa*, 4. *de eo qui cognouit consanguin.* Homicidium, vt est occidens propriam vxorem, *cap. quicunque*, 33. *quæst.* 2. Qui suscipit proprium filium in baptismo, aut illum baptizat malo animo ne reddat debitum, mortuo coniuge, non potest cum alio matrimonium inire, *cap. de eo*, 30. *quæst.* 1. omissis alijs, conuictus de homicidio in personam Sacerdotis, *cap. qui presbyterum*, 2. *de pœniten. & remiss.*

Hac de causa, cum sint contrahenda matrimonia per parochum edicta in Ecclesia proponi debent, assignato termino ad opponenda, & reuelanda impedimenta, Fagn. *in cap. cum inhibitio*, *num.* 1. *de clandest. desponsat.* Reuelans iurare tenetur se non priuato odio, nec amicitia hoc peragere, & si reuelet elapso tempore, iurare debet illud sciuisse postea vel antea, sed non potuit ex causa absentiæ: ad quod omnes personæ admittuntur etiam parentes, vt ait Io. Paul. Lancell. *institut. can. lib.* 2. *qui matrim. accus. poss.* §. *quod autem cum sequentibus.*

De Diuortijs.

Titulus X.

Diuortium vnde dicatur, quid & quotuplex sit, ex quibus causis efficiatur, coram quo Iudice, & quos effectus producat.

QVID SIT. Diuortium dicitur ex diuersitate mentium, *l. diuortium* 2. & 3. *ff. de diuor. & repud.* ac ita definitur, est

est legitima mariti, & vxoris separatio, apud competentem iudicem cum causa cognitione, & sufficiente eius probatione facta, Hostien. *in sum. hoc tit. num.* 1

QVOTVPLEX. Diuiditur in duas species nempè quo ad thorũ, & quo ad fædus. Diuortiũ quo ad thorum esse potest quo ad carnalem copulam, vel quo ad habitationem, & in vtroque casu potest esse ad tempus, & in perpetuum, *cap. dixit dominus*, 32. *quæst* 1. Quo ad fædus dicitur quando matrimonium in perpetuum rescinditur quo ad substantiam, *cap. interfectores*, 31. *quæst*. 2.

EX QVIBVS CAVSIS. Causæ diuortij quo ad thorum plures sunt. Prima adulterium vxoris, per quod vir liberatur à seruitute reddendi debitum, & viro remansit salua seruitus in mulierem *cap. ex literis tuis*, 5. *hoc tit.* Limita quando vir segregatus ab vxore castè non viuit, quia tunc compẽsatur adulterium vxoris cum adulterio viri, Abb. *in dicto cap. ex literis*, *num*.6. Limita secundò, quando vir prostituit vxorem, quia obstat exceptio lenocinij, *cap. discretionem*, 6. *de eo qui cogn. consanguin.* Limita tertiò, si nupserit alteri credens priorem esse mortuum: nam priore reuerso, cogitur deserere secundum, & redire ad primum, nisi post ipsius redditum scienter apud secundum remansit, *cap. dominus*, 2. *de secundis nuptijs*. Limita vltimò, si per vim fuerit compressa, *cap. proposito*, 32 *quæst*. 5. Secunda causa diuortij quo ad thorum est peccatum sodomiæ commissum cum alio, & non cum proprio coniuge, quia tunc caro coniugum non diuiditur, Bonacin. *de his quæ pertinent ad vsum matrim. quæst*. 4. *pun*. 5. *propos*. 1. *num*. 4. Tertia causa est seuitia mariti, & timor futuræ seuitiæ, *cap. literas tuas*, 13. *de restitut. spoliat.* Quarta machinatio mulieris in mortem viri, Abb. *in cap*. 1. *num*. 6 *hoc tit.* Vltima alijs omissis, fornicatio spiritualis, vt est quando vnus coniugum fidelium lapsus est in infidelitatem, *cap. de illo*, & ibi Abb. *num*. 3. *hoc tit.*

Aliæ sunt causæ diuortij quo ad fædus. Primò per impotentiam coeundi in viro, & in fæmina propter artationem; vel simile vitium à natura, quod ope medicorum non possit adiuuari, *toto tit. de frigidis, & maleficiatis, & per tot. causam*, 33. *quæst*. 1. Secundò, cum alter infidelium coniugum conuertatur ad fidem catholicam, & mulier quæ remansit noluerit cohabitare cum conuerso ad fidem sine blasphemia, vel sine peccato,

Abb. Pan. *in cap. quanto*, *7. in prin. hoc tit.* tunc conuersus potest ad secunda vota transire; secus si sine peccato voluerit cum eodem habitare, & hoc ideo permittitur, quia matrimonium ab initio contractum est, alias non teneret, *cap. caue*, 28. *quæst.* 1. non idem militat inter fideles ad obuiandum malitias; nam quando inter se coniuges displicerent simularent hæresim, Abb. *in dicto cap. quanto*, *num.* 1. Tertiò si aliter coniugum non dum consummato matrimonio Religionem ingrediatur, committitur diuortium quo ad fœdus, *cap. verum*, 2. & *cap. ex publico*, *7. de conuers. coniugat.* & Triden. *sess.* 24. *can.* 6. Vltimò alijs omissis, suspicio criminis, nam si mulier occidat suum virum de mandato secundi viri cum quo contraxerit, nulliter contrahit, *cap.* 1. *de conuers. infidel.*

CORAM QVO. Quæ causæ sunt proponenda coram Iudice competente, & indigent legitima probatione, vnde in causa separationis matrimonij Iudex sæcularis non est competens, Abb. *in cap. Licet namque*, *num.* 3. *de donat. inter vir. & vxor.* Facto diuortio quo ad fœdus liberè coniux transire potest ad secunda vota, vel Religionem, altera parte inuita, secus est quando diuortium est quo ad thorum, *cap. quanto*, *hoc eod. ti*.

EFFECTVS. Circa reliqua, aut vxor dedit causam diuortio, & tunc perdit dotem, ac maritus eam lucratur, *cap. plerumq.* 4. *de donat. inter vir. & vxor.* quo casu filij sequuntur partem innocentem; & si dissoluto matrimonio filius sit infans, alendus est à matre per triennium, Azor. *institut. moral. par.* 2. *lib.* 2. *de quarto precep. decal. cap.* 5. *colum.* 1. Verum, si pater sit causa diuortij mulieri restituitur dos simul cum parte, bonorum illis durante matrimonio communiter obuentorum, *cap. mulieres*, & ibi Abb. *num.* 1. *de donat. inter virum, & vxorem*, & filij alendi sunt a matre expensis patris, Glos. *in l. alimenta*, 11. *C. de neg. gest.*



De

De Confecrandis, Conftruendis, & reparandis Ecclesijs, Altaribus, & Ecclefiafticis locis.

Titulus XI.

Ecclefia, altare, & locus ecclefiafticus qua fint, à quo & quando conftrui poffint, ex quibus caufis; & qua perfona teneantur ad reparationem Ecclefiarum.

SPECTANTIA AD ECCLESIAM. Dantur tres termini Ecclefia, altare, & ecclefiafticus locus. Hoc verbum, *Ecclefia*, continet varias fignificationes, de quibus in Glof. *cap. cum clerici, 19. verf. ecclefia, de verbor. fignificat.* nos alijs omiffis illam fumimus, prout dicitur à verbo Græco, quod fignificat *euocare*, & ita definitur, eft cœtus & congregatio catholicorũ, *cap. ecclefia, 7. de confecrat. dift.* 1. & Fagn. *in cap. refponfo, num.* 8. *de fenten. excommun.* Cuius appellatione veniunt indiftinctè omnes Ecclefiæ, etiam non confecratæ, & omnes partes eiufdem, vt explicat Abb. *in cap. ecclefia, 9. num.4. & per tot. de immunit. ecclefia*, Fagn. *in c. vn. de cl. non refiden. num.* 19. & tex. *in cap. fi quis contumax, 17. quaft. 4.* verum in litteris beneficialibus, appellatione Ciuitatis, non includitur Cathedralis, Idem *in cap. ad audientiam, num. 68. de refcriptis*, & ex ftylo Concilij Tridentini appellatione Ecclefiarum curatarum, non veniunt Ecclefiæ Regulares commendatæ, Fagn. *in cap. cum ad noftram, num.27. de elect.* Vnum nota, quod Ecclefia eft in Epifcopo, Idem *in cap. de catero, num.13. de cler. non refident.* & nunquam humanis legibus aftringitur, Fagn. *in cap. Ecclefia Sancta Maria, num.16. de conftitut.* fed comparatur pupillo, & iure minoris fungitur, Fagn. *in cap. nouit, num.25. ne fede vacante.*

ECCLESIARVM SPECIES. Aduerte, quod dantur plures fpecies Ecclefiarum, alia dicitur matrix, feù cathedralis, alia epifcopalis, alia collegiata, alia baptifmalis, alia parochialis, alia conuentualis, & alia fæcularis.

Ecclefia matrix, feu cathedralis dicitur, quæ habet alias Ec-

clesias sibi subiectas, *cap. venerabilis*, 22. *de verbor. signif.* Nulla Ecclesia præter Cathedralem fundat intentionem suam super subiectione alterius Ecclesiæ, etiam fundatæ intra limites alterius parochiæ, atque inuito Rectore, Fagn. *in cap. ad audientiam*, il primo, *num* 10. *de eccles. ædifican.* Episcopalis vocatur illa, quæ est sedes Episcopi, & parochia totius Ciuitatis, August. Barbos. *de iure ecclesiast. lib. 1. cap. 26. vers. quarto*. Collegiata dicitur, quando retinet Collegium, & potest esse sæcularis, & Regularis. Probatur esse collegiatam per priuilegium, quod eam constituit collegiatam, & ex pluribus alijs capitibus, vt per Fagn. *in cap. postulasti*, *à num. 2. de iure patronatus*. Baptismalis, est in qua sunt fontes baptismales, & licet non semper sit curata, tamen requirit personalem residentiam, & est incompatibilis cum canonicatu, vel parochiali, Fagn. *in cap. extirpandæ*, §. *qui vero*, *num. 21. de præben.*

Ecclesia parochialis, dicitur illa in qua Populus eædem deputatus sub certis locorum finibus constitutus degit, & ibi eligitur vnus Rector cum potestate fori pænitentialis. Ad hoc vt dicatur parochialis quatuor requisita concurrere debent firmat Gonzalez *in 8. regul. cancell. gloss. 6. num. 34.* primò, potestas fori pænitentialis. secundò, quod sit certus locus, certis finibus constitutus in quò Populus alicui Ecclesiæ degit. tertiò, vt obtinens parochialem curam exerceat nomine suo, & non alieno, quartò, vt illam obtinens dicatur curatus, itaut faciat omnia ea, quæ ad curam spectent; & à Cancellaria inter signa Ecclesiæ curatæ præcipuè attenditur, an in ea sit fons baptismalis, Fagn. *in dicto cap. extirpandæ*, §. *qui vero*, *num. 22.* Ecclesia Conuētualis refertur ad Ecclesias Religiosorum, sub quo nomine venit, & collegiata, Idem *in cap. nobis*, *num. 16. de iur. patron.* Sæcularis dicitur, quando est fundata per laicos cum dotibus suis, Idem *in cap. quoniam*, *num. 5. de iur. patron.* quæ potest ab Episcopo fieri Regularis, vel erigi Monasterium de consensu quorum interest; & sine præiudicio Rectoris, Fagn. *in cap. non amplius*, *num. 68. de institut.* è contra, deficientibus Regularibus, Regularis fieri potest sæcularis, Idem *in cap. relatum*, *num. 7. nè cler. vel mon.*

Altare dicitur mensa super qua conficitur, & offertur Eucharistiæ Sacramentum, quæ mensa esse debet lapidea, Gloss. *in cap. altaria*, 30. *de consecrat. dist. 1. & cap. 1. de consecr. alta-*
ris

ris. Et duo sunt genera altarium, vnum dicitur firmum, & aliud portatile. Firmum dicitur, quod toti altari super imponitur, *cap. nullus presbyter*, 24. *de consecrat. dist.* 1. Portatile est, quod defertur de loco ad locum; & fieri non potest ex ligno solum; quia Sancti Patres statuerunt, vt missa celebraretur super altari lapideo, *cap. altaria*, 30. *de consecrat. distin.* 1. Priuilegium vsus altaris portatilis concessum Episcopo, non est ademptum à Concil. Triden. Fagn. *in cap. in his, num.* 10. *de priuileg.* qua propter eo vti possunt in sua Diæcesi tantum, & solus Papa in vniuerso Orbe *ibidem num.* 3. ex rationabili causa tamen vti potest Episcopus altari portatili in aliena Diæcesi, etiam contradicente Episcopo Diœcesano, Fagn. *in cap. quod nonnullis num.* 9. *de priuil.* Ampliatur, non solum in Episcopo consecrato, verum etiam in Episcopo electo confirmato, & non consecrato, *ibidem num.* 15. *&* 23. Vnum nota, quod altare semel consecratum, non est iterum consecrandum, nisi fuerit dissipatum, vel enormiter læsum, Fagn. *in cap. quod à prædecessore, num.* 32. *de schismat.* & August. Barbos. *de iure ecclesiast. cap.* 7. *de altarib. num.* 19.

Genera locorum ecclesiasticorum tria sunt, nempè materiales ecclesiæ, seu Basilicæ; Monasteria, vel Cenobia, vbi Regulares simul commorantur; Hospitalia & pia loca in quibus pauperes, & infirmi aluntur.

AN, ET QVANDO SIT DE NOVO ECCLESIA CONSTRVENDA. Explicantur nunc illi alii tres termini construere, consecrare, & reparare. Construere Ecclesiam dicitur opus necessarium, & religiosum, ac omnibus permittitur nouam Ecclesiam ædificare, pluribus concurrentibus requisitis. Primò consensus Episcopi Diœcesani, absque enim illius authoritate Ecclesia ædificari non potest, *cap. ad hæc*, 4. *de religiosis domib.* qui quidem consensus sufficit, siuè interueniat expressè, siuè tacitè, veluti si sciuerit Ecclesiam construi, & non impedierit, ita August. Barbos. *de off. & potest. episcopi, allegat.* 26. *n.* 2. & Azor. *inst. tut. moral. par.* 2. *lib.* 9. *cap.* 3. *quæs.* 6. Qui Episcopus exigere debet ab eo, qui Ecclesiam ædificat, assignationem dotis ipsius Ecclesiæ, alioquin ille Episcopus obligaretur ad dotandum de proprio, *cap. cum sicut*, 8. *iunct.a*, glos. *de consecrat. eccl. vel altar.* & tunc qui construit facit iacturã iuris patronatus, & applicabitur iurib; Episcopalibus, & Episcopus acquirit ius conferen-

ferendi *cap. regenda*, 10. *quæst.* 1. & Io: Paul. Lancell. *hoc tit.* §. *diuersum*. Secundò, vt Ecclesia nouiter construenda non inferat alteri Ecclesiæ damnum, vel præiudicium, *cap. ad audientiam*, 3. *hoc tit.* Nota tamen, quod quando noua Ecclesia erigitur infra limites alicuius parochiæ vltra alia requisita de quibus supra & infra, ante omnia requiritur iusta causa, V.Gr. propter magnum incommodum parochianorum adeundi Ecclesiam matricem ad percipiendum sacramenta, Trident. *sess.* 21. *cap.* 4. *&* Io: Paul. Lancell. *hoc tit.* §. *vniuersitatis*. Tertiò, vt sit competens numerus parochianorum; & sufficit numerus decem animarum, Tridentin. *sess.* 21. *dicto cap.* 4. & *cap. vnio.* 10. *quæst.* 10. Quartò, vt citetur Rector matricis Ecclesiæ, *cap. multis consilijs*, 17. *quæst.* 1. Quintò, vt dos competens assignetur pro sustentatione Rectoris Ecclesiæ. Vlt. vt Episcopus hoc faciat de consilio Capituli, Glos. *in cap. pastoralis*, 7. *de donationib.* & Fagn. *in cap. ad audientiam, num.* 14. *de eccles. ædifican.*

A' QVO, ET QVOMODO CONSECRETVR. Constructa Ecclesia stat sub iurisdictione illius Episcopi cuius est Populus conuentus ad eam, Barbos. *de iure ecclesiast. de ædific. eccl. & consecr. cap.* 11. quæ ab eodem est consecranda, vel ab alio Episcopo de illius consensu, *cap. tua fraternitas*, 2. *de consecrat. eccles.* Consecrare aliud non est, quam eas dedicare ad Dei honorem, vel Sanctorum; & hoc munus exercetur iuxta formam Pontificalis Romani, & potissimè consistit in vngẽdo sacro chrismate duodecim crucibus per Ecclesiam, & in proferendis illis verbis *sanctificetur, & consecretur hoc templum, in nomine Patris, Filij, & Spiritus sancti &c.* Nihil exigat Episcopus pro consecratione Ecclesiæ, *cap. cum sit romana*, 10. *de simonia*. Ecclesia semel consecrata, non est iterum consecranda, nisi quando nullatenus constat de consecratione, *cap. solemnitates*, 15. *& cap. ecclesia*, 17. *de consecrat. distin.* 1. Vel quando parietes sunt combusti, & exterius diruti, non autem si solum tectum; aut pauimentum destrueretur, *cap. ligneis*, 6. *de consecrat. eccl.* Deinum, quando est totaliter destructa, & deindè fuit refecta, tunc est reconsecranda, Fagn. *in cap. quoniam, num.* 55. *de iure patron.* Per reconsecrationem altaris, non est iterũ consecranda Ecclesia, *cap.* 1. *de eccles. consecr.* & polluto cœmeterio, non est polluta Ecclesia; quia magis dignum trahit minus dignum, secus è contra, *cap. vn. de consecrat. in* 6. & *cap. accessorium*, 42. *de regu-*

regulis iuris, eod. lib.

A' QVIBVS SIT ECCLESIA REPARANDA. Aduerte quod onus reparandi Ecclesiam, vltra Episcopum, competit Canonicis pro rata beneficij, idest, de reditibus, qui supersunt proprijs sumptibus, Abb. Pan. *in cap. quicumque, num. 1. & 2. de eccles. ædifican. vel reparan.* Ampliatur hæc dispositio in beneficiatis, qui etiam habent obligationem reparandi Ecclesias beneficiarias, *ibid. Abb. num. 1.* & in ijsdem terminis parochus de superfluis reditibus tenetur ad reparationem Ecclesiæ, Abb. *in cap. de his, n. 2. de Eccles. consecran. & reparan.*

De rebus sacris in communi.

Titulus XII.

Quæ & quales sint, ex qua materia conficiantur, à quo sint consecranda, & benedicenda; an & quando sint consecranda.

QVALES SINT. In communi res sacræ dicuntur vasa sacra, & vestimenta sacerdotalia, quibus vtuntur Sacerdotes, & ministri in diuinorum celebratione, quæ prædicta vestimenta efficiuntur, etiam ex materia profana, & per benedictionem, seù consecrationem sanctificantur.

A' QVO. Nota quod sūt benedicēda ab Episcopis, *c. vestimenta, 41. de consecrat. dist. 1.* Vel ab Abbatibus in Ecclesijs sibi subiectis, qui quæcumque alia possunt consecrare, si consuetudo hoc permittat, August. Barb. *de iure ecclesiast. tit. de abbatibus n. 62.* Ex priuilegio sac. mem. Leon. X. *in compendio mendicantium verbo, benedicere, §. 14.* Generales, Prouinciales, & Priores possunt benedicere prædicta ornamenta: quæ vestes postquam sunt benedictæ, non sunt præstandæ ad actus sæculares, nec minus possunt oppignorari laicis, vel fæminis, nisi iustissima vrgente causa, *cap. 1. de pignor.* Et cum fuerint vetustate consummatæ incendio dentur, & cineres in baptisterio, vel alio abdito loco condantur, *cap. altares palla, 38. de consecr. dist. 1.* sed quando ita franguntur, vt non sint apta ad vsum, ad quem fuerunt destinatæ, indigent noua benedictione, *DD. vbi supra.*

QVÆ

QVÆ SINT, ET QVANDO RECONSECRENTVR. Vasa sacra, veluti calix, & patena esse debent de auro, vel de argento, & non de ære, vel ligno, *cap. vasa*, 43. *& cap. vt calix.*, 44. *de consecr. dist.* 1. ac priusquam ad sacros vsus adhibeantur, sunt ab Episcopo consecranda, *cap. vnico in fin. de sacr. vnct.* Atq; quoties execrantur, veluti si formam suam amittant, vel quando illa superficies aurea, aut argentea auferatur ex calice, vel patena; tunc quia opus est vt deaurentur, quo ad illam superficiem, quæ tangit Christum; egent noua consecratione, argumento, *cap.* 1. *de consecr. eccles. vel altaris.*

Dantur etiam corporalia, & palla. Corporalia extenduntur supra altaris linteamina in sacrificio, & ibi superponuntur sacra mysteria: atque fieri debent ex panno lineo, & non ex serico. Quia corpus Christi fuit in mundo Syndone inuolutum & sunt ab Episcopo consecranda, *cap. consulto*, 45. *de consecr. dist.* 1.

Palla dicitur illa, quæ superponitur calici, & etiam est consecranda ab Episcopo vt supra, ac fit ex panno lineo, vnde quando sunt illota corporalia cum palla, & purificatorijs, sunt abluenda post primam ablutionem, quæ fit à Sacerdote vel Diacono, à laicis, vel fœminis propter maiorem munditiam, & facta ablutione non sunt reconsecranda, quia non mutant formam, Martinus Bonacin. *de sacram. eucharistia, disput.* 4. *quæst. vlt. pun.* 9. *num.* 22.

* * *



De

De vnionibus Ecclesiarum.

Titulus XIII.

Vnio quid & quotuplex sit, quomodo, & ex quibus causis efficiatur, à quo, & quos effectus producat.

QVID SIT. Vnio dicta est ab vniendo, quæ facultas vniendi spectat ad potestatem iurisdictionis, Fagn. *in cap. sicut vnire, num. 16. de excess. prælat.* vnde ita definitur, *est beneficiorum, vel ecclesiarum ab episcopo, vel ab alio facta annexio.* Dixi *beneficiorum,* quia ad minus duo requiruntur beneficia, *l. vbi numerus, 12. ff. de testib.* & iste terminus, *beneficium,* generalis est, comprehendens beneficia maiora, & minora. *cap. 1. de regul. iur. in 6.* & *cap. extirpandæ, 30. §. qui vero, de præbend.* Dixi *ecclesiarum,* ad comprehendendum quamlibet Ecclesiam, *cap. fin.* & ibi *glos. vers. ecclesiam, nè prælati vices suas.* nam nomine beneficij, non venit culmen dignitatis idest, Episcopatus, & tamen duo Episcopatus vniri possunt, *cap. decimas, & cap. & temporis, 16. quæst. 1.*

QVOTVPLEX. Quæ vnio duplex est perpetua, & temporalis. Perpetua dicitur quando exprimitur, vt perpetuò duret. Temporalis est, quando fit ad tempus, *cap. 1. nè sede vacante:* in dubio præsumitur perpetua, Fagn. *in dicto cap. extirpandæ, §. qui vero, num. 58.*

QVOMODO. Aduerte, quod per Gloss. *in cap. & temporis, 16. quæst. 1.* habetur, quod vnio tribus modis fieri potest 1. vt ex duobus beneficijs vnum fiat, & hic modus vnionis est parum frequens. 2. vt vna Ecclesia alteri subijciatur, & sic illa Ecclesia, cui fit vnio dicitur principalis, & vnita dicitur accessoria, ac habebit priuilegia Ecclesiæ cui vnitur, & extinguitur titulus ipsius, Fagn. *in cap. nouit, num. 4. nè sede vacante.* Flamin. Paris. *de resignat. benef. lib. 12. quæst. 3. num. 47.* & Nicol. Garz. *hoc tit. par. 12. cap. 2. num. 12.* vnde in impetratione primi, & principalis beneficij, non est opus exprimere vnitum beneficium accessoriè, Garz. *vbi supra, cap. 2. num. 20.* & Rebuff. *in prax. benefic. hoc tit. num. 13.* Hinc est, quod Ecclesia Parochia-

chialis, tanquàm magis digna vniri non poteſt capellaniæ, cum ſit minus digna, *cap. expoſuiſti*, 33. *de præbendis*. 3. vnio fieri poteſt æquè principaliter, & tunc quælibet Eccleſia retinet ſua priuilegia, Fagn. *in dicto cap. nouit, num* 4. operatur atque hæc vnio, vt Rector vnius ſit Rector alterius, vtrumque tamen beneficium manet ſicut erat, & quælibet Eccleſia gaudet ſuis proprijs honoribus, & proprios reditus agnoſcit, Gonzal. *ſuper regul.* 8. Cancell. *gloſ.* 5. *§. num.* 55. Quando verò ſumus in dubio, an illa vnio ſit æquè principalis, vel acceſſoriè facta, in primis inſpici debet tenor. 2. quod beneficium eſt dignius; & ſi hæc non concurrant, præſumitur æque principaliter facta, Gonzal. *vbi ſupra dicta gloſ.* 5. §. 7. *num.* 134. & Rebuff. *ibidem num.* 19. & 20.

EX QVIBVS CAVSIS. Cauſæ, propter quas ab Ordinarijs vnio fieri poteſt ad duas reducuntur; nempè, ad cauſam neceſſitatis & vtilitatis. *citato cap. expoſuiſti*, 33. Neceſſitas eſt, ſi duæ Eccleſiæ ſint ita pauperes, vt eorum reditus non ſufficiant ad victum duorum, *cap. vnio*, 10. *quæſt.* 3. Et vtilitas eſt, quando propter tenuitatem fructuum, idonei ad inſeruiendum illi beneficio vel Eccleſiæ non inueniuntur, Abb. *in dicto cap. expoſuiſti*, Igitur cum cauſa Epiſcopus vnionem facere tenetur, & ſi recuſaret ad ſuperiorem recurri poteſt, *cap. nullus*, 17. *de iur. patron.* ſine cauſa verò ab Ordinario facta vnio non valet Fagn. *in cap. expoſuiſti, num.* 15. *de præbend.* Idem eſt, quando cauſa eſt falſa, Garz. *dicto cap.* 11. *num.* 113. & Auguſt. Barboſ. *de offic. & poteſt. epiſc alleg. 66. num.* 16.

A' QVO. Quæ vnio fieri poteſt à Papa, & gradatim ab inferioribus Prælatis. Papa propter plenariam poteſtatē vnire poteſt omnia beneficia, tam maiora, quam minora *dicto cap. & temporis*, 16. *quæſt.* 1. Hinc eſt quod ipſe ſolus vnire poteſt Epiſcopatus, *cap. ſicut vnire*, 8. *de exceſſib. prælat.* qua facultate rarò vtitur in beneficijs non exēptis, nè præiudicaret iuriſdictioni Epiſcopi loci beneficij, ſecus verò in beneficijs exemptis, *cap. final. de confirmat. vtil.* Legatus à latere vnire poteſt omnia beneficia exiſtentia in ſua Prouincia abſque tamen præiudicio Epiſcopi circa beneficia exiſtentia in illius Diæceſi, nam ſicut poteſt conferre beneficia, ita & vnire, *cap.* 1. *de offic. legat. in* 6. & Abb. *in dicto cap. ſicut vnire, num.* 5. Archiepiſcopus vnire poteſt beneficia exiſtentia in ſua Diœceſi, non autem beneficia Diœceſis

ſuffra-

Suffraganeorum, Rebuf. *vbi supra num.* 29. *&* 30. & Barb. *dicta allegat. 66. num.* 13. Episcopus beneficia non exempta suæ Diœcesis ex rationabili causa vnire potest, Ioan. Paul. Lancell. *in institut. canon. boe tis.* §. *non tamen*, vnde vnire potest simplicia beneficia pro seminarijs, Gonzal. *dicto* §. 7. *num.* 68 Intellige post erectionem, & non ante ad euitandum fraudem, Concil. Trident. *sess.* 23. *cap.* 18. *vers. nec non beneficia*. Insuper ex Concil. Trident. Episcopus vnire potest beneficia curata cum curatis qualiter cumque sint reseruata, Fagn. *in dicto cap. sicut vnire, num.* 31. *de excess. prælat.*

Quo ad formam seruandam in vnione facienda, Episcopus etiam si consideretur tanquam Sedis Apostolicæ delegatus indiget consensu Capituli, Triden. *sess.* 21. *de reformat. cap.* 5. & Garz. *dicto cap.* 2. *num.* 157. limita, quando vnio fit seminario, quia loco consensus Capituli, requiritur quod fiat cum consilio quatuor deputatorum, duorum de Capitulo, & duorum de Clero, Concil. Triden. *sess.* 23. *de reformat. cap.* 18.

Præbendæ canonicali, vniri non debet parochialis Ecclesia, nisi supersit congrua portio pro Vicario perpetuo, Fagn. *in cap. exposuisti, num.* 8. *de præbendis*. Quam facultatem Episcopus in casibus permissis nequit exercere ad tempus, seù ad vitam, nisi habeat specialem facultatem, Garz. *dicto cap.* 2. *num.* 84.

Vicarius Generalis de speciali mandato Episcopi potest vnire beneficia Barbos. *ibidem, num.* 10. & Garz. *dicto cap.* 2. *n.* 69.

Capitulum sede vacante potest vnire ea beneficia, qui potest Episcopus, dummodo per eam vnionem iurisdictioni episcopali nihil detrahatur, Rebuff. *in prax. vbi supra num.* 36. & Barbos. *loco cit. num.* 11.

Abbates, & Prælati inferiores Episcopo possunt facere vnionem, quatenus adsit consuetudo legitimè præscripta ad eorum fauorem, alioquin nequeunt, Rebuff. *vbi supra. num.* 32. *&* 33. & Barbos. *dicta allegat. 66. num.* 14.

EFFECTVS. Propter quam vnionem curatus illius Ecclesiæ, cui altera vnitur est Ecclesiæ vnitæ curatus, 1. *cap. nè sede vacante*, & idem Episcopus habet iurisdictionem in loco vnito, *cap. cum episcopus*, 7. *de off. ordinar. in 6.*

De Immunitate Ecclesiarum.

Titulus XIV.

Quid & quotuplex sit, quando & quibus suffragetur, deque iure, & qua pœna puniantur violatores immunitatis.

QVID SIT. Immunitatis nomine venit priuilegium, seu exemptio, & dicitur *quasi sine muneribus data libertas*, quæ per Fagn. *in cap. cum pro causa, num. 33. de senten. excomm.* ita definitur, *est libertas quæ cōpetit ecclesiasticis personis, & rebus ad eas spectantibus*. Hinc est, quod tam Ecclesiæ bona, quam clericorum diuino iure sūt libera à sæculariū Principum potestate, *cap. quamquam, 4. de censib. in 6. cap. non minus, 4. hoc tit.* & Azor. *instituat. moral. par. 1. lib. 5. cap. 2. quæst. 2.*

QVOTVPLEX. Diuiditur in tres species in personalem, localem, & realem. Immunitas personalis est quæ personis ecclesiasticis indulgetur, *cap. quamquam, 4. de censib. in 6.* & Io. Paul. Lancell. *institut. can. hoc tit. §. personalis.* per qua Clerici eorum bona iure diuino sunt exempta à collectis, & impositionibus laicorum. Fagn. *in cap. non minus, num. 4. eodem.* Insuper personæ ecclesiasticæ sunt exemptæ de iure ciuili ab angarijs, & perangarijs, *Authen. item nulla, C. de episcopis, & clericis.* Angariæ enim dicuntur obsequia personalia proprijs sumptibus præstita. Et Perangariæ sunt, munera personalia præstita sumptibus alienis, *l. placet, 5. & l. neminem, 11. C. de sacrosanctis eccles.*

Immunitas localis competit omnibus Ecclesijs authoritate Episcopi erectis, siue sint consecratæ, siue non. Competit etiam oratorijs authoritate Episcopi erectis, cœmeterio, monasterijs, clausto, atrio, portico, & alijs vsu Regularium necessarijs, Hospitalibus & palatio Episcopi, Fagn. *in cap. ecclesia, per tot. hoc tit.* Augustin. Barbos. *de iure ecclesiast. tit. de immunit. à num. 59.* & Bonacin *circa primum præcep. decal. quæst. 7. pun. 4. per tot.* quæ immunitas localis in his potissimū versatur, nè in relatis locis negociationes, præsertim nundinarum, ac fori cuiuscumque

tumul-

tumultus exerceantur per laicos, *cap. cum ecclesia, 5. eod.* & Lancell. *vbi supra, § saeculares.* Hac de causa laicus iudex in Ecclesia iurisdictionẽ exercere nõ valet, & illã exercẽdo exercet extra suũ territoriũ *l. fin. ff. de iurisd. omn. iud.* vnde citatio, cũ sit actus iudicialis in Ecclesia fieri non potest *cap. quoniam, 11. de probat.* & Barbos. *de iure eccles. hoc tit. num. 7.* Hæc autem immunitas conceditur omnibus fidelibus cuiuscunque ordinis, & conditionis, quia iura indistinctè loquuntur, *cap. inter alia, 6. de immun.* Barbos. *loco citato, num. 50. & 138.* Imò propter honorem, & reuerentiam, quæ debetur locis sacris, & diuino cultui, etiam Iudæi fugientes ad Ecclesiam, non zelo fidei, sed timore pœnæ gaudent immunitate locali, Fagn. *in cap. inter alia, num. 60. eodem* & Barbos. *vbi supra num. 44.* & Chartar. *decis. criminal. 7. num. 1.* cui priuilegio reus confugiens renunciare non potest, permittendo se capi in Ecclesia, nam propter capturam irrogatur iniuria Ecclesiæ, argum. *cap. contingit, il primo de senten. excommunicat.* & ex eadem causa his existentibus in locis immunibus non sunt deneganda victualia, vestes, & alia ad vsum ipsius necessaria, *cap. reos, 23. quæst. 5. cap. frater,* & *cap. miror, 17. quæst. 4.* & magis latè DD. *in l. præsenti, C. de ijs, qui ad ecclesiam confugiunt.*

Immunitas realis est libertas, qua res ecclesiasticæ ab onere tributorum, aliorumque exactionum, quæ à sæculari potestate imponuntur eximuntur; vnde personæ ecclesiasticæ pro rebus proprijs, non tenentur ad collectas, & alia onera laicalia, Fagn. *in cap. non minus, num. 1. de immunit. ecclesiæ.* Hæc materia magis latè explicatur supra *in tit. de clericis coniugatis, §. priuilegium exemptionis.*

Contrauenientes prædictis dispositionibus, dicuntur violatores immunitatis ecclesiasticæ, quod accidit pluribus modis, v. gr. Primò per capturam personæ ecclesiasticæ de mandato Iudicis laici. Secundo per extractionem personarum à locis sacris contra formã Bullæ san. mem. Greg. XIV. Vnde si quis stans extra cœmeteriũ trahat eũ, qui stat intus per partẽ pallij, violat immunitatem, Fagn. *in cap. ecclesiæ, n. 22. hoc tit.* Idem est per capturam, quando confugiens ad Ecclesiam ab ea exierit ad exonerandum corpus, modò statim, & recta via redeat August. Barbos. *tit. præcit. num. 53.* Idem, quando blandis verbis exiret à loco sacro, & deindè detinetur, si captus sit à Birruarijs captu-

captura est nulla Bonacin. *vbi supra disput.* 3. *quæst.* 7. *pun.* 3. *num.* 2. Tertio violatur per extractionem rerum, factam à sæculari potestate *cap. sicut antiquitus*, *& cap. quisquis*, 17. *quæst.* 4. & Fagn. *in dicto cap. inter alia*, *num.* 101. *vers. palam.* Quartò, quando à laicis sine beneplacito Apostolico imponuntur gabellæ super bonis, aut personis ecclesiasticis, vel efficiuntur statuta contra libertatem Ecclesiæ, *cap. nouerit*, 49. *& cap. grauem*, 53. *de senten. excommunicat.* Vltimo, aliis omissis violatur, quando laicus turbaret iurisdictionem ecclesiasticam quo casu efficitur de foro Ecclesiæ, Chartar. *decis.* 96. *num.* 21. *& per tot.*

QVA PÆNA. Qui violatores, & præsertim extrahentes confugientes ad Ecclesiam de iure Cęsareo pœna vltimi supplicii puniuntur, *l. fideli*, 2. *& l. præsenti*, 5. *C. de ijs, qui ad eccles. confugiunt*. De iure Canonico verò indistinctè violatores immunitatis authoritate publica sunt excommunicati Papales, iuxta constitutionem san. mem. Gregor. XIV. *la* 7. §. 10. *vers. declaramus*, & etiam aliquando puniri possunt pæna pecuniaria, *cap. si quis contumax*, 17. *quæst.* 4. & Chartar. *decis. criminal.* 64. *num.* 2. à qua excommunicatione non absoluuntur, nisi satisfacta parte, & reintegrata Ecclesia. Pro extractione autem rerum à locis ecclesiasticis facta authoritatiuè incidunt in excommunicatione *Bullæ cœna Domini*, §. 17. ita Fagn. *in dicto cap. inter alia*, *num.* 103. si vero authoritate priuata hoc peragant, grauiter peccant, *cap. quisquis*, 17. *quæst.* 4.

Limita, quando fit extractio ad formam prædictæ constitutionis Gregorianæ, quia cessat violatio Ecclesiæ, & incursus censurarum, tam contra laicos extractores, quam contra ecclesiasticos. In qua constitutione Gregoriana excipiuntur septem genera personarum, contra quas Episcopi possunt procedere ad extractionē seruatis seruandis & hoc propter grauitatē criminū. 1. Publici latrones, & sunt illi qui in viis publicis frequentata latrocinia extra vrbem committunt. 2. Grassatores vt sunt qui in vrbe vias obsident. 3. Depopulatores agrorum, i dest, qui agros, & vineas vastant? 4. Mutilantes membra, aut committentes homicidia intra ecclesiam. 5. Occidentes aliquem proditoriè, vel per insidias. 6. Assassini, nempè, qui prętio mandato, pretio accepto, vel promisso, homines interficiunt. 7. Committentes crimen læsæ maiestatis diuinæ, vt sunt hæretici;

ci)vel humanæ in personam ipsius met Principis. Quos casus vide in præcitata constitutione super quib. omnes Canonistæ scribunt, & in puncto, Fagn. *in dicto cap. inter alia, à num.* 21. Bonacin. *dicta quæst.* 7. *pun.*6. & Barbors. *vbi supra à num.*78.

In quorum criminum detestationem, constito Episcopo per probationes suo arbitrio sufficientes de qualitatibus exceptuatis à Bulla præcitata, proceditur ad extractionem reorum. Quæ probationes si deindè plenè & concludenter corroborentur deuenire valeat ad declarationem, *non gaudere*. Quod probatur ex illis verbis bullæ Gregorianæ, *constito prius per Episcopum, vt ipsi verè crimina superius expressa commiserint*, Alexan. Ambrosin. *de immun. ecclef. cap.*11. *num.*4. Donat. de Asyli. *de immun. local. resol.* 191. *num.*2. *& sequen.* P. Thom. del Bene *de immun. & iurisd. eccles. cap.* 16. *dubit.* 42. *sect.* 1. *num.*4. *& sequen.* & reiectis contrariis firmat Alexan. Sperell. *decis.* 101. *num.* 25. *& sequent.* Facta dicta declaratione ad formam bullæ, rei ab Episcopis tradi possunt curiæ sæculari vt iustitiam faciat. Si verò non constet concludenter de qualitate excepta, & constat de delicto, per dispensationem Papæ puniri possunt pæna extraordinaria, vt per Fagn. *in dicto cap. inter alia*, *num.* 11. 12. *& 17. eodem*.

De censibus, exactionib. & Procurationib.

Titulus XV.

Census vnde dicatur, quid & quotuplex sit, quæ illius requisita, quæ pacta prohibeantur apponi, à quibus personis imponi potest, & quibus ex causis extinguatur.

QVID SIT. Census dicitur à censendo idest, ab extimando, *l. forma* 4. *ff. de censibus*, quod nomen assimilatur annuæ pensioni, quam quis super suis bonis imponit, & collocat alteri soluendam, ac dicitur quid quid annuatim in quantitate præstatur, *cap. olim causa*, 20. *& cap. cum canonicis*, 26. *eodem*. Per censum hic intelligere debemus non ius percipiendi pensionem, sed ipsammet pensionem; quæ nihil aliud significat quam quoddam vtile onus super re aliqua impositum, Leonell.

apud

apud Ludouic. Cenc. *in interpretat. bullæ Pij V. glos. 5.*

QVOTVPLEX. Qui census in genere sumptus diuiditur in publicum, & priuatum. Hic tantum de priuato agendum est, qui subdiuiditur in consignatiuum, & reseruatiuum, Fagn. *in cap. in ciuitate, num. 33. de vsuris*. Census reseruatiuus, est cum quis tradit rem suam alicui transferendo in accipentem omne ius, quod ipse tradens habet, nullo iure sibi reseruato, præterquam recipiendi annuum censum, vt *in cap. constitutus, 6. de religiosis domibus*; cuius census denominatio conuenit contractui emphiteutico, qui in pluribus inter se differunt, vt per Eundem *in citato cap. in ciuitate, num. 34* Nam pœnes eum, qui rem tradit in contractu censuali nullum ius remanet, præter ius consequendi annuam pensionem; per contractum verò emphiteuticum solum vtile dominium transfertur, Fagn. *in cap. potuit, num. 19. de locat. & conduct.* & Rota penes Seraphin. *decis. 1195. num. 1.* Tum quia ob non solutionem census, etiam per mille annos, nunquam incidit in commissum, Ruin. *cons. 16c. num. 6. & 7. lib. 1.* secus est in contractu emphiteutico, quia quando cessat per duos, vel plures annos in soluendo, incidit in commissum, *cap. potuit, 4. de locato*.

Census consignatius, est ius percipiendi responsionem super re alterius iusto modo acquisitum ad hæredes, & successores quoscumque transitorium, manente re apud imponentem, Ludouic. Cencius *de censibus, par. 1. cap. 1. quæst. 4. art. 2. num. 1.* De hac specie strictè tractabimus, quæ subdiuiditur in temporalem, & perpetuum. Census temporalis dicitur, qui ex conuentione contrahentium habet limitatam, & præscriptam durationem, vt si imponatur ad vitam alicuius certæ personæ, & iste vocatur census vitalitius, Bald. *consil. 192. num. 4. lib. 5.* Census perpetuus est ille, qui nullo nunquam tempore redimi potest, sed hodie ad voluntatem imponentis est redimibilis, vt vt disposuit sacr. mem. Pius V. in constitutione de censibus. Hinc est quod pretium census minuitur propter pactum de redimendo, Fagn. *vbi supra num. 28.*

Secundò, diuiditur in pecuniarum, & fructuarium; Pecuniarius est cùm venditur ius percipiendi certam annuam responsionem in numerata pecunia. Hic census solui non potest in alia species quia aliud pro alio inuito creditore dari non potest, Glos. *in l. 2. §. mutui datio, ff. si certum petatur*. Fructuarius est

cum

cum expresè agitur inter contrahentes, vt vendatur, & ematur ius percipiendi certam quantitatem fructuum; quæ portio debetur tempore recollectionis in loco, vbi fit recollectio, & non in domo, *l.1.§. licet autem, ff. de pericul. & comm. rei vend.* & habet effectum etiam post Bullam Pij V.

Vltimò diuiditur in realem, & personalem. Realis est, ille, qui imponitur super re aliqua immobili fructifera, & certis finibus designata. Personalis dicitur, qui super sola persona constituitur, vt est quando quis simpliciter se obligat ad solutionem alicuius annuæ certæ pensionis pecuniæ, vel fructuum.

CONDITIONES. Requisita pro legitima impositione census sunt plura ad hoc, vt contrahatur ad formam Bullæ Pij V. quæ est inuiridi obseruantia, quia per eam remouentur quædam pacta illicita, & abusus contra alias bullas Summorum Pontificum introducti. Igitur requiritur, 1. Vt constituatur census super re immobili; per hanc conditionem videtur abrogatus census personalis. 2. Vt illa res immobilis sit de natura sua fructifera; per quam excluduntur res ex quibus fructus percipi nequeunt, Fagn. *in dicto cap. in ciuitate, num.31.* 3. Vt fundus censitus nominatim sit certis finibus designatus; hac de causa super fundo incerto imponi non potest, & hæc conditio ex eo videtur statuta à Pontifice, vt census extingui possit ad extinctionem fundi, vel pro parte, perempto fundo in partem ad instar vsus fructus, *l. quid tamen 10. ff. quib. mod. vsus fructus ammit.* 4. Requiritur numeratio pecuniæ in actu celebrationis instrumenti, præsentibus testibus, & Notario, & hoc fit ad vitandum fraudes. Hinc est quod census acquiri non potest cum credito pecuniario, quod emptor seu creditor habebat cum debitore.

Aduerte, quod ad imponendum censum super bonis Ecclesiæ plura alia requisita concurrere debent, nempè iusta causa, August. Barb. *de offic. & potest. episcopi par. 3. allegat. 85. num. 5.* Auctoritas Episcopi. Consensus Capituli. Consensus Ecclesiæ, cui imponitur census, si sit Collegiata, *cap. 1. de rer. permutat.* Et legitimum tempus, scilicet aut tempore fundationis, aut donationis, aut consecrationis, aut immunitatis indultæ. Hostien. *in sum. hoc tit. §. quis imponere*, & Lancellott. *instit. canon. hoc tit. §. quod autem, & §. constituitur.*

PACTA PROHIBITA. Ex eadem Bulla Pij V. prohibentur plu-

plures species pactorum in creatione census pro vt est pactum de faciendo anticipatas solutiones; secus si sponte soluat anticipatè.

Pacta obligantes contrahentes ad casus fortuitos. Pacta continentia, morosum census debitorem teneri ad aliquam pœnam. Pacta obligantia ad solutionem aliorum onerum diuersorum vltra naturam contractus.

Et pacta prohibentia facultatem extinguendi. Verum est quod volens censum extinguere, tenetur id per bimestre denunciare cui pretium dandum erit, & post denunciam intra annum potest cogi debitor ad restituendum pratium, sed si ille nolit pretium accipere, censuarius vt eximatur ab onere soluendi censum, deponat realiter, & legitimè illi hoc denunciet.

A' QVIBVS PERSONIS, ETC. Qui census ex ijs personis imponi potest, quæ habent dominium & liberam administrationem rerum suarum. Hinc est quod minores, & mulieres, quia prohibentur alienare res suas sine solemnitatibus, censum imponere non possunt, Ludouic. Cenc. *de censib. par.* 1. *cap.* 1. *quæst.* 1. *art.* 1. *&* 2. & Rota apud eumdem *decis.* 309. *num.* 11. Et si in impositione non seruentur prædicta requisita, census diceretur feneratitius, vt per Leonellum apud Ludouicum Cenc. *à glos.* 5. *vsque ad glos.* 28.

QVIBVS MODIS DISSOLVITVR. Nota quod census legitime impositus extinguitur diuersis modis, nempè per solutionem prætij. Per peremptionem fundi censiti proportionabiliter, & pluribus alijs modis, vt per Cencium *de censib. par.* 3. *cap.* 1. *quæst.* 1. *& sequen.*

* * *



De

De exactione.

Quid & quotuplex sit, quæ requirantur vt permittatur & qua pœna puniendus sit iniustè exigens.

EXactio ita definitur, *est petitio eius, quod ratione personæ, facultatum, negotij, vel alterius cuiusdam rei gratia ex iusta causa debetur.* Quæ ex diuersitate rei exactæ assumit suum nomen; vnde vel est collectarum personalium, aut patrimonialium, vel alijs omissis pedagiorum: in quocumque casu ad hoc, vt locum habeat esse debet permissa à lege, vel à statuto, aut à consuetudine. Hinc est, quod Episcopis prohibitum est ius collectandi, vel exigendi extraordinariam præstationem à subditis suis; ratio est quia à sacris canonibus nõ approbatur, *cap. ea quæ,* 12. *& cap. innouamus,* 10. *hoc tit.* Effectus iniustè exactionis plures sunt. 1. Priuatio officij. 2. Nisi desistat; censurarum incursus *in dicto cap. ea quæ, cum sequen. &* 3. Actio in factum; per quam exactores tributorum vltra debitum intra annum tenentur ad duplum, post autem ad simplum, *l.* 1. *ff. de public. vectigalib.*

De Procurationibus.

Procuratio quid sit, in quid consistat, quibus competat, quomodò an & quando aliquid exigere valeat.

QVID SIT. Procuratio, *est exhibitio necessariorum sumptuum, quæ ratione visitationis prælatis debetur, cap. quanto,* 16. *de census.*

A' QVO. Hinc est, quod laici, vel patroni nullatenus se ingerere præsumant visitationi ornamentorum Ecclesiæ, seu bonorum stabilium, vel fabricarum; sed Episcopi hæc faciant, non indistinctè, sed solùm in Ecclesijs, & Monasterijs in sua Diœcesi existentibus, & in priuatis Oratoriis, ad videndum an illa benè tractentur, & an sint rectè constructa; in quibus celebrari non potest sine licentia Episcopi, *cap. vnicuique,* 32. *de*

consecrat. dist. 1. qui & facere potest, vt illa demoliantur nisi sint ritè constructa, & honestè tractentur, Io. Paul. Lancell. *instit.: canon. hoc tit.* §. *post emò, & ib. glos. verbo extorqueri*: qua visitatione excluduntur hodie Monasteria Monalium, tàm mendicantium, quam non mendicantiũ, quia ex priuilegiis Apostolicis exempta sunt à visitatione, & iurisdictione Episcopi, Fagn. *in cap. venerabili, n.* 3. *hoc tit.* Limita si illa Monasteria sint commendata, & in eis non vigeat regularis obseruantia, quia tunc Monasteria ipsa, & eorum Commendatarii visitari possunt ab Episcopo, tanquam Sedis Apostolicæ Delegato, & consequenter tenentur ad procurationem cum aliis: dummodò sui ordinis Capitibus non subsint, vt in decreto Concil. Trident. *sess.* 21. *cap.* 8. *sess.* 25. *de regular. cap.* 20. & magis latè Fagn. vbi supra *num.* 4. & *in cap. tuarum de priuil.* Hoc munus visitandi spectat ad proprium Episcopum, in cuius defectum, supplet Vicarius de mandato Episcopi, & successiuè Archidiaconus, Idem *in cap. procurationes, num.* 7. *& sequen. de censib. exact. & procur.*

QVOMODO, ET QVID EXIGERE VALEAT. Qui Episcopus visitator vtatur modesto, & continenti equitatu, iuxta tex. *in cap. cum apostolus, 6. de censib.* paterna charitate amplectatur omnes, & expulsis hæresibus inducat bonos mores, atque populum admonitionibus ad Religionem, & pacem accendat; ac caueat grauare inutilibus sumptibus cuiquam. Non accipiat quodcumque munus quouis nomine, nec pecuniam, exceptis victualibus, quæ pro temporis tantum necessitate moderatè erunt ministranda, in quibus præstandis, & non præstandis attenditur consuetudo. Tempus verò duraturum in visitando, remittitur arbitrio iudicis, Azor. *instit. moral. par.* 2. *lib.* 3. *cap.* 42. *quæst.* 6. magis præcisè modus visitandi præscribitur ex Sacr. Concil. Trident. *sess.* 24. *de reformat. cap.* 3. & *ex cap.* 2. *de censib. in* 6.

A qua procuratione sunt exempti habentes speciale priuilegium exemptionis à Sede Apostolica, *cap. cum instantia*, 17. *eod.* imò Prælatus suis sumptibus explere tenetur visitationis officium quando visitat Ecclesias suæ Ciuitatis, & hoc procedit post, & non ante Concil. Tridentin. idem est quando Ecclesiæ laborant in paupertate, quia paupertas excusat à procuratione, Fagn. *in dicto cap. venerabili, num.* 9. *&* 33. *eod.* & Azor.

dict.

dicto lib. 3. cap. 42. quæst. 10.

De charitatiuo subsidio.

Titulus XVI.

Quid & quotuplex sit, ex quibus causis, à quo, & cui debeatur; & quantum esse debeat.

QVID SIT. Charitatiuum subsidium dicitur auxilium charitatis, & petitur, quando reditus propriæ Ecclesiæ non suppetunt oneribus incumbentibus, Azor. *instit. moral. par. 2. lib. 9. cap. 14. quæsit. 2.*

1. QVOTVPLEX. Diuiditur in voluntarium, & necessarium, vt per Guid. Pap. *quæst. 371. per tot.* Voluntarium subsidium, dicitur esse illud, quod gratiosè est concessum, & censetur esse quædam donatio, quia à liberalitate procedit. Necessarium vero dicitur illud, quod imponitur alicui homini, vel populo, & ita coactè quodammodo subditur; & hoc Episcopus eum charitate postulare tenetur pro necessitate temporis, si manifesta, & rationabilis causa extiterit, *cap. conquarente, 16. de offic. iudic. ordin.*

QVANDO. Tunc dicitur causa rationabilis, quando Episcopus contraxit debitum pro suo iure Ecclesiæ tuendo, Doctores *in dicto cap. conquerentes*; vel si Episcopus fecerit magnas impensas in negotiis communibus totius Diœcesis, Innocen. *in cap. 1. de stat. Monach.* vel si fecerit impensas alicuius momenti in aduentu Regis, vel Principis, præsertim, si ab eo habeat regalia. Et aliis omissis, si illud exigat pro Bullis expediendis, Azor. *dicta par. 2. lib. 9. cap. 14. quæsit. 4.* & Thomas Gramat. *decis.* 88.

A' QVO, ET CVI. Debetur Episcopo indigenti ab omnibus Ecclesiis suæ Diœcesis, Fagn. *in cap. præterea, num. 32. ne prælati vices suas.* Inprimis exigitur à Clericis de fructibus, nempè de illis, qui vltra victum exiguntur, Azor. *in instit. moral. par. 2. cap. 14. quæsit. 6. in medio*, imò soluitur de pensione, sicut de beneficio, Fagn. *in cap. ad audientiam, num. 85. de rescriptis.* Existente legitima causa exigitur à Canonicis Cathe-

thedralis Ecclesiæ, quia dignius est, quod subueniant capiti suo, quam extraneis, argum. *cap. cum non liceat 12. de præscriptionibus & cap. requisisti, 11. de testamen.* Monasteria, & aliæ Ecclesiæ exemptæ præstare non tenentur charitatiuum subsidium, Imol. *in cap. dilectus, de offic. ordinar.* & Azor. *dicto cap. 14. quæst. 6. vers. item non potest*. Clerici non habentes beneficium, vel inopia depressi, non grauantur hoc onere, ratio est quia Clerici non coguntur soluere charitatiuum subsidium, nisi de fructibus beneficiorum, vt supra ostendimus: vnde quia nomine fructuum non veniunt distributiones quotidianæ, ideò à distributionibus quotidianis non debetur, Gonzal. *ad regul. 8.* Cancell. *in proem. §. 7. num. 174.*

QVANTVM. Quantitas huiusmodi charitatiui subsidii est iuxta solitum, quod non est excedendum, vt firmat Augustin. Barbos. *de iure ecclesiast. hoc tit. de charitatiuo subsidio, cap. 21. num. 7.* & quia pendet à facultate superioris, & à charitate, nunquam præscribitur, Barbos. *ibidem, num. 56.*

De Sepulturis.

Titulus XVII.

Sepultura quid & quotuplex sit, à quibus, cui, vbi, & quomodo concedatur; & ex quibus causis denegatur.

QVID SIT. Sepultura tripliciter accipitur. 1. Materialiter idest, pro loco in quo, quis sepelitur siue sit terra concaua, siue arca, *cap. abolenda, 13. de sepult.* 2. Pro officio ipso, quod impenditur corporibus humanis, *c. dictum. 1. quæst. 1. & 3.* Pro iure sepeliendi, quod quis habet in aliquo loco.

QVOTVPLEX. Primo modo sumpta diuiditur in communem, hereditariam, & familiarem. Communis est in qua omnibus licet mortuum deferre. Hereditaria est pro se, & heredibus, in qua alii præter heredes, quamuis consanguinei sepeliri nõ possunt. Et familiaris est pro se, & familia tantũ constructa, in qua qui non sunt de familia sepeliri non possunt, *l. familiaris, 5. ff. de relig. & sumpt. funer.* Quæ sepultura materialiter sumpta fieri debet intra Ecclesiam, ad hoc vt proximi defuncto-

rum

rum accedentes ad sacta loca illas conspiciendo recordentur suorum, & præces pias pro eis fundant, *cap. cum gratia*, & *cap. non extimemus*, 13. *quaest.* 2. S non permittitur facere nouam sepulturam in Ecclesia sine licentia inscriptis obtenta ab Episcopo, & in Ecclesijs Regularium requiritur licentia Prouincialium, August. Barbos. *de iur. eccles.* hoc tit. *de sepult. num.* 9. & 10.

A' QVIBVS. Sepultura secundo modo sumpta adstringit Clericos nè aliquid exigant pro officio sepeliendi, cum spectet ad charitatem, nisi consuetudo contrarium disponat, Martin. Bonacin. *de contract. disp.* 3. *quaest.* 21. *punt.* 4. *num.* 1. & 2. & Lancellot. *hoc tit.* §. *illud*, qua attenta, non debent plus accipere pro tumulandis cadaueribus exterorum, quam ciuium; imò pauperum cadauera gratis sepelire debent, vt pluries resolutum fuit per Sacram Congregationem Sacr. Concil. Trident. quas decisiones refert Barbos. *citato tit. num.* 83. & 84. Ritus sepeliendi corpora mortuorum cum ijs, quæ spectant ad sumptus funerum explicatur per Bonac. *in loco praecit. disp.* 3. *quaest.* 21. *pun.* 5. & 6. & Fagn. *in cap fraternitatem, num.* 13. & *sequen. de sepult.* qui in fine tractat de valore sacrificij missæ pro defunctis.

CVI ET VBI. Sepultura tertio modo sumpta competit omnibus illis, quibus non denegatur ab Ecclesia. Vnde quilibet ex illis habet liberam facultatem eam eligendi, cum sit actus propriæ voluntatis, *cap. cum liberum*, 6. *de sepult.* & à parochis non potest impediri electio sepulturæ in Ecclesiis Regularium, *Clement. dudum*, §. *huiusmodi, de sepult.* Possunt tamen in genere interrogare infirmum, in qua Ecclesia velit sepeliri, non autem in specie; quia esset interrogatio suggestiua, Bursar. *cons.* 226. *num* 18. *volum.* 3. & si quis aliquem inducat ad eligendum sepulturam sub voto, vel promissione de non mutando illam electionem, incidit in vinculum censurarum, *cap.* 1. *de sepult. in* 6.

Quæ facultas eligendi sepulturam denegatur impuberibus, qui propter minoritatem prohibentur illam eligere, *cap. licet pater*, 4. *de sepult. in* 6. & Gratian. *discept. forens. cap.* 94. *num.* 79. quod non procedit in filijs familias, vel vxoribus, quia liberam facultatem habent eligendi sepulturam. Sed si vxor ea non electa moriatur, sepelienda est in sepultura vltimi viri. Et si filius familias hoc modo etiam moriatur, sepelietur in sepultura suo-

suorum maiorum, *dicto cap. licet pater*, & Fagn. *in dicto cap. fraternitatem, num.* 12.

Idē est in Religiosis, qui cū non habeant electionem sepulturæ, sunt in proprijs monasterijs sepeliendi, etiam si decedant extra claustra, parochis in consultis, ad eorum Ecclesias deferri debent, *cap. vlt. de sepult. in 6.* Fallit, quando moriuntur in partibus remotis à monasterio, quia tunc possunt eligere sepulturam, & si non eligant, sepeliendi sunt in Ecclesia parochiali in qua decesserunt, ad instar sæcularium in itinere morientium, vt tenent DD. *in dicto cap. vlt. de sepult. in 6.*

QUOMODO. Sequuta morte infirmi est in arbitrium heredis statuere numerum ceræ ad cadauer associandum, & conuocare alios Sacerdotes, & Confraternitates; verum nullatenus est excludendus proprius parochus. Qui omnes conuenire debent ad parochialem defuncti, & exinde cum parocho omnes accedant sub vna Cruce illius ecclesiæ ad quam corpus trāsfertur, & omnes sequuntur secundum antianitatem, vt pluries decisum fuit per Sacram Congregationem, quas decisiones refert Barbos. *in tract. de iur. eccles. tit. de sepult. à num.* 57. *ad* 78.

EX QVIBVS CAVSIS DENEGATVR SEPVLTVRA. Nō omnes catholici sepeliendi sunt in loco sacro, quia ex iusta causa denegatur sepultura. 1. Excommunicatis notoriis, & denunciatis, *cap. sacris*, 38. *de sent. excom.* & *cap. sacris*, 12. *de sepult.* 2. Interdictis notoriis, & denunciatis, *Clement.* 1. *de sepult.* 3. Manifestis vsurariis, nisi restituant, vel idoneam cautionem præstent de restituendo quidquid iniustè exegerunt, *cap. quia* 3. *de vsur.* 4. Infidelibus paganis, Iudæis, & Hæreticis, etiam si post mortem appareat de hæresi, *cap. excommunicamus*, 13. §. *credentes, de hæretic.* 5. Manifestis raptoribus, nisi restitutione secuta, vel alius vellet pro illis restituere, *cap. super eo*, 2. *de raptor.* 6. Decedentibus in torneamentis, *cap.* 1. *&* 2. *de torneament.* & Concil. Trident. *sess.* 25 *de reformat. cap.* 19. Vlt. aliis omissis, apostatis, & se ipsos interficientibus propter metum futuræ pænæ, Barb. *vbi supra à num.* 40. *vsque ad* 44. & Lancellot. *in eitat. loco*, §. *& si contingerit*, & in duobus, §§. *sequen-*

De

De Canonica portione.

Titulus XVIII.

Quid & quotuplex sit, à quo, de quibus rebus, cui, quando, & qua de causa debeatur.

QVID SIT. Hæc canonica portio non est vbique in vsu, sed solum in aliquibus locis, vt refert Augustin. Barbos. *de iure ecclesiast. lib.3. tit. de canonica portione, num.* 10. nihilominus explicatur, & ponitur eiusdem definitio, *est portio, qua detrahitur de relictis, & prouentibus Ecclesijs obuenientibus, & prælatis debetur.* Dixi *portio*, idest quota, quia non est eadem in omnibus locis, sed est varia in varijs Diœcesibus, Glos. *in cap. certificari, 9. de sepulturis,* & Hostien. *in sum. tit. de sepult. num. 6.* Dixi *de relictis*, idest de eis, quæ dantur per viam vltimæ voluntatis, *l.1. in fin. ff. de tabul. exhiben.* Dixi *obuentionibus*, etiam alia via, quam vltimæ voluntatis, *cap. de ijs, 4. de sepulturis.* Dixi *prælatis*, vt comprehendat Episcopos, & parochos, Abb. *in cap. de multa, 27. de præbendis.*

QVOTVPLEX. Quæ diuiditur in parochialem, & episcopalem. Parochialis portio detrahitur de omnibus, quæ obueniunt ratione funeris, nempè de candelis accensis, quæ circa crucem, & cadauer deferuntur; de armis, banderijs, libris, & culcitra, quæ in feretro deferuntur, & etiam de illis, quæ dantur pro missis celebrandis, Glos. *in clemen. dudum, §. verum, de sepulturis,* & Barbos. *loco præcit. num.* 41. & 42. Funeralia enim dicuntur, quæ ratione sepulture obueniunt, *cap. cum liberum 6. & cap. in nostra, 10. de sepulturis.*

A' QVO DE QVIBVS, ET CVI. Quæ portio parochialis est inducta iure Canonico propter sacramenta, quæ ministrat parochus suis parochianis, idest propter onus, quod in eorum administratione subit, *cap. 1. & cap. relatum, 2. eodem.* Hac de causa hæc quarta, siuè media portio, iuxta consuetudinem statuta debetur Ecclesiæ in qua audiuit, & accepit sacramenta ab illa Ecclesia apud quam talis fuerit sepultus, etiam si sepeliatur in Ecclesia Regularium post habita parochiali, Glos. *in dicta*

Clemen. dudum, §. verum, cap. cum quis, cod. in 6. Rota *in recent. decis. 376. num. 1. par. 1.* & Bonacin. *de contractibus, disput. 3. quaest. 22. pun. 3. num. 2. & pun. 2. num. 1.* Aduerte, quod dicta canonica portio non detrahitur de legatis factis Ecclesiæ, vel locis pijs pro fabrica, & alijs ornamentis ad cultum diuinum perpetuum, Glos. *in dicta Clemen. dudum*, §. *verum*.

A' QVO, ET QVANDO. Canonica portio Episcopalis dicitur quarta, plus, vel minus secundum consuetudinem locorum; & debetur Episcopo de legatis pijs, funeralibus, & oblationibus factis Ecclesiæ, seu locis pijs sibi subiectis, *cap. requisisti, 11.* & *cap. vlt. de testamentis*, & Lancell. *hoc tit. §. canonica portio episcopalis*. Igitur de quibus non detrahitur portio parochialis, nec minus detrahitur Episcopalis, *cap. fin. de testamentis*; & si concurrat parochus, & Episcopus simul pro hac parte, debetur parocho, qui illam exigit ex causa onerosa; & non Episcopo, cui debetur ex causa lucratiua, ideoque potior est conditio parochi, *cap. 1. eodem*.

De Decimis.

Titulus XIX.

Decima quid & quotuplex sit, à quo, cui, de quibus, quando, & vbi est soluenda. Quos effectus producat illius solutio; & orta lite coram quo est terminanda.

QVID SIT. Dantur tres termini, primitiæ, oblatio, & decima. Primitiæ dicuntur primi fructus, qui percipiuntur ex agris & immediatè offeruntur Deo in recognitionem beneficiorum, ad quas nullum ius obligat, Abb. *in cap. decimam, num. 2. de decimis*. Oblationis nomine, venit quidquid Deo offertur in recognitionem dominij siue excellentiæ, de quibus hic non agimus, Lancell. *institut. canon. lib. 2. hoc tit. §. decima.* His positis ita definitur decima, *est quota bonorum mobilium portio Deo, tam diuina, quam humana constitutione debita*. Dixi *quota portio*, quia ipsa non vbique decima est, sed est varia, & incerta pro consuetudine locorum, Bart. *in l. certi condictio, num 7. & 15. ff. si cert. petat.* Dixi *diuina*, quia diuina con-

constitutione debetur, *cap. parochianos*, 14. *eodem*; & præsertim si consideretur quatenus deseruit ministris ad congruam substentationem, debetur de iure naturæ, & diuino, Glos. *in cap. à nobis*, 24. *& in cap. nuper*, 34. *de decimis*, Fagn. *in cap. præterea, num. 21. nè prel. vice:, suas.* Dixi *humana*, quia si consideretur decima quatenus dicit partem determinatam, hoc est de iure positiuo, vt patet *ex cap. in quibusdam*, 32. §. *ille quipp-, de decimis*, in his terminis procedit sententia Theologorum asserentium decimas deberi de iure Pontificio, S. Thom. 2.2. *quæst.* 87. *art.* 1. *in corpore*. Idem est, si consideretur quatenus respicit decimas personales, quæ fuere inductæ à iure positiuo, Abb. Panorm. *in cap. de terris, num.* 6. *de decimis*.

QVOTVPLEX. Diuiditur in personalem, prædialem, & mixtam.

QVID SIT, A' QVO, ET CVI. Decima personalis soluitur ratione personæ ex lucro negociationis, vel artificij, *cap. pastoralis*, 28. *eod. & cap. decimæ*, 16. *quæst.* 1. & soluitur de lucro detractis oneribus; quia hic fructus sumuntur ciuiliter, nempè detractis expensis, & non alias, Fagn. *in cap. grauis, num. 6. de restitut. spoliatorum, cap. tua nobis*, 26. *eod.* & Martin. Bonacin. *de præceptis ecclesiæ d sput. vlt. quæst.* 5. *pun.* 3. *num.* 19. Ac est soluenda illi Ecclesiæ in qua quis sacramenta percepit, licet alibi lucrum obtigerit, *cap. ad apostolicæ, hoc tit. cap. fin. de paroch.* & Rota penes Buratt. *decis* 571. *num.* 15. *in annotationib.* Quam retinuit Dominus in signum vniuersalis dominij, & voluit ipsam solui Clericis pro seruitio suo faciendo, Hostien. *in sum. hoc tit. num.* 9. Ad illas non tenentur Hæretici, & Iudæi, quia in eis cessat causa obligationis, Lancell. *vbi supra*, §. *illud etiam nullam*.

QVID SIT, A' QVO, ET CVI. Decima prædialis dicitur, quæ debetur ex fructibus prædiorum, veluti ex vino, tritico, & his similibus, *cap. ad apostolicæ*, 20. *eod. & cap. fin. de paroch.* De quibus fructibus non sunt deducenda onera, quia hic sumuntur naturaliter, & absque expensarum deductione debent considerari, Fagn. *in dicto cap. grauis, num.* 6. August. Barbos. *de iure ecclesiastico, hoc tit.* §. 1. *à num.* 34. & Canisius *in sum. iuris pontificij, de decimis tit.* 26. §. *illud discriminis*. Ad quas, etiam Reges tenentur, Abb. *in cap. omnes, num.* 4. *de maiorit. & obedien.* quæ debetur illi Ecclesiæ in cuius parochia sunt sita

Digitized by Google

prædia, Fagn. *in cap. cum contingat, num.* 2. *de decimis*, & Rota *in recen. decis.* 169. *num.* 4. *par.* 5. *lib.* 1. sed si dubitetur, an spectet ad Ecclesiam sacramentalem, vel prædialem, recurrendum est ad consuetudinem particularem, quæ inducitur spacio, 10. annorum, *decis.* 289. *num.* 1. & 2. *par.* 2. *lib.* 1. *recen.*

Limita, quando alteri Ecclesiæ est quæsitum ius decimandi, siue ex consuetudine, aut ex præscriptione, *dicto cap. ad apostolicæ*, vel ex priuilegio, *cap. ex parte* 10. & ibi Abb. *num.* 1. & 4. *eod.* Aut ex compromisso, Abb. *in cap.* 7. *de ijs quæ fiunt à prel.* Vel ex transactione, *cap.* 2. *de transactionib.* & iuncto *cap.* 3. *eodem*. In alijs enim casibus ad solutionem decimarum prædialium tenentur, etiam Iudæi, Saraceni, & Hæretici ex terris quas colunt christianorum Principum iurisdictioni subiectis, alias ipsa prædia relinquere coguntur; ratio est, quia semper transeunt in quemlibet possessorem cum onere suo, *cap. si quis laicus*, & *cap. ecclesiæ*, 16. *quæst.* 1. & Abb. *in dicto cap. de terris, num.* 2. quæ debentur, postquam fructus sunt collecti scilicet in loco in quo est recepta consuetudo. Etiam personales sunt soluendæ, postquam lucrum est quæsitum, Martin. Bonacin. *hoc tit. quæst.* 5. *pun.* 4. *num.* 2. & 3.

Vnum aduerte, quod decimæ prædiales sunt soluendæ ab omnibus reditibus rerum, tam immobilium, quam se mouentium, *cap. ex parte*, 21. & *cap. à nobis*, 24. *de decimis*. nisi obstet aliqua species exemptionis, vt per Lancell. *hoc tit.* §. *sed & si ijsdem*. Vel nisi sint reditus prædiorum, quæ titulo spirituali possidentur, *dicto cap. à nobis*, 24. Vnde Clerici de illis quæ acquirunt occasione beneficij, vel clericatus decimas soluere non tenētur, secus verò de prædijs sæcularium, vt sunt illa quæ iure hereditario acquiruntur, Azor. *institut. moral. par.* 1. *lib.* 7. *cap.* 35. *quæst.* 5. & Augustin. Barbos. *vbi supra*, §. 3. *num.* 8.

QVÆ SINT, A' QVO, ET CVI. Decimæ mistæ sunt partim prædiales, & partim personale; ac dicūtur quæ ex fructibus pecorū, aliorumq; animalium, veluti ex fetu, lana, & lacte colliguntur, *cap. peruenit*, 5. *eod.* & sunt soluendæ iuxta receptam locorum consuetudinem, *cap. ad apostolicæ*, 20. *in fine de decimis*. Præcisa consuetudine soluuntur in eo loco, vbi animalia pascuntur; & si hyeme pascantur herbis in vna parochia; æstate in altera; & in alia iaceant & dormiant, decima diuidi debet inter eas parochias, Glos. *in dicto cap. apostolicæ*, 20. *de decim.* Azor. *par.* 1. *lib.*

lib. 7. *cap.* 35. *quæsit.* 15. Bonacin. *dicta quæst.* 5. *pun.* 3. *num.* 16. & Rota *decis.* 169. *num.* 12. *p.* 5. *lib.* 1. *recent.*

Aliæ denique dicuntur decimæ papales, aliæ beneficiales, & aliæ nouales. Decimæ papales exiguntur pro ingruentibus Ecclesiæ necessitatibus, & non sunt perpetuæ, Fagn. *in cap. præterea, num.* 25. *ne præl. vices suas.* Beneficiales imponuntur super beneficijs, & fructibus ecclesiasticis, & soluuntur ad instar personalium, detractis expensis. Nouales dicuntur, quæ exiguntur ex agro de nouo ad culturam redacto, de quo non extat memoria, quod aliquando cultus fuerit, *cap.* 1. *de verb. significat.* Canisius *in sum. iur. pontif. hoc tit.* §. *noualium*, & Lancell. *ibidem*, §. *si monachi.*

Quæ obligatio soluendi decimas est stricti iuris: & obligat etiam Confessarios Religiosos ad monendum fideles ad solutionem decimarum, *cap. discretioni vestræ*, 1. *de decimis in* 6. & *Clemen. cupientes* 3. *de pœnis.* Ita vt contra non soluentes, vel impedientes lata est excommunica comminatoria, vt constat ex Concil. Trident. *sess.* 25. *de reformat. cap.* 12. Fagn. *in dicto cap. in aliquibus. num.* 2. Azor. *dicto lib.* 7. *cap.* 31. *quæst.* 9. & *decis.* 448. *num.* 8. *par.* 9. *lib.* 2. *recent.*

EFFECTVS. Effectus potissimi solutionis decimarum quatuor sunt, nempè sanitas corporis. Abundantia fructuum. Sanitas animæ. Et acquisitio cœlestium præmiorum, *cap. decimæ*, 16. *quæst.* 1.

CORAM QVO. Quando est decimarum controuersia in petitorio, vbi quæstio iuris est, etiam incidenter spectat ad Iudicẽ ecclesiasticũ; ad iudicẽ sæcularem tamẽ spectat, quando est meri facti, nempè an percipiat fructus, Fagn. *in cap. tuam*, *num.* 39. *de ordin. cognit.* Seraphin. *decis.* 1102. *num.* 6. *decis.* 486. *num.* 4. *par.* 2. *recen.* & Bonacin. *dicta quæst.* 5. *pun.* 6.



De

De rebus Ecclesiæ alienandis vel non alienandis.

Titulus XX.

Alienatio quid & quotuplex sit, à quo fieri potest, ex quibus causis; qua forma, & qua pœna puniatur malè alienans.

QVID SIT. Alienationis nomine venit donatio, venditio, permutatio, emphiteusis, locatio ad longum tempus, hypotheca, & omnis actus per quem alteri ius in re ecclesiastica quæritur, *Extrauag. ambitiosæ, de rebus eccles. non alienan.* & *cap. nulli, §. alienationes, eod.* Quæ sic generalissimè sumpta in hoc titulo capitur, vt per Fagnan. *in cap. nulli, num.* 34. *eod.*

QVOTVPLEX. Diuiditur in duas species in alienationationem propriam, & impropriam. Propria dicitur actus quo tam dominium directum, quam vtile transfertur, *l. alienatum*, 67. *ff. de verbor. signif.* Impropria est, qua mediante transfertur dominium vtile, vel aliquod ius in re constituitur, *l. sancimus*, 7. *C. de rebus alienan. & non alienan.* Vtroque modo sumpta in rebus ecclesiasticis est prohibita de iure Canonico, vt in dicta *Extrauag. ambitiosæ*, & in Concil. Trident. *sess.* 25. *cap.* 11. & de iure Ciuili, *l. iubemus*, 10. & *Authen. ius porrectum*, *C. de sacrosan. eccles.*

A' QVO. Quæ prohibitio respicit omnia genera personarum nempè Summos Pontifices. Probabile tamen est sine causa alienationem factam bonorum Ecclesiæ à Papa validam esse, vt per Martinum Bonac. *hoc tit. disp.* 11. *quæst. vnica*, *punct.* 5. §. 2. Comprehendit Cardinales, Episcopos, Abbates, & Commendatarios, vt per Bonac. *dicto pun.* 5. *num.* 5. ac etiam Collegium Canonicorum, mortuo Episcopo, ita Azor. *institut. moral. par.* 2. *lib.* 9. *cap.* 3. *quæsit.* 11. Bona, quæ ab his alienari prohibentur, dicuntur bona immobilia, & quæ seruando seruari possunt, & seruata ferunt fructum, *cap. tua*, 8. *de ijs, quæ fiunt à prælat.*

EX QVIBVS CAVSIS. Quæ res immobiles ex pluribus cau-

cauſis, quæ ad quatuor potiſſimè reducuntur alienari poſſunt, vt explicat Gloſ. *in principio cauſæ*, 12. *quæſt.* 11. Fagn. *in cap. nulli, num.* 7. *eod.* Azor. *inſt. mor. par.* 2. *lib.* 9. *cap.* 1. *quæſit.* 3. Auguſt. Barboſ. *de iur. eccleſ. lib.* 3. *cap.* 30. *num.* 18. Rota *in recen. deciſ.* 114. *num.* 38. *par.* 9. nempè ex cauſa neceſſitatis, vt ſi Eccleſia ære alieno grauetur, & aliunde ſoluendo non ſit; ſi ex fructibus ſoluere non poſſit, permittitur rei alienatio, *cap. ad noſtram, hoc tit. cap. hoc ius*, 10. *quæſt.* 2. & Gratian. *diſcept. forenſ. cap* 570. *num.* 11. Ex cauſa vtilitatis, propter quam fieri poteſt alienatio, veluti ſi res melior, atque vtilior acquiratur, *cap. hoc ius*, 10. *quæſt.* 2 & *cap. ſine exceptione*, 12. *quæſt.* 2. Quæ vtilitas eſt plenè probanda de tempore alienationis, & eſſe debet clara & euidens Rota, *deciſ.* 624. *n.* 3. & 4. *par.* 1. *recen.* Ex curſu tamen triginta annorum, concurrente obſeruantia contractus præſumitur hæc ſolemnitas interueniſſe, Buratt. *deciſ.* 45. *in addit. num.* 10. & Gratian. *diſcep. forenſ. cap.* 474. *num* 14. Pietatis cauſa, vt pro redemptione captiuorum, aut propter alimenta pauperum, vbi aliter prouideri non poteſt, niſi res Eccleſiæ alienentur, *cap. aurum*, 12. *quæſt.* 2. *l ſancimus*, 18. *C. de ſacroſ. eccleſ.* Fagn. *cap. nulli, num.* 7. *de reb. eccleſ. non alienan.* & Bonac. *lib.* 1. *eod. tit. diſp.* 11. *quæſt. vn. pun.* 4. *n.* 1. Denique quarta cauſa eſt, ſi res Eccleſiæ ſit magis incommoda, quam commoda, *cap. terrulas.* 12. *quæſt.* 2.

QVA FORMA. Præter iuſtam cauſam ad validam alienationem bonorum Eccleſiæ plura alia requiruntur. Primò, vt præcedat tractatus nempè, vt prius conſultetur vocatis omnibus illis quorum intereſt, an expediat dicta alienatio, *cap. tua*, 8. *de his quæ fiunt à præl.* Poſt tractatum requiritur conſenſus expreſſus maioris partis Capituli, *cap.* 1. *de his, quæ fiunt à præl.* Etiam requiritur ſubſcriptio, intellige in caſibus in quibus ius ſubſcriptionem præſcribit, vt eſt eſt in permutatione, & & venditione.

Item eſt neceſſarius conſenſus Epiſcopi, ſi Eccleſia ſit ſæcularis. In religionibus verò conſenſus Prouincialis; & ſi Prouincialis alienet requiritur conſenſus Generalis, Bonacin. *dicta diſput.* 11. *quæſt.* 5. *pun.* 4. *num* 4. & Azor. *vbi ſup. lib.* 11. *cap.* 1. *quæſit.* 4. Vlt. his concurrentibus, tam in alienatione ſtabilium quam mobilium pretioſorum requiritur conſenſus Summi Pontificis.

A qua

A' qua prohibitione excluduntur plures res, & plures casus in quibus Episcopus inconsulto Romano Pontifice procedere potest ad alienationem. Primò alienare terrulas, & vineolas exiguas non valentes vltra viginti solidos, *cap. terrulas*, 12. *quæst.* 11. & Fagn. *in dicto cap. nulli, num.* 24. & 25. quod procedit si tria concurrant; nempè necessitas alienandi; quod res sit exigui valoris; & quod sit parum vtilis, *decis.* 624. *num.* 11. & 12. *par.* 1. *recent.* & Gratian. *discept. foren. cap.* 452. *num.* 2. & 12. Secundò potest dare in emphyteusim bona, quæ sunt solita concedi, Fagn *in cap. requisiuit, num.* 3. & 5. *de in integrum restitut.* Et si cessauerit per biennium soluere canonem incidit in commissum; quia præfixus dies interpellat pro homine, Lancell. *hoc tit.* §. *ruina*, quam moram purgare potest offerendo realiter canonem, Fagn. *in cap. potuit, num.* 4. *de locato, & conducto.* Ea quæ concurrere debent, vt bona sint solita in emphiteusim dari, magistraliter enumerat Rota *in decis* 114. *num.* 14. & 15. *par.* 9. *recent.* Tertiò potest infeudare inconsulto Papa, bona Ecclesiæ ab antiquo in feudum dari solita, Fagn. *in dicto cap. nulli, num.* 20. Quæ feuda, si à feudataris inscio Episcopo alienentur, feudatarius priuatur iure suo, & Episcopus potest alteri illa concedere, *cap.* 2. *de feudis*, & Lancell. *vbi supra*, §. *sed, & in feudum.* Quartò potest res mobiles non pretiosas alicui donare, præsertim ob benemerita, Lancell. *hoc tit.* §. *excipiuntur.* Vltimò res perituræ quæ diuturnitate consumuntur, vt sunt fructus, vestes, & his similia possunt ab Episcopo alienari sine prædictis solemnitatibus, *Extrauag. vn. hoc tit.* Hostien. *in sum. eodem, num.* 1. ac per triennium stabilia sine beneplacito Apostolico locari possunt. verum quando locatio est vltra triennium non valet, Fagn. *in dicto cap. nulli, num.* 42. *hoc tit.* Nicol. Garz. *de beneficijs, par.* 2. *cap.* 1. *num.* 48. & Azor. *institut. moral. par.* 2. *lib.* 9. *cap.* 11. *quæst.* 3.

Hinc est, quod alienatio facta extra causas permissas, & non concurrentibus dictis requisitis est nullius momenti, etiam si facta sit in iudicio, *cap. ea quæ*, 26. *de regul. iuris in* 6. & Azor. *institut. moral. par.* 2. *lib.* 9. *cap.* 1. *quæst.* 8. Imò alienans ligatur excommunicatione, & pluribus alijs pœnis, vt per Bonacin. *hoc tit. quæst. vn. pun.* 1. *num.* 1. & 8. contra raptores statuuntur aliæ pænæ, vt *in tit. de crimine sacrilegij*, August. Barbos. *de iure eccles. lib.* 3. *cap.* 29. *num.* 6. & 7.

De peculio Clericorum.

Titulus XXI.

Quid & quotuplex sit, à quo, quando, & quomodo alienari permittatur.

QVID SIT. Peculium dicitur à pecunia, & sæpè capitur pro patrimonio alicuius, ideoque fuit attributum Clericis istud vocabulum, quia vt plurimum non habent ampla patrimonia, Panorm. *in rubr. huius tit. num.* 1. sed magis strictè sumptum dicitur pecunia, quam habet existens in aliena potestate, vt est seruus, & filius familias, *l. depositi*, 5. *§. peculium, ff. de peculio*.

QVOTVPLEX. Duplex est, aliud laicorum, & aliud clericorum. Primum, est quatruplex castrense, quasi castrense, profectitium, & aduentitium. Castrense dicitur, quod filius familias acquirit ex militia. Quasi castrense est, quod acquirit ex aduocatione, & hoc est eiusdem naturæ cum bonis quæsitis à Clericis occasione Clericatus, Afflict. *decis.* 241. *num.* 2. & tam quo ad proprietatem, quam quo ad vsumfructum sunt acquirentis, Gratian. *decis.* 49. *num.* 40. & 41. Profectitium est, quod ex re patris, eiusue occasione acquiritur; & hoc, tam quo ad proprietatem, quam ad vsumfructum spectat ad patrem, Rota *decis.* 387. *num.* 5. & 17. *par.* 9. *lib.* 2. *recen.* Hac de causa hoc peculium profectitium non venit in confiscatione bonorum filij familias, Mascardus *de probat. conclus.* 1136. *num.* 1. Et aduentitium dicitur, quod non ex re patris, sed aliunde, scilicet ex donatione, vel prosperitate fortunæ, & huius peculij proprietas acquiritur filio, & patri vsusfructus. Clericis peculium aduentitium est quasi castrense, Gratian. *dicta decis.* 49. *num.* 48.

SVBDIVIDITVR PECVLIVM CLERICORVM. Peculium Clericorum comprehendit quinque genera bonorum, quæ apud Clericos reperiri possunt; quorum quædam sunt patrimonialia; & vel dicuntur patrimonialia, quia Cleri-

Digitized by Google

eus super illis est ordinatus, & hæc alienari non possunt, inconsulto Ordinario; quia facta sunt quasi dotalia, ideoque gaudent omnibus exemptionibus, quæ competunt bonis Ecclesiæ, in quorum locum sunt subrogata, Fagn. *in cap. episcopus, num. 39. & 40. de prabend. & dignit.* Alia sunt patrimonialia libera, vt sunt ea, quæ proueniunt ex successione hereditaria, & hæc siue inter viuos, siue in vltima voluntate permittuntur Clerico alienari, *cap. relatum*, 12. *& cap. requisisti*, 15. *de testam.* & comparantur bonis Ecclesiæ tantum in casibus expressis, Idem *in dicto cap. episcopus, num.* 33. & 38. Alia bona sunt, quæ ratione muneris ecclesiastici acquiruntur, & sunt illa, quæ simplices Clerici acquirunt celebrando missas, & confessiones audiendo; & hæc bona Clerico acquirũtur. Alia sunt bona directè spectantia ad Ecclesias, aliaue ecclesiastica loca, vt sunt agri, domus, calices, & similia; & hæc stant sub dominio Ecclesiæ, *cap. nulli, 12. quæst.* 2. & ministri Ecclesiæ nullum ius sibi vendicare possunt, præter administrationem, *cap. 2. de donat.* Alia sunt bona, quæ consistunt in reditibus ecclesiasticis, qui deputantur Clericis, & ministris ad substentationem ratione tituli beneficij, & residentiæ. Tandem, alia sunt quæ deputantur ministris ratione actualis residentiæ, vt sunt distributiones quotidianæ, næ, & de istis, tanquam stipendium laboris, beneficiarius est absolutus dominus, *cap. vn. de cleric. non residen.* Gonzal. *ad regul.* 8. Cancell. *§. 7. in proem. num.* 164. & August. Barbos. *de iure eccles. tit. de fructib. benefic. cap.* 17. *num.* 31. & 32.

DE QVO PECVLIO DISPONERE POSSINT. Tota difficultas consistit, an de his duobus posterioribus generibus bonorum Clericus disponere possit & in hoc est tanta opinionum varietas, quæ vix explicari potest absque ingenti volumine; vndecum Doctoribus modernis dicam, quod Clerici disponere valent de fructibus beneficij, vt de patrimonialibus, & si eisdem reditibus abutantur, non offendunt legem iustitiæ, nec ad restitutionem malè expensorum tenentur, sed solummodo peccant contra legem charitatis; nam reditus qui supersunt dicuntur alieni non proprij ex quadam metaphora, eo quod pauperibus essent erogandi, ita Fagn. *in cap.*

cap. si quis sane, num. 1. *vers. quo ad primum de pecul. cleric.* & August. Barb. *de iur. eccles. tit. de fructib. benefic. in genere, cap.* 17. *num.* 12. 14. *&* 67.

Ampliatur etiam in Clericis in vrbe decedentibus; quia liberè disponere possunt de reditibus beneficij, tam inter viuos, quam in vltima voluntate: eisque intestatis succedunt hæredes ab intestato, Fagn. *in dicto cap. si quis sanè, num.* 24.

Imò, quando Clericus fecit melioramenta in bonis beneficij de suo patrimonio, tam ipse, quam eius hæres ea repetere potest, dummodo illa non fecerit animo donandi, Gratian. *discep. forens. cap.* 117. *num.* 26.

Hoc non procedit in melioramentis factis in eisdem bonis ex effectibus beneficij; quia his tantum frui potest quo ad vixerit, *cap. fin. de pecul. cleric.*

* * *



LIBER TERTIVS

De Iudicijs.

Titulus Primus.

Iudicium de quo iure originem sumpsit, quid & quotuplex sit, in quot partes diuidatur, & quæ genera causarum in eo concurrant.



RIGO. Cum vniuscuiusque rei pars potissima sit origo, turpe est materiam ingredi origine non repetita, iuxta sententiam iurisconsulti *in l. 1. ff. de origin. iur.* meritò igitur agere debemus in principio de origine iudiciorum; quam probamus accepisse à statu innocentiæ, vt ex *cap. 1. genes.* In quo statu, post quam Deus fecit Adam, illum collocauit in Paradiso voluptatis, deditque hanc legem: *de omni ligno comedes, excepto ligno scientiæ boni, & mali*; qua non obstante Adam ad seductionem Euæ comedit lignum. Deus sentiens iratus citat Adam, Adam vbi es? Explicat Cornel. à lapide *in pentateucum, cap. 3. genes.* illud verbum *vbi es*, quasi quod dixisset, ò Adam in alio statu te reliqui, & in alio te inueni; gloriosè coram me incedebas, & nunc nudum te video; vnde hoc tibi accidit? Quis fur? Cur fugis? Cur erubescis? ait S. Siluest. *in cap. 4. de ciuit. Dei, timor iste culpam fatetur.*

Respondet Adam dictis interrogationibus: Mulier, quam mihi dedisti sociam, dedit à ligno, & comedi. Ex quibus fassus est commisisse peccatum; vnde Deus dedit defensiones, & auditis exceptionibus, protulit sententiam inappellabilem, & executioni demandauit, eijciendo Adam cum Eua à Paradiso Terrestri, *geos. in c. serpens, 47. de pœniten. dist. 1.* Hac de causa Adam fuit spoliatus à donis supernaturalibus, & vulneratus in naturalibus, atque filius portat iniquitatem patris; quia sicut omnes virtualiter continebantur in lumbis Adæ, ita omnes virtualiter peccauerunt, vt firmat D. Bonauentur. *lib. 2. sen-*

2. *senten. distin.* 21. *dubit. prima.*

Deindè in statu legis scriptæ Moyses statuit in ore duorum, vel trium omne verbum consistit, vt in *Deuthoron. cap.* 19. & ex Dan. *cap.* 13. Susanna erat damnata ad mortem per depositionem duorum testium deponentium de adulterio per eam patrato; postea Daniel inspiratus à Deo, semotim examinauit dictos testes, & inuenit eos varios in loco, qua propter in pænam propter crimen falsitatis fuerunt interfecti; & Susanna tamquã innoxia habuit libertatem, probatur *ex leuit. cap.* 19.

Successiuè iudicium introductum fuit per legem Euangelicam, vt patet de Iesu, qui fuit ductus ad Pilatum, & iniustè condemnatus; quod ampliatum fuit per ius Pontificium, & Cæsareum, ne quis ius sibi diceret propria auctoritate, & ne quis propria auctoritate audeat sumere vltionem, Glos. *in cap. nisi bella, ver. secundum,* 23. *quæst.* 1.

Vnum nota. Quia omnia iudicia originem habent à causa, videre debemus vnde dicatur causa; & respondetur *à chaos*, tamquam principium omnium: causa autem, quæ in iudicio deducitur dicitur *à casu*, quia casualiter euenit, *cap. forus,* 10. *de verbis signif.* & vt dixit Tullius, causa, *est res in se habens controuersiam in dicendo positam cum certarum personarum interpositione,* Glos. *in l. causas,* 16. *vers. causas, C. de transact.* Et dupliciter sumitur largè, & strictè. Largè stat pro controuersia iudiciali. Strictè accipitur pro facto, obligatione, vel alio iure, quod in iudicio proponitur. Hinc est, causa differt à lite, quia causa dicitur ante contestationem dum proponitur, *cap. ex parte vestra,* il primo, *de verbor. signif.* lis verò dicitur post litem contestatam, Bart. *in l. causas, num.* 1. *C. de transact.*

QVID SIT. His positis circa originem, aduerte quod iudicij nomen est vox æquiuoca, & habet quamplures significationes, vt per Abb. *in rubr. de iudicijs,* & Sigism. Scacc. *de iudicijs, lib.* 1. *cap.* 1. *à num.* 1. *ad* 16. & alijs omissis, prout spectat ad nos significat actum trium personarum, *cap. forus,* 10. *de verb. signif.* atque hoc modo sumptum accipitur duobus modis, propriè, & impropriè. Propriè dicitur post litem contestatam, Glos. *in l. iudicium,* 58. *ff. de iudic.* Et impropriè dicitur ante litem contestatam, *l. amplius,* 15. *ver. iudicium, ff. rem rat. hab.* vtroque modo sumptum ita definitur, *est actus legitimus trium personarum in iudicio contendentium, nempè actoris, rei, & iu-*

& iudicis, Glos. *in dicto cap. forus*, & Abb. *in rubr. de iudicijs, num.* 1.

Oppones, *ex cap. qualiter, & quando*, il secondo, *de accusat.* vbi *datur iudicium sine actore*; ergo definitio iudicij est superflua.

Respondetur, nego consequentiam; nam textus intelligit de actore expresso, & non de actore tacito, vt est fama, quæ dicitur fictus actor, & stat loco accusatoris; ideoque nunquam datur iudicium sine actore.

QVOTVPLEX. Diuiditur iudicium pluribus modis Secũdum quantitatem, aliud est vniuersale, aliud generale, & aliud particulare. Vniuersale est quando agitur, v. gr. pro petitione hæreditatis, vt per Gugliel. Duran. *in specul. iur. lib.* 4. *hoc titulo*, §. *vniuersalia*. Iudicium generale dicitur, quando agitur pro actione generali, vt pro tutela, *l.* 1. *C. de iudic.* Et particulare est, si agatur ad vnam rem, vt pro actione empti, vel depositi, Glos. *in l. edita*, 3. *C. de edendo*.

Vlt. modo sumptum subdiuiditur, alia sunt iudicia simplicia, & quædam duplicia. Simplicia constant ex tribus personis. Duplicia verò sunt quando vnus sustinet personam actoris, & rei, vt in illis tribus iudicijs familiæ erciscundæ, communi diuidundo, & finium regundorum, *l. in tribus*, 13. *ff. de iudicijs*.

Secundum materiam, aliud est merè temporale, vt si agatur de re profana, aliud merè spirituale, seù spiritualitati annexum vt est si agatur de beneficijs, vel de iure patronatus ecclesiastico, Glos. *in cap. quanto*, 3. *de iudic.* & *in cap. pia mentis*, 16. *quæst.* 7. Aliud merè ciuile, vt si applicetur pæna parti. Aut est merè criminale, & pæna applicatur publico. Et aliud mixtum, quo casu applicatur pæna partim parti, & partim publico, DD. *in cap. tuæ*, 3. *de procur.*

Secundum formam est triplex ordinarium, summarium, & summarijssimum; quod subdiuiditur in possessorium, & petitorium, vt infra. Secundum finem, aliud est ecclesiasticum, aliud ciuile, aliud criminale, & aliud mixtum. De quibus speciebus in sequentibus, §§. singillatim tractabimus.

PARTES. Certũ est tres esse partes iudicij idest, principium, vt citatio; medium, vt probationes; & finis, vt sententia, DD. *in Authen. ad hæc, C. de iudicijs*.

GENERA CAVSARVM. Nota; quod in iudicijs plura gene-

genera causarum considerari possunt; nempè causa efficiens & duplex est proxima, atque dicitur procurator, qui est quasi causa instrumentalis; vel est remota, & est dominus principalis. Causa formalis consistit in ordine à lege tradito, quo omisso actus vitiatur, *cap. prudentiam*, 21. *de off. deleg.* Causa substantialis consistit in his, quæ sunt de substantia processus, prout est libellus, litis contestatio, & iuramentum calumniæ. Causa naturalis comprehendit ea, quæ ex natura actus veniunt, scilicet, quod debeat finiri vbi cœptum est. Causa accidentalis, sunt omnia illa, quæ opponuntur à partibus, & non sunt de natura, vel substantia iudicij. Vltima dicitur causa finalis, & est sententia, quia per eam terminatur iudicium, *l. properandum*, 11. *C. de iudicijs*.

De iudicio ecclesiastico.

Quid sit, ex quibus causis dicatur ecclesiasticum, an & quando Clericus conueniri possit coram iudice laico, & laicus coram iudice ecclesiastico.

QVID SIT. Iudicium ecclesiasticum ita definiri potest est, quod agitur coram iudice ecclesiastico habente iurisdictionem ordinariam, vel mandatam inter personas ecclesiasticas, vel laicales, dum causa ad iudicem ecclesiasticum est pertinens, Lancell. *institut. canon. lib. 3. in prin. §. summa diuisio.*

QVANDO DICATVR ECCLESIASTICVM. Ex duplici capite dicitur ecclesiasticum, vel ratione personæ, vel ratione rei. Primo modo omnes personæ dicatæ Deo sunt conueniendæ coram iudice ecclesiastico, *cap. decernimus*, 2. *de iudic.* Vnde Clerici, non solum pro persona, verum etiam pro rebus, & & præsertim pro actione reali sunt conueniendi coram iudice ecclesiastico, intellige in loco sitæ rei, Sigism. Sacc. *de iudic. lib. 1. cap. 11. num.* 30. & 32. Cognitio clericatus spectat ad iudicem ecclesiasticum, Petr. Ridol. *in prax. par. 3. cap. 1. num.* 125. qua de causa sine consensu sui Episcopi Clericus nequit consentire coram alio iudice ecclesiastico in præiudicium sui Ordinarij, Fagn. *in cap. significasti, num.* 78. *de elect.* multò magis prohibentur consentire coram iudice laico, quia sunt exẽpti

pti à iurisdictione laicali de omni iure idest, de iure diuino, *cap. cui portio*, 12. *quæst.* 1. de iure Canonico, *cap. clerici*, 8. *de iudic.* & de iure Ciuili *Authen, statuimus*, C. *de episcopis, & cler.* Fagn. *in cap. ecclesia sanctæ Mariæ, num.* 10. *de constitut.* Vnde si iudex laicus de hac exemptione non curet & Clericum condemnet, ille non est ipso iure excommunicatus, sed est excommunicandus, Carol. de Grass *de effect. cleric. eff.* 1. *num.* 111. *&* 124. & Sigism. Scacc. *de iudi. lib* 1. *cap.* 11. *num.* 47. Ampliatur, etiam si Clericus renunciasset priuilegio fori, quia hoc priuilegium, cum sit concessum gratia Episcopi non potest renunciari inscio Episcopo; ad differentiam beneficij Velleiani, cui mulier renunciare potest, cum videatur concessum ratione personæ, *l. fin. ff. & C. ad velleianum*.

Vnum nota, quod Iudex ecclesiasticus procedere potest aduersus laicos in delictis mixti fori, non obstante sententia absolutoria lata à iudice sæculari, Chartar. *decis. crim.* 54. *num.* 42. & si quis contumeliam faciat in laicum in actu iudiciario coram iudice ecclesiastico, ille efficitur de foro Ecclesiæ, Chartar. *decis.* 75. *num.* 14. imò pro iniuria verbis illata à laico Clerico, si extet consuetudo, quoque conueniri potest laicus coram iudice ecclesiastico, Chartar. *decis. crim.* 6. *num.* 4.

Aduerte, quod Clericus aliquando conueniri potest coram iudice laico. Primò in casu reconuentionis ciuilis; quia tunc Clericus reconueniri potest coram iudice sæculari, Fagn. *in cap. magnus, num.* 57. *de obligat. ad ratiocin.* secus autem in criminalibus, Carol. de Grass. *dicto eff.* 1. *num.* 766. Secundò, quando Clericus spoliaret; nam tunc iudex potest restituere spoliatum in sua possessione per viam cuiusdam defensionis extra iudicialis, Vrsill. ad Affl. *decis.* 24. *num.* 3. & Rober. Maran. *in prax. par.* 4. *dist.* 11. *num.* 62. Tertiò, quando agitur de feudo, quod Clericus habuit à laico, tunc cessat priuilegium fori, *cap. ex transmissa*, 6. *& cap. verum*, 7. *de foro competen.* Quartò, quando Clericus venditor laudatur ab emptore, quia tenetur forum emptoris sequi, cum sit necessarius defensor, Carol. de Grass. *dicto eff.* 1. *num.* 266. & Sigism. Scacc. *cap.* 11. *num.* 98. Quintò, si Clericus sit hæres laici tenetur lites inceptas contra defunctum prosequi coram iudice laico, Fagn. *in cap. magnus, à num.* 58. *de obligat. ad ratiocin.* & Grass. *dicto eff.* 1. *à num.* 190. Sextò, quando Clericus coniugatus non ser-

seruat requisita Sacri Concilij Tridentini, nempè non incedit in habitu, & tonsura, sine vlla monitione amittit priuilegium fori, *cap. vn. de cler. coniug. in 6.* & Fagn. in *cap. contingit*, il secondo, *num. 17. de senten. excommunicat.* Vltimo, alijs omissis, in casus Bullæ Gregorianæ de qua actum est supra in tit. de immunit. & plures alios casus refert Fagn. *in cap. nullus, num. 3. de for. competen.*

Viceuersa iudex laicus cognoscit priuatiuè causas inter personas sæculares de rebus profanis: sed limitatur in criminibus mixti fori, vt est adulterium, sortilegium, crimen vsuræ, & similia; nam in his locum habet præuentio, Sigism. Scacc. *de iudic. dicto lib. 1. cap. 12. num. 14.* & Carol. de Graff. *dicto eff. 1. num. 597. & 1243*; & cum sit contentio de iurisdictione, tamquam maior procedat solus iudex ecclesiasticus, Dec. *in cap. pastoralis, num. 7. de rescript. &* Ridolph. *par. 3. cap. 1. n. 87.* Ampliatur, quando iudex laicus negligit iustitiam facere, *cap. ex transmissa, 6.* iuncto *cap. ex tenore, 10. de foro competen.* nam tunc ecclesiasticus supplere potest.

Dicitur iudicium ecclesiasticum ratione rei, quando res est spiritualis, vt matrimonium; vel spiritualitati annexa, vt ius patronatus, siue ciuiliter, siue criminaliter agatur cognosci debent coram iudice ecclesiastico, Henric. Canis *in sum. iur. canon. lib. 4. tit. 1. §. iudicium.*

Causa beneficialis, tunc dicitur, quando agitur de titulo beneficij in re, vel ad rem, seu ad ipsum beneficium siue in petitorio, siue in possessorio; cuius cognitio spectat ad iudicem ecclesiasticum, Ridolph. *in prax. par. 3. cap. 1. num. 47*; quæ causa citò expediri debet, nè detur diutina vacatio in Ecclesiæ detrimentum, Rota in Recen. *decis. 124. num. 30. par. 6*; istæ causæ, omnes, in prima instantia sunt cognoscendæ, & terminandæ coram Ordinario, Concil. Trid. *sess. 24. de reform. cap. 20.* & si infra biennium non terminentur, liberum est partibus iudices superiores adire, Fagn. *in cap. venerabilis, n. 11. de iudic.*

De iudicio ciuili, & criminali.

Iudicium ciuile quid sit, quid criminale, qualiter in vtroque procedatur; & an in concurrentia praeminentiam habeat iudicium ciuile, an criminale.

QVID SIT. Definitur iudicium ciuile est, quando agitur de aliquo interesse ciuili ciuiliter; vt in actione rei vendicationis; vel quando principaliter agitur ad commodum priuatum, Rober. Maran. *in prax. par.* 4. *dist.* 10. *num.* 2. *&* 3. Iudiciũ criminale est, quando principaliter agitur de pœna applicanda fisco; quæ siue sit corporis afflictiua, siue pecuniaria, Maran. *vbi supra dist.* 10. *num.* 2. & Sigism. scacc. *de iudic. lib.* 1. *cap.* 3. *num.* 7.

DIFFERENTIAE. Quæ iudicia differunt in modo procedendi, nam in criminalibus proceditur per capturam, secus autem in ciuilibus. Secundò in criminalibus non admittitur Procurator, & requiruntur probationes luce meridiane clariores; minimè verò in ciuilibus. Vltimò, alijs omissis, multi testes repelluntur à testificando in criminalibus, qui non repelluntur in ciuilibus, vt pleno calamo tractat Iul. Clar. *in prax. crimin. lib.* 5. *§. fin. quæst.* 1.

PRÆEMINENTIA CVI DATVR. Quando agitur ciuiliter, & criminaliter ex eadem causa, primò cognoscitur criminalis ob eius præeminentiam, & supersedetur in ciuili, Bart. *in l. fundum, num.* 4. *ver. vno modo, ff. de except.* & Rota penes Seraph. *decis.* 571. *n.* 3. Limitatur, quando causa ciuilis est præiudicialis criminali; vt est, quando sententia lata in ciuili parit exceptionem rei iudicatæ in criminali, tunc si prius fuit intentata ciuilis, ad euitandam contrarietatem, supersedendum est in criminali, Rota, *decis.* 579. *num.* 1. *par.* 4. *recen.* & in pluribus alijs casibus, primò cognoscitur causa ciuilis, & deinde criminalis, vt distinguit Ridolph. *in prax. par.* 3. *cap.* 1. *num.* 102.

De

De iudicio ordinario.

Quid sit, in quibus casibus intentetur, & an eo incœpto quis redire possit ad viam executiuam.

IVdicium ordinarium, *est illud in quo proceditur solemni iuris ordine seruato*, Glos. in *l. prolatam*, 4. *vers. solutum C. de senten. & interlocut.* Dixi *solemni*, ad differentiam iudicij summarij. Dixi *seruato iuris ordine*, quia eo non seruato per præposterationem producitur nullitas: & consistit in his, quæ aguntur inter litis contestationem, & sententiam, non autem ante, aut post, Robert. Maran. *in prax. iudiciar. par.* 4. *dist. 9. num.* 1. Signantèr in ordinatorijs ille ordo est seruandus, qui seruatur in loco in quo iudicium ventilatur, Felin. *in cap. fin. num. 3. de constitut.* Ridolph. *in praxi, par. 3. cap. 1. num.* 21.

QVANDO INTENTETVR. Aduerte, quod in pluribus casibus proceditur via ordinaria, V. Gratia contra tertium possessorem; etiam si ille se opposuerit pro suo interesse, Bald. *in l. 1. num. 6. vers. secus, C. commun. de legat.* & Buratt. *decis.* 574. *num.* 2. Item pro repetitione soluti, *decis.* 130. *num.* 11. penes Buratt. Vltimò, alijs omissis, contra legitimum contradictorem: qui dicitur, quando habet parem titulum, pluribus alijsq; modis, vt per Petr. Ridolph. *in prax. par. 2. cap. 8. n. 81. & sequen.* & in puncto *decis. 233. num.* 38. *par. 5.* ac *decis. 133. num. 3. par. 6. recen.*

AN DEDVR RECESSVS. Quæ via ordinaria à partibus, effici non potest summaria; quia licet istæ duæ viæ non sint contrariæ, tamen sunt diuersæ, Ridolph. *dicta par. 3. cap. 1. num.* 36. ideoque quando quis in agendo elegit viam ordinariam, deinde redire nõ potest ad executiuam, Burat. *decis.* 208. *n.* 2. & *decis.* 502. *n.* 5. Limitatur quando actor renunciauit viæ ordinariæ, refectis expensis, Ridolph. *par. 1. cap. 1. num.* 120. nam hoc casu datur recessus, & actor potest conuolare ad viam executiuam Ferentill. ad Buratt. *decis.* 208. *num.* 10. & Cenc. *de censibus decis.* 269. *num.* 2.

De iudicio summario.

Quid sit, in quibus casibus procedatur summarie, & qua forma.

QVID SIT. Iudicium summarium, idem est, ac iudicium breue, Glos. in *l. fin. ver. in summa, ff. de exercitat. act.* & ita describitur, *est illud in quo proceditur simpliciter, & de plano sine strepitu, & figura iudicij, sola facti veritate inspecta*, Rober. Maran. *in prax. iudiciar. par. 4. distin. 9. n. 1:* Dixi *simpliciter*, idest sine plica, & duplicatione, Glos. *in Clemen. sape, ver. simpliciter de verb. signif.* Dixi *de plano*, ad excludendum omnes solemnitates de iure ciuili introductas, non autem iuris gentium; nam substantialia iudicii, vt sunt probationes, sine quibus cessat causæ cognitio, non omittuntur, Rota *decis. 445. num. 6. par. 1. diuers.* Dixi *sine strepitu*, ad excludendum altitudinem vocum partium, & procuratorum, vnde illos iudex in camera audire potest. Dixi *figura iudicij*, nempè ordinarii, quam clausulam, & eius effectus explicat Ridol. *in prax. par. 2. cap. 1. num. 26.* Dixi *sola facti veritate inspecta*, ad maiorem declarationem, nempè ad tollendum solemnitates de iure positiuo. Et in casibus expressis tantum in iure proceditur summariè.

QVOMODO, ET QVANDO. Aduerte, quod quędam causæ sunt solummodo summarię quo ad solemnitates iudicij, vel aliquas earum, & requirunt plenas probationes, vt est in emergente causę ordinarię, Maran. *dicta par. 4. dist. 9. n. 46.* Quędam requirunt semiplenam probationem, omissis solemnitatibus iuris ciuilis, vt est causa alimentorum, Ridolph. *dicta par. 2. cap. 1. num. 56.* & Idem *à num. 81.* enumerat 46. causas, in quibus proceditur summariè; inter quas comprehenduntur causa mercedis, causa vsurarum, & similes.

De

De iudicio possessorio & petitorio.

Possessorium, & petitorium, quid, & quotupl x sit, quæ sint eorundem extrema, & in quid differant inter se.

QVID SIT. Possessio dicitur à pedibus, quia à principio cœperunt homines pedibus acquirere possessionem, iuxta illud dictum, quidquid calcauerit pes tuus, tuus erit, Oenotom. *institut. ciuil. lib. 4. tit. de interdictis, §. possidere, num. 5.* & per eundem possessio sic difinitur, *est ius insistendi rei corporali non prohibita possideri.* Et quia per illud verbum *ius*, asseritur, quod *possessio* sit quid iuris contra dispositionem tex. *in l. denique, 19. ff. ex quib. caus. maior.* Respondetur, textum *in l. denique*, procedere quando possessió consideratur in fieri; tunc enim indiget naturali apprehensione, & est quid facti; cætera iura verò, quæ tenent, quod sit quid iuris, vt est *l. non ideo, 4. C. de liberal. caus.* & *l. peregrè, 44. ff. de acquir. possess.* considerant possessionem in facto esse, & tunc est quid iuris, quia solo animo retinetur.

QVOTVPLEX. Diuiditur possessio in naturalem, & ciuilem. Naturalis est inducta à iure naturæ secundario, & acquiritur corporeo instrumento, vt est in Emphiteuta, & Vsufructuario, *l. 3. §. neratius, ff. eod.* Ciuilis dicitur, quæ solo animo consistit; & tripliciter sumi potest largissimè, largè, & strictè. Largissimè, quælibet possessio naturalis dicitur ciuilis propter approbationem iuris ciuilis. Largè sumitur pro ea possessione quæ solo animo detinetur, & hæc dicitur intellectualis. Et strictè sumitur, prout est prorsus separata à naturali possessione; vt est illa, quam habet Dominus feudi, qui concessit vtile dominium Vassallo, & tunc Dominus retinet ciuilem, & Vassallus naturalem, Oenotim. *dicto §. possidere, num. 47.*

SPECTANTIA AD POSSESSORIVM. Longè inter se differunt possessorium & petitorium; nam possessorium dicitur, quando de sola possessione fit controuersia, *l. is qui destinauit, 25. ff. de rei vendicat.* Et duplex est plenarium, & summarium. Plenarium tractari solet diligenti ordine iudiciario, & est triplex adipiscendæ, retinendæ, & recuperandæ possessionis, de-

qui-

quibus pleniſſimè tractat, Iacob. Menoc. *hoc tract.* & Ridolph. *in prax. par. 2. cap. 5. num. 3.* Poſſeſſorium ſummarium agitur, ſolo implorato iudicis officio; vt ne ad arma contendentes veniant, iudex prudens prouidet, vt is in poſſeſſione tuetur, quorum alter ſit in poſſeſſione, *l. æquiſſimum, 17. ff. de vſufruct.*

Et vt poſſit intentari hoc iudicium ſufficit, quod agatur de poſſeſſione ſine mixtura petitorij: quo caſu eſt in appellabilis niſi ſuſpendatur petitorium, quæ fieri poteſt in quacumque inſtantia, Ridolph. *in prax. par. 2. cap. 6. num. 118.* & facta ſuſpenſione prædicta, ſententia lata in poſſeſſorio non obſtat agenti in petitorio, *l. & an eadem, 4. §. fin. ff. de except. re. iud.* Quod non procedit, quando poſſeſſorium habet admixtam cauſam proprietatis, *l. 2. § quoddam, ff. de interd.* Iacob. Menoc. de *retinen. poſſeſſ. remed. 3. num.* 808.

Petitorium dicitur propriè actio in rem; quia quod noſtrum eſt nobis reſtitui petimus; & dicitur cum de rei proprietate altercatur, *l. qui petitoriam, 37. ff. de rei vendicat.* Extrema petitorij probanda, vt intentari poſſit duo ſunt, nempè dominium ex parte actoris, & poſſeſſio ex parte rei conuenti, *l. in rem actio, 24. ff. de rei vendicat.*

Inſuper datur mixtum poſſeſſorium & petitorium; vt cum actor, & reus contendant eſſe hæredes, *l. vltim. C. de edict. diu. adr. toll.* Si quis poteſt intentare vtrumque iudicium ex eadem cauſa, conſultius eſt primò intentare poſſeſſorium, quam petitorium, quia releuatur ab onere probandi dominium, quod eſt difficillimæ probationis, *c. paſtoralis, 5. de cauſ. prop. & poſſeſſ.*

De iudicio Summariſſimo.

Quid ſit, quomodò intentetur, quando, & ex quibus cauſis impugnari poſſit.

QVID SIT, ET QVOMODO INTENTVR. Iudicium ſummariſſimum alio vocabulo dicitur executiuum, & in eo omiſſis omnibus dilationibus executiuè proceditur, ſemper tamen requiritur citatio. Quæ dupliciter fieri ſolet ſimpliciter, & vel ſit ad ſoluendum, vt eſt quando v. gr. danda eſt executio in tribunali A C. inſtrumento rogato in cuiusofficio proceditur, & non ſunt mutatæ perſonæ, tunc illa citatio exequitur dimiſſa copia domi ſolitæ habitationis, vt eſt quando

agi-

agitur pro obligatione camerali, Salust. Tiber. *lib.* 1. *cap.* 51. *num.* 1. Ridolph *in prax. par.* 1. *cap.* 2. *num.* 1. 44. *&* 60. quæ citatio, postquam est executa, cum relatione Cursoris est in tempore reproducenda, alias actus est nullus, Bart. *in l. si finita* 15. §. *Iulianus, num.* 18. *ff. de damn. infect.* Vel sit citatio ad dicendum contra iura; quæ si negantur, indigent recognitione; & hac distinctione recognitio solet fieri. Aut illa iura, quæ sunt recognoscenda sunt instrumenta publica, præsertim de partibus, & recognitio fit per testes deponentes habere notam manum, & recognoscentes manum eorum, qui scripserunt, *decis.* 79. *num.* 1. *penes* Mantic. & Ridol. *par.* 1. *cap.* 2. *num.* 133. Aut illa iura sunt apocæ priuatæ; & pro recognitione essent de iure necessarij testes, qui posset deponere se fuisse præsentes cōfectioni apocæ, Afflic. *decis.* 181. *num.* 80. & *decis.* 124. *num.* 1. *par.* 2. *diuers.*

Fallit hæc regula in scripturis, quæ fieri solent sine testibus, vt sunt literæ cambij, quia tunc sufficit deponere testes habere notam manum, *decis.* 570. *num.* 12. *par.* 2. *diuers.* & Caualer. *decis.* 452. *num.* 4. Hic modus, etiam seruatur in recognitione scripturæ priuatæ in Tribunali A. C. Salust. Tiber. *in prax. cap.* 34. *num.* 10. Imò quando testes in primo casu haberi non possunt, qui recognoscant manum, recognitio fit per similitudinem, & comparationem literarum, Ridolph. vbi supra *cap.* 2. *num.* 140. Verùm si illa iura sint notoria iudici, vt sunt Bullæ plumbeæ, vel antiquissima instrumēta vltra centum annos non indigent alia recognitione, *decis.* 52. *&* 54. *par.* 1. *diuers.* & Caualer. *dec.* 518. *num.* 1.

QVANDO. Aduerte vlt. quod in pluribus casibus datur via executiua. Primò vigore conuentionis, quæ fieri potest inter partes, Buratt. *decis.* 537. *num.* 1. *&* 6. Secundò vigore literarum cambij, & cedularum depositi, quæ vbique locorum paratam habent executionem, Seraph. *decis.* 562. *num.* 2. Tertiò pro consecutione pensionis, ob reuerentiam literarum Apostolicarum, Rota *decis.* 308. *num.* 1. *par.* 3. *recen.* Quartò contra debitorem debitoris obligati in forma Cameræ Apostolicæ, intellige quando principalis non est soluendo, Rot. *decis.* 239. *num.* 15. *par.* 5. *recen.* & *decis.* 937. *num.* 5. *penes*, Buratt. Quintò, quando agitur virtute obligationis cameralis, Zacch. Galles. *de obligat. camer. quæst.* 2. *num.* 5. propter quam obliga-

gationem, censetur renunciasse omni legum auxilio, Idem Zacch. vbi supra, *quaest.* 17. *n.* 26. & apud eundem *decis.* 23. *num.* 8. & *decis.* 143. *num.* 3. tunc creditor habet ius variandi de re ad personam, & è contra; non autem de iudicio ordinario cæpto ad executiuum, Sigism. Scacc *de appellat. lib.* 3. *cap.* 2. *quaest.* 17. *limit.* 9. *num.* 45 & Zacch. *in dicto tract. quaest.* 11. *num.* 11. Vltimo, alijs omissis, datur via executiua pro alimentis futuris; & de iure communi vigore instrumenti dotalis: dummodò constet de paupertate mulieris, Ridolph. *in prax. par.* 1. *cap.* 1. *num.* 77. *& per tot.*

AN, ET QVANDO IMPVGNETVR. Prædictis iuribus legitimè recognitis, deuenitur ad relaxationem mandati executiui; quod impugnari potest pluribus modis, nempè, quando ipsum decretum continet excessiuitatem, & eodem modo fuit executum; tunc quia censetur relaxatum ex falsa causa in totum redditur nullum. Quando verò est excessiuum, quo ad executionem tantum, redditur nullum quo ad plus iusti debiti, & ita magistraliter distinguit Ludouic. Greg. *decis.* 168. *num.* 1. iuncta *decis.* 485. *num.* 4. Duranus *decis.* 30 *num.* 4. *& decis.* 81. *num.* 8.

De arbitris.

Titulus II.

Compromissum, & arbitrium quid & quotuplex sit, à quo, cui, de quibus rebus, & quos effectus producat. Explicatur quiditas arbitri, arbitratoris, laudi, arbitramenti; & assignantur modi quibus compromissum expiret.

ARbitria sunt redacta ad instar iudiciorum, *l.* 1. *ff. de arbitris*, meritò ad intelligentiam huius tituli explicantur plures termini nempè compromissum, arbitriũ, arbiter, arbitrator, laudum, & arbitramentum.

QVID SIT, A' QVO, ET DE QVIBVS REBVS FIERI POSSIT. Compromissum ita definitur, *est potestas cognoscendi de causa controuersa, & pronunciandi partium consensu sub stipulatione certa pœna, vt sententiæ stetur*, *cap.* 1. *eod.* &

Gugl.

Gugl. Duran. *specul. iur. lib.* 1. *hoc tit.* §. *vt autem*.

Compromittentes de iure Canonico possunt se obstringere iuramento ad obseruantiam arbitrij, vel arbitramenti, Fagn. *in cap. non sine, num.* 18. *de arbitr.* Atque inter compromissorem, & compromissarium requiritur distinctio personarum, Idem *in cap. licet de vitanda, num.* 45. *&* 58. *de elect.* & quia est stricti iuris, non extenditur ad heredes, vel ad alios de quibus expressè non est cautum, Idem *in cap. ex parte, num.* 18. *de arbitr.*

Sed nota, quod de rebus spiritualibus fieri nō potest in laicū, sic autē in clericum, vel in vnū Clericū & plures laicos, Fagn. *in dicto cap. contingit, n.* 1. *&* 8. & *in cap. cum propter, num.* 53. *de iure patron.* Et quando agitur de crimine ciuiliter, secus autem criminaliter fieri potest in priuatum, Idem *in cap. veniens, n.* 5. *&* 6. *de iuretiur.* Simpliciter Clericus de bonis patrimonialibus, non autem ecclesiasticis compromittere potest in laicum, Idem *in cap. episcopus, num.* 38. *de praben.* Semper tamen, vt valeat requiritur quod efficiatur in personam certam, quia compromissum de incerta persona assumenda non tenet, Fagn. *in cap. licet de vitanda, num.* 43. *de elect.*

QVID SIT. Arbitriū tripliciter sumitur idest, prout est iudicium; prout regulatur à iure; & prout est liberum. Primo modo sumptum, est trium personarum actus super pecuniaria quæstione in quasi iudicio confligentium, vel contendentium. Dixi trium personarum, quia arbiter contendit ad inquisitionem veritatis; actor vt ei condemnetur; & reus vt absoluatur, Azon. *in summa C. hoc tit. num.* 1. De differentijs arbitrij & iudicij, tractat Fagn. *in cap. ex parte rem ssiue, num.* 19. *de arbitr.* Arbitrium secundo modo sumptum, est secundum ius & regulatur à iure, Idem *in cap. vt iuxta, num.* 34. *de off. ordinar.* Tertio modo sumptum est liberum, absolutum & nullis subiacet regulis iuris positiui, Idem *in cap. ne innitaris, num.* 238. *de constitut.* Vel dicitur arbitrium iudicis, quod succedit in his tantum, quæ à lege non sunt determinatæ, Idem *in cap. nonnulli, num.* 19. *de rescript.* & *in cap. cum contingat, num.* 51. *de decim.* sed in dubio, verbum arbitrij, significat arbitrium boni viri, & à iure regulatum, Idem *in dicto cap. ne innitaris, num.* 239.

QVOTVPLEX. Sub verbo arbitrium, comprehenduntur cæ-

tera supra adducta: vnde diuiditur in voluntarium, & necessarium. Voluntarium fit de voluntate partium. Et necessarium dicitur, quando à lege, vel à iudice alicui causa decidenda committitur, *dec. f. 254. num. 353. par. 9. recen.*

Secundò: Vel est generale, vel speciale, vel plenum. Analys. *iur. pontif. hoc tit. §. à materia.* Generale est, si compromittatur de omnibus rebus controuersis, *l. de rebus, 48, ff. eod.* Speciale est, si de vna tantum controuersia compromissum factum sit. Et plenum est illud, quod facit expressam mentionem clausulæ doli.

Vltimò diuiditur in stipulatum, iuratum, & conuentum. Stipulatum dicitur, quando compromittuntur differentiæ sub stipulatione certæ pœnæ, Azon. *in sum. C. hoc tit. num.* 10. Iuratum est, si à partibus confirmatum fuerit compromissum præstito iuramento, *l. ne in arbitris, C. eodem.* Et conuentum est, quando partes simpliciter consentiunt absque compromisso in arbitrum, hac conditione, vt stetur eius dicto.

A' QVIBVS, ET CVI. Ad quod munus arbitrandi omnes admittuntur, exceptis illis, qui à lege excluduntur; & alijs habilibus, qui ab acceptatione huius muneris possunt excusari, concurrente legitima causa, Analys. *dicto lib. 1. tit. 43. §. compromittere,* & Gugl. Duran. *specul. hoc tit.* §. 2. Intellige in rebus super quibus compromissum fieri potest, vt sunt omnes illæ, quæ à lege non prohibentur. Vnde in causa criminali prohibetur à lege datio arbitri, *cap. causa, 9. de in integr. restit.* Et in rebus, quæ compromitti possunt, expeditius est, vt impari numero arbitri eligantur; quia si ex tribus arbitris duo in decem, & tertius in quinque arbitret, præualet sententia duorum; & si vnus pronunciet in quindecim, alter in decem, & alter in quinque, præfertur laudum illius, qui pronunciauit in quinque, quia omnes conueniunt in hac summa, *cap. 1. de arbitr. in 6.*

QVID SIT, QVOMODO, ET QVANDO, Arbiter, est ille quem partes eligunt ad cognoscendum de quæstione, vel lite iuris ordine seruato, *l. 1. ff. de recept. arbitr.* & Gugliel. Duran. *specul. iur. hoc tit.* §. 1. *num.* 2. Qui procedit in substantialibus seruato ordine iudiciali, Fagn. *in cap. contingit, num. 22. de arbit.* Ideoque citare debet partes, & illis prefigere terminum ad audiendam sententiam, Idem *in cap. ex parte, num.* 8. *de ar-*

de arbitrijs, Imò poteſt ordinare, vt vna pars de facto dimittat beneficium in quo ius non habet, & recipiat pecuniam à colligitante, Fagn. *in cap. non ſine*, *num.6. vbi ſup.*

Et ille qui non poteſt eſſe iudex, non poteſt eſſe arbiter & è contra, Idem *in cap. cum tempore, num. 10. & 12. de arbitris*. Cui non creditur, ſi de compromiſſo non conſtet, licet aſſerat in laudo factum fuiſſe compromiſſum, Idem *in cap. cum in iure*, *num. 39. de off. delegat.* niſi laudum ſit latum partibus præſentibus, *ibidem*, *n.* 40.

QVID SIT, QVOMODO, ET QVANDO. Arbitrator, eſt amicabilis compoſitor ad hoc, vt quod certum eſt diuidat, & pacificet; qui eligitur, vt differentiam amicabiliter componat ſine ordine iudiciario, Idem *in cap. contingit, num. 13. de arbitris*. Ideoque non fert ſententiam, nec coram ipſo iudicium vertitur, Idem *in cap. ex parte, num.* 24. *dicto tit.* Qui arbitratores, ſi pronuncient pro bono, pacis poſſunt excedere limites iuris; ſed iudices contra ius pronunciare nequeunt, Idem *in cap. niſi eſſent, num.6. & 11. de praben.* nihilominus ſi arbitratorum laudum ſit iniquum, non ſtatur eorum dicto, ſed reducitur arbitrio boni viri, *l. ſocietatem*, 77. §. *arbitrorum, ff. pro ſocio*.

Laudum ſignificat ſententiam boni viri; & in ſpecie lauda arbitrorum appellari poſſunt ſententia diffinitiua, Idem *in cap. ex parte, num. 7. de arbitr.* ac ex conſuetudine mandantur executioni iudicis officio, ſicut ſententiæ iudicum, Idem *in cap. cum tempore*, *num.* 15. *de arbitr.* Nota quod laudi effectus tranſit ad heredem compromittentis, Fagn. dicto *cap. ex parte*, *num.*46.

Facto laudo oritur actio, & exceptio; & ſicut litis conteſtatione preſcriptio interrumpitur, ita per receptionem arbitrij; imò omnia acta geſta coram arbitro, inter eaſdem partes probant in iudicio ordinario, *l. cum antea*, *1. C. eodem*. Quæ partes arbitrorum laudo ſtare tenentur, *l. idem præferre*, 32. §. *ſtari*, *ff. de recept. arbitr.* iuncta *l. ſocietatem*, 77. §. *fin. ff. pro ſocio*. Limitatur ſi arbitri exceſſerint præſcriptam formam compromiſſi, *cap. cum dilectus*, *6. hoc tit.* Vel ſi gratia alicuius tulerunt ſententiam, *l.* 3 *Cod. eod.* vel quando proceſſerint non obſeruato iuris ordine, *l. 1. & l. prolatam*, 4. *C. de ſenten. interloqut.* ibi Gloſ. & DD dummodo non ſit compromiſſum cum

cum facultate arbitratoris, Fagn. *in dicto cap. ex parte*, *num.* 43.

Arbitramentum dicitur quædam transactio, Fagn. *in cap. contingit, num.* 20. *de arbitr.* ex quo non oritur actio, sic autem ex fideicommisso, *ibidem num.* 26. Et quando est iniquum, etiam iuratum per superiorem emendari potest, Idem, *in cap. non sine, num.* 2. & 26. *de arbitr.*

QVIBVS MODIS EXPIRAT. Nota vlt. quod arbitrium pluribus modis expirat 1. Laudi prolatione. 2. Per lapsum diei in compromisso appositæ, *decis.* 553. *num.* 23. *par.* 1. *recen.* 3. Si litigatores ad iudicium, vel ad aliud arbitrium iuerint, *l. litigatores*, 11. & *l. item si vnus*, 19. *ff. eodem* & 4. Expirat morte arbitri, vel alterius compromittentium, nisi dictum sit, quod hæres succedat, *cap. fin. eodem*, Fagn. *in dicto cap. ex parte*, *num.* 1. Specul. *iur. hoc tit.* §. 5. *num.* 2. & 3. & *decis.* 651. *num.* 2. *par.* 2. *recent.*

De procuratoribus.

Titulus III.

Procurator quid, & quotuplex sit, à quo, & quis constitui possit, qua forma, in quibus causis, quam obligationem contrahat, an & quando reuocetur mandatum procura.

QVID SIT. Expositis generibus iudiciorum videre debemus de personis, per quas exerceri possunt nępè, aut per nos metipsos, vel per procuratores. Procurator enim dicitur ille, qui aliena negotia mandato domini, vel quasi domini administrat, Lancell. *inst. canon. hoc tit. in prin.* Dixi mandato domini, vt in *cap.* 1. & *l.* 1. *C. hoc tit.* nam alias sine mandato diceretur negotiorum gestor, vt in rubr. *de negot. gest.* Dixi quasi domini, quia non solum veri domini procuratorem constituere possunt, verum etiam quasi Domini, vt sunt Prælati, *cap. auditis*, 8. *de procurat.* Hostien: *in sum. hoc tit. num. in fine*.

QVOTVPLEX. Qui procurator est in multiplici differentia. Primo, alij sunt veri ali falsi. Veri sunt, qui à domino ad aliquid legitimè constituti sunt porrecto mandato. Falsi dicuntur

cuntur, qui à domino mandatum non habent, *l. falsus*, 19. *C. de furtis*, quæ nullitas defectus mandati ante, & post sententiam opponi potest ad annullandum iudicium, Rober. Maran. *in prax. par. 4. dist. 15. num. 19.*

Secundò. Quidam dicuntur speciales, & quidam vniuersales. Speciales dicuntur causa expediendi rem certam, *cap. 5. eodem in 6.* & *l. procurator, 63. ff. eod.* Vniuersales constituuntur mandato domini ad vniuersa bona, vel ad omnes lites, *l. mandato, 60. & l. procurator, 61. ff. eod.* quæ vniuersalitas non includit ea quæ requirunt mandatum speciale, vt est vendere, transigere, & similia, *cap. qui generaliter, 5. eod. in 6*; dicta *l. mandato, 60. & decis. 414. num. 3. par. 2. recent.*

Tertiò. Quidã constituuntur cũ libera alij in rem alienã, & alij in rem vtilitatemque suam. Procurator cum libera, dicitur cui rerum gestio liberè committitur, etiam cum facultate substituendi, *cap. 4. §. fin. de procurator. in 6.* & substitutus ab eo tenetur docere de facultate substituentis, Ridolph. *in prax. par. 1. cap. 3. num. 47.* Procurator in rem alienam dicitur, qui aliena negotia administranda mandato domini suscepit *l. 1. ff. eod.* Procurator in rem suam est, qui alienum negotium mandato domini gerit ad suum commodum, *l. seruum, 33. ff. eadem.*

Vltimò. Alij dantur ad iudicia, & dicuntur iudiciales, quia prosequuntur lites alienas in iudicio. Alij extraiudiciales, & sunt, qui administrant negotia domini extra iudicium, quæ species longè differunt inter se; præsertim, quia procurator ad iudicia non potest substituere, nisi lis ab eo fuerit contestata, vel legitima facultas concessa, Henric. Canis. *in sum. iur. canon. hoc tit. §. loquimur.* Ridolph. *in prax. dicta par. 1. cap. 1. num. 48. & cap. 3. num. 59.* Procurator verò ad negotia potest substituere absque alia specifica facultate, *cap. 1. §. fin eod. in 6.*

A' QVO. Actiuè omnes homines procuratores constituere possunt, exceptis illis, qui lege, vel canone prohibentur, vt est excommunicatus, furiosus, & similes, *l. mutus, 43. ff. eod.* Filius familias in his, quæ ipse sine patre gerere potest, vt in castrensi, vel quasi, procuratorem constituere non prohibetur, in alijs vero prohibetur, *l. filius familias, 8. ff. eod.* Item tutor, & curator ante litem contestatam procuratorem constituere non possunt, Gugliel. Duran. *Specul. iur. hoc tit. § ratione, num. 8.* & Analys *iuris pontif. eod. tit. § omnes.*

QVIS

QVIS. Passiuè quiuis procurator constitui potest, nisi ex causa prohibeatur, vt est ob defectum iudicij; vel si illi sint constituti in aliqua dignitate, quorum decor dehonastari non debet propter aliquam vtilitatem; nam procuratoris officium est onus, & non dignitas, Analys *iur. pontif. lib. 1. hoc tit. §. quiuis*, Doctores in *l. si quis procuratorem, C. de dignitatib. lib. 12.* vnde Clerici, & Monachi prohibentur hoc munus exercere, exceptis casibus relatis in *cap. 1. & 2. de postulan.*

Insuper mulieres prohibentur hoc munus exercere, *l. Fæmina, 54. de procurat.* Exceptis aliquibus casibus, in quibus potest esse procuratrix, vt est in rem suam, *l. quia, 4. C. eod.* Secundò: Pro parente in necessitate constituto, *l. fæmin.s, 41. ff. eodem*, Tertiò: Quando filiorum tutelam gerit, *cap. ex parte, 67. de appellat.* Quartò: Cum agitur pro libertate filii, vel alterius consanguinei, *l. 3. ff. de liberali causa.* Vltimò: In causam filii per sententiam condemnati, *l. 1. § fin. ff. de appellat. accipien.*

QVALITER. Aduerte quod ad formam mandati plura requiruntur; nepè consensus constituentis, nomen iudicis coram quo litigatur; & nomen eius contra quem, in qua causa, & ad quid, Glos. & DD. *in l. 1. ff. de postulan.* Atque non possunt petere salarium à suis clientibus, nisi conuentum. Limitatur in Alma vrbe, vbi quilibet est solitus locare operas suas, *Rota decis. 367. num. 26. par. 1. recen.* in qua decisione salarium fuit taxatum in scutis centum pro quolibet anno, *decis. 291. num. 2. par. 1. recen.* verùm procuratori reuocato sua culpa non debetur salarium. *Rot. decis. 171. num. 1. par. 2. recen.*

IN QVIBVS CAVSIS. Aduerte tertiò: Regulariter causæ ciuiles sunt illæ, quæ possunt per procuratorem agitari, nisi interesse Reipublicæ aliud suadeat *l. 2. & l. nil arbitramus, 20. C. eod.* causæ criminales verò per procuratorem agitari non possunt, ne iudicia reddantur elusoria, Iul. Clar. *in prax. crimin. lib. 5. § fin. quæst. 32. num. 1.* Fallit quando pro crimine agitat ciuiliter, *cap. tua, s. de procurator.* & Sigism. scacc. *de iudic. cap. 101. num. 44.* Ac etiam quando vult allegare causam absentiæ, *cap. veniens. s. de accusat.* Item ob timorem insidiarum, saut quando est infirmus, vel in carceribus detentus: in his casibus, etiam si agatur criminaliter procurator admittitur, Clar. *dicto §. fin. quæst. 34. num. 2. & Canisius in sum. iur. canon. lib. 4. hoc tit. §. quæsitum est.*

AD

AD QVID TENETVR. Aduerte; quòd procurator post quam acceptauit mandatum, tenetur illud ser. ser. exhibere in actis cum solita protestatione, *nihil fieri, nisi ipso in quolibet actu citato*, Petr. Ridol. *in prax. par.1.cap.4.num.5.* ex eo quia mandatum est quid facti, & non præsumitur, Mascar. *de probat.conclus.*1312.*num.*2. deindè non debet excedere fines mandati, *l.si procurator*, 10. *C.eod.*& *decis.*684.*num.*4.*par.* 1. sed tenetur illud ritè, & rectè èxequi, alias tenetur ad damna, & interesse, *decis.* 31.*num.*25.& 27.*par.*5.*l b.*1.& *decis.*134. *num.* 4. *par.*9.*in recent.* Limitatur, quando ille excessus est versus in vtilitatem domini, Mascar. *conclus.* 1165.*num.* 13. & 14. vel quando dominus scit, & præstat patientiam; quia videtur consentire, Idem *conclus.*1158. *num.* 27. Vnde post susceptionem mandati non potest se excusare, nisi per iustissimam causam se excuset, Gugliel. Duran.*specul. iur. hoc tit. §.*4.*num.* 23; ideoque citationes, & alii actus iudiciarii diriguntur ad procuratorem, *l.*1.*C. de senten interloquut.* Facta litis contestatione efficitur dominus litis, *cap.*1.§.1.*eod.in* 6. ac ad instantiam aduersarii recognoscere tenetur manum sui principalis, Ridolph. *in prax.par.*1 *cap.*2.*n.*213. sed absque speciali mandato, præiudicare non potest suo principali, *decis.* 23. *num.* 6. & *decis.*68. *num.*1.*par.*2.*recent.*

Ex quo mandato oritur actio directa, & contraria. Directa datur domino contra procuratorem ex varijs causis, *l.filius familias*,8.*§.sed & si,ff. eod.* Et contraria datur procuratori contra dominum ad consequendum id, quod expendit.

QVOMODO REVOCETVR. Quod mandatum procuræ reuocatur duobus modis expresse,& tacitè. Expressè fieri debet scientibus iudice, & parte,& si ea non obstante processum fit in iudicio, citato primo procuratore iam reuocato, illa acta nullum afferunt præiudicium domino, *cap. ex parte decani*,33. *de rescriptis*, Tacitè reuocatur mandatum, 1. Quando Dominus per se ipsum causam tractat, nisi ex coniecturis aliud appareat, Sigism.Scacc. *de iudic. lib.*1. *cap.*101. *num.*43.& *decis.*194. *num.* 12.*par.* 1. *recent.* 2. Quando in eadem causa alium procuratorem constituit. 3. Si ille procurator alium substituat, *cap. is, qui*, 3.& *cap. quamuis*, 2. *de procurat. in* 6. 4. Per mortem constituentis re integra, *l. si defunctus*, 15. *ff. eod.* & *l. inter causas*,26. *ff. mandati*. Vltimò, quoties fuerunt dati duo pro-

procuratores diuersis temporibus, prior tacitè intelligitur reuocatus posterioris datione, *l. si quis, 31. §. fin. ff. eod.* Hoc non procedit quando per priorem fuit lis contestata, quia tunc per dationem secundi non reuocatur primus, Sigjsm. Scacc. *de iud c. lib. 1. cap. 101. num. 42. & decis. 172. num. 2. par. 2. recent.* Ad dubium an reuocari possit facta litis contestatione sine causa, deciditur per *decis. 386. num. 3. par. 1. recen.*

Vnum nota, quod in causa matrimonij, si de tempore expressæ reuocationis mandati procuræ ad illud contrahendum matrimonium per procuratorem contractum non sit, & contrahatur, antequam reuocatio veniat in notitiam partium, non valet; quia deficit consensus vtriusque partis, vt requiritur in illud contrahendo, *l. si mandassem, 15. ff. mandati.*

De foro competenti.

Titulus IV.

Forum quid sit, ex quibus causis quis sortitur forum, & ex quibus opponitur de incompetentia iudicis.

FOrum hic sumitur prout idem est ac tribunal, & censetur secundum fines territorij cuiuslibet loci, *l. pupillus, §. territorium ff. de verbor. signif.* Causæ ex quibus quis forum sortiatur his versibus comprehenduntur.

Præstant ista forum, conseruant ius dominorum.
Contractus, crimen, reus, & reis religioque,
Vir ratio similis, si prouocat, atque recusat.
Excellit iussus, & si non consentit vterque,
Nec elector iudex feudi ius atque scholaris.

Quos versus eleganter explicat Hostien. *in sum. hoc tit. num. 3.* Verum quia vocati sæpe consueuerunt de foro excipere, nota quod incompetentia iudicis ex quatuor capitibus oriri potest, nempè ex parte iudicis, ex parte actoris, ex parte rei, ex parte procuratoris, & ex qualitate causæ.

Ex parte iudicis dicitur ob defectum in eo existentem, vt si sit infamis, mutus & surdus, furiosus, vel cæcus; in cæco enim

intel-

intellige quando fuit effectus cæcus, ante quam esset iudex; nam si alias effectus sit cæcus, postquam sit iudex, retinere potest officium antea quæsitum: quo casu legat sententiam per alium, *l. cæcus, 6. ff. de iudicijs*. Item seruus, & monachus, quia comparantur mortuo à iure ciuili, ideo nullus eorum esse potest iudex, *cap. monachi, 16. quæst. 1.* iuncta *l. seruitutem, 209. ff. de regul. iur.*

Etiam locum habet hæc exceptio, quando iudex recusatur, vti suspectus. Cum hac tamen differentia. Iudex delegatus potest allegari suspectus in totum de vtroque iure; sed iudex ordinarius tantum de iure Canonico, minimè vero de iure Ciuili, quia datur adiunctus. vt distinguit Petrus Ridol. *in prax. iudicia par. 1. cap. 7. num. 121. & 122.* quæ exceptio suspicionis ex pluribus capitibus allegari potest, vt notat Rober. Maran. *in prax. iudiciar. par. 6. art. 2. num. 17.* Præsertim, si ille iudex habeat cognationem, vel familiaritatem domesticam cum vna ex partibus, *cap. postremò, 36. de appellat.* Vel si sit inimicus reo, *l. si pariter, 9. ff. de liberali causa.* Aut quando minatus fuerit alteri parti, quod ei noceret, Abb. *in cap. cum super, num. 2. de off. deleg.* Vel si iudex fuerit alia parte corruptus pecunia, Gugliel. Duran *specul. iur. de iudic. deleg. §. superest, vers. item si sit inimicus.* Vltimò, alijs omissis quando iudex non vult audire Aduocatum in causa, licet sit clara, potest recusari vti suspectus, *Clemen. sape, de verb. significat.* Quæ causæ non sunt exprimendæ coram iudice recusato de iure Ciuili, secus de iure Canonico, Petr. Ridol. *dicta par. 1. cap. 7. num. 125.* Et si iudex allegatus suspectus procedat ad vlteriora, processus est nullus, etiam si non fuerit appellatum, quod procedit de iure Ciuili, Osasc. *decis. 84. num. 6.* Verum si quis, postquam allegauit iudicem suspectum simpliciter compareat coram eo, sine aliqua protestatione censetur recessisse à recusatione, Buratt. *decis. 388. num. 4. & 5.*

Exceptio declinatoria ex parte actoris viget, vt si actor sit filius familias, vel infans, non potest in iudicio consentire sine consensu patris, præterquam in peculio castrensi, vel si inueniatur procurator nomine alieno, *cap. qui generaliter, 5. §. 1. de procurator. in 6.*

Ex parte rei, etiam locum habet, quando v. gr. Clericus conuenitur coram iudice laico, toto *tit. de foro competenti.*

Ex parte procuratoris militat, quando procurator est mente captus, aut redemptor litis, *l. reum, 6. C. de procuratorib.* vel si non habuerit facultatem substituendi, & substitueret, *l. quod quis*, 8. *C. eodem*.

Denique oritur ex qualitate causæ, prout est si agatur de re spirituali, non potest cognosci, nisi coram iudice ecclesiastico, Ridolph. *vbi supra cap. 7. num. 35.* Quæ exceptio declinatoria est opponenda in principio iudicij ante litis contestationem, *l. vltim. C. eod.* imò eam opponens debet protestari, se non consentire, nisi si, & quatenus, Ridol. *cap. 7. num 41. & 52.*

De in ius vocando.

Titulus IV.

Citatio quid & quotuplex sit, quando dicatur legitimè facta, quos effectus producat, sub qua pœna obliget citatos ad comparendum, & ex quibus causis excusatur.

QVID SIT. In ius vocare idem est, ac citare, seu citatio, qua quis in iudicium vocatur experiundi iuris causa apud eum, qui ius dicturus est, *l. 1. ff. de in ius vocan.* quæ citatio dicitur fundamentum ordinis iudiciarij, Fagn. *in cap. proposuisti, num. 12. de foro competen.* & quia est inuenta de iure naturæ, nullo modo omitti potest, Idem *in cap. cum olim, num. 38. & 47. de senten. & reiudic.* alias ea omissa, ipso iure iudicium redditur nullum, *Clemen. pastoralis, §. caeterum, de re iudic.* & *cap. 8. de maiorit. & obedien.* an, & quando requiratur citatio partium in declaratione legis, vide Fagn. *in cap. quoniam, num. 40 de constitut.*

QVOTVPLEX. Quæ prædicta citatio pluribus modis fieri, & exequi potest, vt per eundem *in dicto cap. proposuisti, num. 10* Primò personaliter, & fit in personam vt est quando v. gr. proceditur in tribunali A.C. per contradictas; regulariter prima citatio exequi debet personaliter, Ridolph. *in prax. par. 1. cap. 3. per tot.* Rota *decis. 569. num. 2. par. 1.* iuncta, *decis. 637. num. 1. par. 2. recent.* Secundò fieri potest realiter, & fit in domo dimissa copia, vel factis primo loco diligentijs de illam exequendo

do in personam, & ea non reperta, fit in domo, vt supra, *decis.* 295. *num.* 25. *par.* 7. *recent.* Hæc citatio realis non decernitur, nisi in criminalibus, Sigism. Scacc. *de iudicijs*, *lib.* 1. *cap.* 37. *num.* 1. & 2. imò nuncius indiget speciali iudicis commissione, sed in personali sufficit generalis, Fagn. *in dicto cap. proposuisti, num.* 6. insuper citatus ad domum, qui non comparuit, allegans se citationem ignorasse, audiri debet ad opponendum in personas testium, Doctores *in cap. præsentium*, 31. *de testibus*. Tertiò alia dicitur citatio verbalis, & est quando iudex viua voce alicui committit, vt aliquem citet sine literis, & pluribus modis fieri solet, vt per Gugliel. Duran. *specul. iur. hoc tit.* §. 4. *num.* 1. & Rober. Maran. *in prax. iudiciar. par.* 6. *hoc tit. num.* 63. Quartò, vel fit per literas, & dicitur quando in scriptis committit nuncio, vt aliquem citet; & continere debet nomen illius, qui citat, quem, super quo ad quem diem, & ad cuius instantiam, Maran. *vbi supra num.* 74. & Sigism. Scacc. *dicto lib.* 1. *cap.* 33. *per tot.* Quintò, alia fit per edictum, vt est quando persona citanda abest, vel est incerta, aut constat de non tuto accessu, Scacc. *de iudic. lib.* 1. *cap.* 34. *per tot.* & hæc contra Clericum absentem affigi debet in valuis suæ Ecclesiæ, Fagn. *in cap. ex tua, num.* 3. *de cler. non resident.* Sextò, alia dicitur, quæ fit per affixionem ad valuas Ecclesiæ, & tunc primò legitur, & deinde per aliquod tempus relinquitur in valuis, Rota *decis.* 624. *num.* 10. *par.* 1. *recent.* Septimò, vel fit per proclama, vt est quando nuncius per plateam publicam alta, & intelligibili voce aliquem citat; & hæc species habet quandam affinitatem cum citatione per edictum, quæ firmior est, & in hoc inter se differunt, Scacc. *dicto lib.* 1. *cap.* 35. *per tot.* Vltimò, vel fit per campanam, vt est quando est eundem ad bellum, vel quando est conuocandum consilium generale, Maran. *d. Eta par.* 6. *hoc tit. num.* 111.

REQVISITA. Aduerte, quod in qualibet citatione quatuor extrema concurrere debent. Primum ex parte iudicis competentis commissio de citando, & siue sit iudex ordinarius, siue delegatus; cum hac tamen differentia, quia iudex delegatus inserere tenetur tenorem suæ delegationis in corpore citationis, & designare auditorium, minimè verò ordinarius iudex; quia hic vtitur propria, & non aliena iurisdictione, Fagn. *in cap. cum in iure, num.* 16. *de off. deleg.* Specul. *iur. tit. de citatio-*

 nibus,

nibus, §. *5. num. 1. 2. & 3.* & Sigism. Scacc. *dicto lib. 1. cap. 32. num. 24.* Secundum extremum dicitur ex parte citandi, nam citari debet ille, qui potest lædi ex aliquo actu, qui fieret in iudicio, alias ille actus non valet, *l. nam ita diuus, 39. ff. de adoptionib.* Hinc est, quod citatio non requiritur, vbi si quis citatus esset, nihil opponere poterat, Fagn. *in cap. cum ex iniunct., num. 47. de nou. oper. nunciat.* & *decis. 591. num. 1. par. 1. recent.* Qui citandus in quolibet loco citari potest, etiam si existat in locis non subditis, habita tamen venia iudicis illius loci; & quando est in Ecclesia fieri potest citatio verbalis, non autem realis, DD. *in cap. inter alia, de immunit.* & Rober. Maran. *vbi supra num. 40. & 129.* & Bart. *in l. præsenti, num. 3. C. de ijs qui ad eccles. confugiunt.* Tertium, & quartum extremum requiruntur ex parte nuncij, quorum primum est ipsa executio citationis, quæ non est actus iudicialis, & ideo exerceri potest per nuncium, etiam extra territorium, Fagn. *in dicto cap. licet, num. 13. de for. competen.*

Quæ executio fieri debet in die iuridico; nam si fieret in die feriato non valet, Fagn. *in cap. accepimus, num. 9. de pact.* & *l. ex quacumque, 2. ff si quis in ius vocat.* sed super hoc distingue. Quædam feriæ sunt ad honorem Dei, & hæc sunt seruandæ, imò à partibus renunciari non possunt, *cap. fin. de ferijs*, limitatur in causis miserabilium personarum, & in operibus misericordiæ, in quibus non est habenda distinctio, *cap. vtinam, 11. distin. 76.* & Abb. *in cap. fin. de ferijs.* Aliæ sunt ad honorem Principis, vt est v. gr. quando ducit vxorem, & hæc à partibus neque renunciari possunt, *l. omnes, 3. l. à nullo, 4. C. de ferijs.* Aliæ sunt fauore hominum, & gratia vindemiarum, & his partes de communi consensu renunciare valent, *l. 1. §. fin. ff. de ferijs.*

Quartum extremum est relatio citationis factæ. Qui nuncius illas exequi tenetur iuxta stylum curiarum, alias si fieret contra stylum, non tenetur comparere citatus, Rober. Maran. *vbi supra num. 50. ver. additio.* Hinc est quod si in qualibet citatione non verificentur prædicta extrema, non valet, Bal. *in l fin. num. 3. de ferijs.*

EFFECTVS. Denique aduerte, quod citatio producit duos effectus principaliter, nempè inducit præuentionem, qua mediante citatus non habet ius reuocandi forum, *cap. proposuisti, 19. de for. competen.* & perpetuat iurisdictionem, *decis. 295. num.*

num.

Digitized by Google

num. 15. *par.* 7. *recent.* qua propter reproductio citationis non est necessaria ad perpetuandam iurisdictionem, sed solum ut iudex procedere possit, *decis.* 189. *num.* 6. *par.* 6. *recent.*

Et si citatus negligat comparere, efficitur contumax. Ad conuincendum citati contumaciam, non sufficit vna citatio, sed trina, interiecto iusto dierum spatio; vel saltem vna, & peremptoria, quæ tantum temporis contineat, quantum trina citatio, *l. ad peremptorium*, 68. *ff. de iudic.* Contumax si citetur ad dicendum causam quare non debeat excommunicari appellare potest ab hoc præcepto, Fagn. *in cap. super eo*, il secondo, *de appellat.*

A' qua pæna contumaciæ citatus non comparens excusatur ex pluribus capitibus 1. Quando est legitimè impeditus, *cap. quarelam*, 2. *de procurator.* & *cap. pastoralis*, 28. §. 1. *de offic. legat.* 2. Quando locus ad quem vocatus fuerit, erit incertus, *cap. fin. de rescript.* vel est minus securus, & incommodus, *cap. ex parte*, 47. *de appellat.* & Fagn. *in cap. ad supplicationem*, *num.* 10. *de renunciat.* Vltimò alijs omissis, excusatur à pæna contumaciæ ex angustia temporis ad comparendum, Rot. *decis.* 238. *num.* 9. *par.* 6. *recent.*

De libelli conceptione.

Titulus V.

Libellus quid, & quotuplex sit, à quo, & quomodo concipiatur, quando, & quos effectus producat.

QVID SIT. Reo comparente in termino, actor offerre debet libellum, qui sic definitur, *est scriptura breuis continens intentionem actoris, causam, & petitionem contra aduersarium*, *cap. fin. de libel. oblat.* In quo interueniunt tres partes, idest causa, obligatio, & actio. Causa dicitur, quæ in ipso facto ex quo oritur consistit, *l. certi condictio*, 9. *ff. de reb. credit.* Obligatio est vinculum, quo quis adstringitur ad aliquid faciendum, & descendit ex ipso facto. Et actio, est ius prosequendi in iudicio, quod sibi debetur; quæ dicitur obligationis effectus.

QVO-

QVOTVPLEX. Diuiditur libellus in criminalem, & ciuilẽ Criminalis continet criminis accusationem, & de hoc suo loco dicemus. Ciuilis est conceptus in rem ciuilem, *cap. 1. & fin. de libell. oblat.* Hic non requirit causæ expressionem, parte non apponente, tamen si exprimatur inepta, reijcitur, Fagn. *in cap. consultationibus, n.83. de cler. ægrotan.*

Sed aduerte, quod non in omnibus causis datur libellus; vnde in causis, in quibus proceditur summariè, & de plano, sufficit inserere petitionem actoris, *Clemen. sæpe, de verbor. significat.* Idem est, quando litigatur de momentanea possessione, *l. momentariè*, 8. *C. vndeui*, vel agitur de actione in factum, quæ ex re iudicata descendit, *l. 1. 2. Ior*, 8. *C. de reb. credit.*

REQVISITA. Qui libellus pluribus indiget requisitis; nam in eo sunt apponenda omnia necessaria, & vtilia: & si agatur pro actione personali causa obligationis est explicanda, veluti peto centum ex mutuo; ac continere debet nomen agentis, rei petitæ, & iudicis: esse debet dilucidus, breuis, certus & clarus, *l. ampliorem*, 37. §. *in refutatorijs, C. de appellat.* In fine sunt apponendæ infrascriptæ clausulæ salutares, quarum prima est, *super quibus omnibus, & eorum singulis peto mihi ius & iustitiam facere*. Quæ clausula saluat libellum ab omni ineptitudine, Abb. *in cap. cum dilectus, num.52. de ordin. cognit.* Secunda dicitur *omni modo meliori, &c.* & operatur, vt in casu dubio libellus interpretetur eo modo, qui est fauorabilis. De effectu huius clausulæ tractat August. Barbos. *tract. var. de clausulis, claus.93. num.1.* Tertia est, *non se adstringens, &c.* Hæc enim operatur, vt actor non teneatur probare qualitatem deductam in libello, Idem *vbi sup. claus.89. num.1.* Quarta clausula est, *& protestatur de expensis &c*, per quam iudex interpellatur, vt condemnet victum victori ad expensas, ad quas iudex non tenetur condemnare, si non petantur, Bart. *in l. properandum, §. sin autem, C. de iudicijs*, & Barbos. *dicta claus.114. num.1.*

EFFECTVS. Vltimò nota plures esse effectus libelli. 1. Sententia formatur secundum petitionem factam in libello, *cap. qualiter, 24. de accusat.* 2. Facit rem litigiosam sequuta denunciatione per exequutionem. 3. Perpetuat actionem annalem, si Princeps ad eum rescribat, *l. 1. & 2. C. quan. libell. prin. datur*. & 4. Interrumpit præscriptionem, etiam si nullam contineat causam, *l. si ex multis, 3. C. de annal. præscript.*

De

De dolo.

Titulus VI.

Quid & quotuplex sit, an & quando præsumatur, quæ auxilia competant ex dolo, cui, & contra quem intentari possint.

QVID SIT. Melius explicatur titulus iste per diuisionem, sicque alius est dolus bonus, & alius malus. Dolus bonus dicitur, quo quis ad meliorem vitam inducitur, Fagn. *in cap. sicut nobis, num.16. de regular.* Vel dicitur machinatio instituta aduersus latronem, vel hostem ad habendum v.gr. propriam confessionem super delicto, quod illi imputatur, *cap. vtilem, 22. quæst. 2.* Dolus malus *est machinatio, & fallacia ad decipiendum, & circum veniendum alterum adhibita, l. 1. §. 1. ff. de dolo.*

QVOTVPLEX. Diuiditur secundò in dolum præteritum,& futurum. Dolus præteritus remitti potest, secus verò dolus futurus, quia aperiretur ianua fraudibus, *decis. 576. num. 163. par. 4.* & *decis.16. num.19. par.* 8. *recent.*

AN, ET QVANDO PRÆSVMATVR DOLVS. Hic nos loquimur de dolo malo, qui nunquam præsumitur, nisi perspicuis coniecturis probetur, *decis.*118. *num.*1. *& decis.*478.*num.* 2.*par.*2. *recent.* & in dubio attenditur qualitas exclusiua doli, Bart. *in l.non solum, num.*8. iuncto §.*sed vt probari, de noui operis nuntiat.*ac quælibet minima causa excusat à dolo prædicto, Afflict. *decis.*360. *num 6.* præsertim in re minima, nunquam præsumitur dolus, Fagn. *in cap. super literis, num.*43. *de rescriptis.* E contra dolus præsumitur in his,quæ sunt de genere prohibitorum, Idem *in cap. ex conscientia, num.*12. *de crim. fals.*In eo,qui in facto proprio non antiquo, neque intricato falsum narrat, etiam in litteris iustitiæ, Idem *in dicto cap. super literis, num.*44. *&* 46. In eo qui suggessit falsum, vel tacuit verum in rescripto,ex quibus probetur,*ibid. n.*50. etiã cadit in eo,quãdo ex officio, vel ex natura actus prærequiritur diligens indagatio &,non seruat,Idem *in cap.ad falsariorum,num.* 12. *de crim. fals.*

QVÆ

QVÆ AVXILIA COMPETANT EX DOLO. Aduerte, quod dolus, vel adhibetur in contractu, vel extra contractum. Si adhibeatur in contractu, sub distingue;vel dat causam contractui bonæ fidei, hoc est quia alias non erat contracturus, nisi esset dolo inductus; & tunc ipso iure non valet re integra, *l. & eleganter, 7. ff. de dolo*. Aut deceptus erat contracturus, sed dolo alterius decipitur in ipso contractu: vt si minori prætio contrahat, & tenet venditio, sed purgatur dolus per actionem ex eo contractu, *l. iulianus, 14. §. si venditor, ff. de action. empt.* Vel dat causam contractui stricti iuris & tunc si incidat in eum, semper tenet contractus, sed obstat exceptio doli, Mascard. *de proba. conclus.* 1419. *n.* 3. & Guglielm. Duran. *spe. cul. iur. lib.* 4. *hoc tit. n.* 4. Si vero ille dolus cadat in spiritualibus, non vitiat contractum, Fagn. *in cap. sicut nobis, n.* 9. *de regular.* Qui dolus malus sicut cadit in contractibus, etiam cadit in legatis, & fideicommissis, *l. si seruus, §. cum quid, ff. de legat.* 1.

Vel adhibetur dolus extra contractum, & cadit in speciale nomen maleficii, vt furti, iniuriarium, & similium, & tunc agitur ea actione, quæ prodita est ex eo crimine, qui dolus in delictis affert pænam mortis, Farin. *in prax. crim. de pænis temperandis, quæst.* 96. *num.* 72.

ACTIO DOLI CVI, ET CONTRA QVEM DATVR. Hinc est quod dolus malus in contractu iudiciali, & extra iudiciali abesse debet, alias agitur ad interesse contra dolosum, *l. in stipulatione,* 10. *ff. rem ratam haberi*, & probatur ex scientia fraudis; vel inducitur ex magna læsione, *decis.* 75. *num.* 7. *penes* Buratt. Inducitur etiam ex mendacio, *l. si quis affirmauerit, 9. §. 1. ff. de dolo, decis.* 617. *num.* 4. penes Card. Seraph. *& decis.* 361. *num.* 11. apud Buratt.

Et dolum passo acquiritur actio, & exceptio doli; quæ actio; dicitur personalis, & contra dolosum est, annalis; ita vt anno elapso datur actio in factum, *l. itaque, 29. in fin. ff. eod.* Intentata actione doli, non permittitur intentare aliam cum ea, *l. de dolo, 2. C. de dolo malo.* Quæ actio contra hæredem est perpetua, in quantũ ad eũ, quod ratione cõmissi doli peruenerit, & hoc est vt restitutio efficiatur, *l. sed & ex dolo, 16. l. si plures, 18. & l. itaque, 29. §. cui conueniens, ff. eodem*, & Azon. *in sum. C. lib.* 2. *hoc tit. num.* 17.

De

De contumacia.

Titulus VII.

Quid & quotuplex sit, quibus modis contrahatur, à quo, & qua pœna puniatur.

QVID SIT. Dantur duo termini contumacia, & contumax, qui idem significant; nam contumacia dicitur *à con*, & *tumeo*, quia citatus in nolendo obedire inflatur, & superbus efficitur: quæ contumacia dicitur *commissa in obedientia erga iudicem, vel prælatum*, Glos. *in cap. ad aures*, 5. *de tempor. ordinat.*

Contumax est ille, *qui tribus edictis propositis, aut vno peremptorio pro tribus euocatus præsentiam sui facere contemnit*, *dicta l. contumacia*, 53. *& l. peremptorium*, 68 *ff. de iudicijs*; nam citatus tenetur comparere, & in termino comparere; & si compleat vtrumque, sed deinde recidit illicentiatus, dicitur contumax, *cap. certum*, 11. *quæst.* 3. Pluribus aliis modis efficitur contumax; vt est si citandus se latitat, vel impediat, ne citari possit; aut si veniat, & nolit respondere, vel obscurè respondet, *cap. accedens*, 4. *vt lite non contest.* Idem militat in eo, qui rem ad mandatum iudicis restituere non vult, *l. qui restituere*, 68. *ff. de rei vendic.* Denique quis efficitur contumax, si nolit iurare, *cap. fin.* §. 1. *de iuram. calum.* Imò contumax, quando est monitus habetur pro confesso, *cap.* 2. *de confess. in* 6. limitatur de iure communi, quia non habetur pro confesso, *l. properandum*, 11. §. *si quidem*, C. *de iudic.*

QVOTVPLEX. Quæ cōtumacia triplex est notoria, vera, & præsumpta. Notoria dicitur, cum citatus inuentus respondeat, se non venturum, *l. fulcinius*, 7. *ff. quibus ex caus. in poss. ff. eat.* Vnde notorius contumax excommunicatur sine monitionibus, Ridolph. *in prax. par.* 1. *cap.* 14. *num.* 248. Vera est, cum citatio apprehendit eum, & nihil dixit; vel dixit se velle venire, sed tamen non venit, Gugliel. Duran. *specul. iur. hoc tit. lib.* 2. §. 1. *num.* 3. Et contumacia præsumpta dicitur, quando citatio eum non apprehendit, sed solemniter fit, & citatus non mittit procura-

curatorem in termino constituto, nec comparet, *l. contumacia*, 53. *ff. de re iudicat.* quæ contumacia indistinctè sumpta, tanto maior est, quanto ex re minori consurgit, Glos. *in cap. duo sunt*, 10. *ver. videbunt*, *dist.* 96.

A' QVO, ET QVOMODO PVNIATVR. Contumacia in actore variis pœnis punitur; quia magis actor non veniens offendit iudicem, qui tenetur ampliare causam; quam reus, cuius est fugere, & causam extenuare. Vnde actor contumax poterit condemnari in expensis ipsi reo cũ decreto, quod non prius audiatur, nisi resarcuerit expensas, *l. eum quem temere*, 79. *ff. de iudic.* & deinde pręstita cautione de prosequenda lite, audiri potest, *c.* 1. *de dol. & contũ. in* 6. Atq; per contumaciã actoris datur anza reo, vt intentare possit remediũ, *l. diffamari*, 5. *C. de ingen. manumiss.* Et si lis sit contestata iudex progreditur ad sententiam, etiam in fauorem actoris absentis; vel reum absoluit ab obseruatione iudicij, actore condemnato in expensas, *l. & post edictum*, 73. *ff de iudic.* de hac specie contumaciæ actoris, tractat Sigism. Scacc. *de iudic. lib.* 1. *cap.* 93. *à num.* 3. Guglielm. Duran. *specul. iur. par.* 1. *lib.* 2. *hoc tit.* §. 2. *num.* 3. & 4.

Si vero reus sit contumax, varijs pœnis punitur; præsertim non auditur, nisi refectis expensis, non solum in illa causa, verum etiam in omni alia iudex denegare potest audientiam, Glos. *in l. s. d. si per pratorem*, 16. §. *sed*, & *si dum*, *ff. ex quibus causis*. Tamen in perpetuum propter contumaciam non denegatur audientia, sed ad tempus, nisi interueniat contemptus, Fagn. *in cap. G. perpetuus*, *num.* 25. & 27. *de fide instrum.*

Quando cõtumacia sapit delictũ mulctatur arbitrariè, Sigism. Scacc. *d. lib.* 1. *cap.* 99. *n.* 2. & 8. & quando est verus contumax mulcta puniri potest, Rober. Maran. *in prax. par.* 6. *mem.* 2. *num.* 9. & perdit beneficium appellandi, *l.* 1. *C. quor. appell. non recipientur*. Limitatur, quando non fuit personaliter citatus, quia tunc semper appellare potest, Bal. *in l. ea quæ*, *num.* 5. *C. quem*, & *quan. iud.* Guazzin. *ad defen. reor. defen.* 36. *cap.* 30. *num.* 26. maximè in materia criminali, quoniã non hortabatur comparere personaliter, *decis.* 728. *num.* 5. *par.* 2. *recent.*

Quæ pænę contra contumacem non sunt omnes exigendæ, sed iudex habet optionem ad eligendum vnam de illis, Abb. *in cap. inter cætera*, *num.* 1. & 4. *de rescriptis*. Contra quos contumaces nunquam proceditur, nisi altera parte instante, &

accu-

accusante contumaciam, Vestr. *in prax. lib.4. cap.4. num. 17.* eo magis, quia contumacia non est iusta causa, vt quis iure suo priuari debeat, Fagn. *in dicto cap. G. perpetuus, num.25.*

Notata intellige de contumacia in materia ciuili; nam de processu contra reum in materia criminali alibi tractatur, & in puncto vide Rober. Maran. *in prax. iudiciar. par. 6. mem. 2. à num. 9.* Analys. *iur. pontif. lib.2. hoc tit. §. quod contumax,* Gugliel. Duran. *specul. iur. vbi supra §. 3.* & pleno calamo Sigism. Scacc. *de iudic. lib.1. cap.97. per tot.*

De missione in possessionem.

Titulus VIII.

Quid & quotuplex sit, quando concedatur, à quo, quomodo, & ad quid.

QVID, ET QVOTVPLEX SIT. Missio in possessionem dicitur, *quando actor mittitur in possessionem bonorum rei conuenti pro mensura debiti,* vt explicat Sigism. Scac. *de iudic. lib.1. cap.96. num.19.* Et duplex est prima, & secunda. Prima missio fit ex primo decreto causa rei seruandæ. Et secunda ex secundo decreto, causa rei possidendæ; vt est si per annũ contumax à die primi decreti persistat in contumacia, Analys *iur. pontif. lib. 2. tit. 15. §. iterata missio.* Si reus non habeat bona super quibus missio concedi possit, & personaliter capi non potest, tunc potest banniri, Sigism. Scacc. *vbi supra lib. 1. cap.96. num.15.* & Specul. iur. Gugliel. Duran. *tit. de primo decreto, §.1. num.10.*

A' QVO, QVALITER, ET AD QVID. Sed vt melius intelligatur, videre debemus, quid sit primum, & secundum decretum. Primum decretum, dicitur primus iussus iudicis, quo mandat bona alicuius propter eius contumaciam in pœnam contumaciæ à creditore possideri, seu deteneri causa rei seruandæ, Specul iur. *vbi supra par.1. lib.2. eod. tit. §. 2. num. 6.* & hoc datur in actione reali, & personali; ac non requiritur, vt plenè constet de debito, vt interponatur; sed sufficit quod summatim, vel per iuramentum actoris constet, Doctores *in l. cum proponas, 9. C. de bon. author. iud. poss.* ra-

 tio

tio est, quia per primum decretum non acquiritur dominium, sed sola custodia, *l. 3. §. fin. ff. de acquir. possess.*

Secundum decretum est secunda missio, quæ fit per iudicem contra eundem perseuerantem in contumacia, Maran. *in prax. par. 6. tit. de contumacia, num. 12. in medio.* Quæ perseuerantia inducitur, quando est lapsus totus annus à die primi decreti, *cap. 1. & 2. de dolo, & contumacia*; & hoc secundum decretum non decernitur, nisi cum causæ cognitione; Specul. iur. *ibidem, tit. de secundo decreto, §. 2. num. 1.* & Analys. *iur. pontif. de eo qui mittitur in possess. bon. §. secundum decretum.* Ratio disparitatis est, quia per secundum decretum aliquando transfertur dominium, & semper possessio, si reus erat dominus, *cap. 1. de eo qui mitt. in possess.* & nisi misso creditori debitor satisfaciat, poterit ipse creditor petere à iudice bona in quorum possessionem missus est vendi si debitor latitat, Analys. *iur. pontif. ibidem, §. si in actione, & §. primo.* Verum si Clericus contumax in limine anni offerat cautionem de stando iuri, quia iustitia nihil periclitatur, iudex nón potest procedere ad secundum decretum, neque ad mulctandum Clericum contumacem, *cap. 1. de dol. & contum.*

De litis contestatione.

Titulus IX.

Quid sit, quomodo efficiatur, per quos, quando, & quos effectus producat.

QVID SIT. Litis contestatio dicitur lapis angularis, super qua radicatur totum iudicium, Rober. Maran. *in prax. iudiciar. par. 6. mem. 10. num. 1.* ideoque in iudicijs in quibus requiritur, & deficit, corruere facit processum, Fagn. *in cap. olim, num. 3. de lit. contestat.* Vnde sic definitur, *est principalis negotij facta narratio, & ad eam sequuta responsio, cap. 1. eodem.* Et fit per responsionem datam ad libellum porrectum in iudicio, Idem *in dicto cap. olim, num. 17. 20. & 36.*

QVOMODO. Quæ respõsio vel fit per negatiua verba; vt si dicat posita, prout ponuntur, & narrata prout narrãtur, vera nõ esse, saluis suis iuribus, & defẽsionibus suo loco dicendis; & tunc reus cum his verbis, nunquam incurrit in pœnam negantium,

vt in *l. contra negantem* 4. *C. ad legem aquiliam*. Vel fit per verba affirmatiua, vt per confessionem. Vel per verba dubitatiua, si dicat, v.gr. nō credo narrata vera esse, Marā. *dict. mem.* 10. *n.* 5. Semper tamē tria concurrere debent, nempè scriptura, scientia efficaciæ litis contestationis, & animus litē contestandi, nā sine animo litem contestandi non dicitur lis contestata, Specul. iur. *hoc tit.* §. *nunc dicamus*, *num.* 7. Fallit, quando iudex iusserit litem contestari, quia tunc, cum simus in casu necessario, protestatio nihil releuat, *l. alimenta*, 11. *C. de negot. gest.* &, si reus noluerit litem contestari, potest mulctari; verum nequit iudex declarare, quod lis habeatur pro cōtestata, quia ad litis contestationem opus est facto verborum expressione, *l. rem non nouam*, 12. §. *patroni*, *C. de iudicijs*. Et vbi opus est expressione verborum, non sufficit alius actus, *l.* 1. §. *e contra*, *ff. de verbor. obligat.* Quando reus est dubius, & non datum est debitum interuallum ad deliberandum, potest tunc se excusare à litem contestando, *Authen. offeratur*, *C. de lit. contest.*

PER QVOS. Non solum fieri potest per se ipsos, sed etiam per legitimos procuratores, tutores, curatores, aut syndicos, *cap. prout*, 4. *de dolo, & contumacia*, *d. l. rem non nouam*, 4. §. *patroni*, *C. de iudic.* & Lancell. *hoc tit.* §. *fit autem*.

QVANDO. Quæ litis contestatio regulariter requiritur in omnibus iudicijs, quæ incipiunt per libellum, Lancell. *vbi supra in fin. huiusmodi tit.* hac de causa in iudicijs summarijs, in quibus proceditur de plano sine strepitu & figura iudicij, quia non seruatur solemnis ordo iudiciorum, ideo requiritur litis contestatio, *clemen. dispendiosam*, 2. *de iudicijs*.

EFFECTVS. Litis contestatio producit plures effectus nempè. Perpetuat actionem, *l. ordinata*, 24. *ff. de liberal. cau.* Præcludit viam opponendi dilatorias, *l. Pomponius*, 40. §. *rati*, *ff. de procurat.* Constituit aduersarium ad malam fidem, quantum ad fructus, *l. certum*, 22. & *l. more*, 26. *C. de rei vendicat.* Facta litis contestatione mandatum procuræ reuocari non potest, nisi ex certis causis, *l. post litem*, 17. *ff. de procurator.* Peracta litis contestatione recipiuntur probationes, & examinantur testes, non autem ante, nisi timeatur de morte testium, vel de diuturna absentia; nā tunc possunt examinari ad perpetuā rei memoriam, & illorum depositiones sunt denunciandæ à parte parti intra annum vtilem, *cap. quoniam*, 5. *vt lit. non contest.*; & Lancell.

cell. *hoc tit.* §. *admonendi*. Facta litis conteſtatione, propriè lis aſſumit hoc nomen, & per eam inducitur pendentia litis, qua pendente, nihil debet innouari, *Clemen. cum lite*, 2. *vt lit. conteſt. nihil innouari*. Ex quo non licet actori, reo, vel iudici aliquid innouare, nec etiam Principis authoritate ſine cauſæ cognitione, alias reſcriptum impetratum pendente lite exequi nequit, niſi de hac pendentia expreſſam mentionē faciat, *c. vlt. eodem*. Et ſi aliquid innouetur pendente lite, non ſolum in pristinum reducitur, tamquam attentatum, verum etiam in expenſis condemnatur, *l. penul. & vlt. C. vt lit. penden.* In caſu autem, quo timetur de dilapidatione bonorum, durante lite, apponitur ſequeſtrum, *cap. fin. de ſequeſtran. poſſeſſ.* & *l. ab executione*, 5. *C. quor. appellationes*, ſed ſi ſuper matrimonio pendeat lis, & aliquis collitigantium ea pendente contrahat ſecundum matrimonium, ſi deinde declaratur primum non tenuiſſe, ſecundum non irritatur, *cap. cum in apoſtolica*, 18. *de ſponſal.*

De iuramento calumniæ.

Titulus X.

Quid & quotuplex ſit, quomodo præſtetur, per quos, & quas vires habeat.

QVID SIT. Poſt litis conteſtationem iuratur de calumnia; cuius cauſa efficiens eſt Canon, & lex Iuſtiniani, *l. 1. & 2. C. de iuramento calumniæ*, & ita definitur, *eſt quod iudex ad petitionem partis imponit præſtandum, quodque lis, vel defenſio iuſta ſibi videatur*, Gloſ. *in cap. 1. ver. criminali, hoc tit.*

QVOTVPLEX. Triplex eſt ſuppletorium, de veritate dicenda, & malitiæ. Iuramentum ſuppletorium datur in defectum probationis, prout eſt, quando ſaltem intentio actoris eſt ſemiplenè probata, Fagn. *in cap. ſicut, num. 5. de probat.* De veritate dicenda datur in ſpiritualibus, & ſpiritualibus annexis, etiam quod ſit de calumnia iuratum, *cap. 4. de except.* Et iuramentum malitiæ præſtatur ante, & poſt litis conteſtationem, ſemel, vel pluries, quoties contra aliquem eſt præſumptio,

ptio, quod aliquid malitiosè proponat, quæ species differunt inter se cum iuramento calumniæ ex adductis.

QVALITER. Forma qua præstatur iuramentum calumniæ in hoc consistit, id est, vt litigatores constituti in præsentia iudicis, tactis sacrosanctis Euangelijs iurent. 1. Quod credant habere bonam causam, & bonum ius. 2. Quod non vtantur scienter falsis probationibus. 3. Quod non petant dilationem gratia differendæ litis. Vltimò. Quod non corrumpant gratia, vel munere animum iudicis, *l. 2.* & *Authen. principales, C. eodem*.

PER QVOS. In quocumque iudicio, in quo illud est præstandum præstari pótest, tam per se, quam per procuratorem habentem speciale mandatum procuræ, *cap. fin. eodem in 6.* & etiam à Iudæis illud præstandum est, *l. iudei, C. de iudais*, & iurare tenentur secundum legem in decem præceptis decalogi, vt iures tu per Deum, qui apparuit Moysi, & similia.

Aduerte, quod in admissione huius iuramenti dispar ratio est inter ius Canonicum, & Ciuile; nam de iure Ciuili remitti non potest à parte parti, nec expressè, nec tacitè; imò cum sit omissum, iudex tenetur illud petere, alias irritatur processus iudicialis, *l. cum iudices, 2. C. eodem*. De iure autem Canonico per tacitam omissionem calumniæ processus iudicialis, alias legitime factus, non irritatur, nec tenetur iudex pergrauare partes ad illud præstandum, *cap. 1. §. propter omissum, eod. in 6.* Verum, si à parte sit petitum, & ipse recuset illud dare, cadit in pænam à iure suo, & habetur pro confesso, *cap. fin. eod.*

EFFECTVS. Hodie hoc iuramentum parui extimatur, non obstante, quod inuentum sit, ne veritas occultetur, vt ait Rober. Maran. *in prax. iudiciar. par. 6. hoc tit. num. 11.* Non omitto tamen dicere, quod qui iurat de calumnia excusatur à tacita, & præsumpta calumnia, non autem ab euidenti, & expressa; nec non per illud vitantur fraudes, & partes eximuntur ab onere probationis, *§. fin. Authen. de his, qui ingrediun. ad appell.*

De

De restitutione spoliatorum.

Titulus XI.

Spolium quid sit, quæ illius extrema, quam actionem producat, qua pœna puniatur, & ex quibus causis spoliator excusetur.

SPolium sic definitur, *est priuatio possessionis, vel quasi rei alicuius, aut iuris iniusta iudicis sententia, vel alterius cuiusdam vi, vel dolo malo facta*, Analys. *iur. pontif. hoc tit. §. spolium est*. Dixi *priuatio possessionis, vel quasi*; quia spolium committi potest in rebus corporalibus, & incorporalibus. Dixi *iniusta iudicis sententia*; nam ex capite notoriæ iniustitiæ, vel nullitatis committitur spolium, *decis.*867. *num.*1. *par.*5. *recen.* & Petr. Ridol. *in prax. par.* 2. *cap.* 14. *num.* 130. Dixi, *vi*; quia ea quæ fiunt vi, præsumuntur dolo malo facta, nisi probetur causa iustæ violentiæ, *l. si non conuocij*, 5. *C. de iniurijs*. Hinc est, quod dolus, & iniusta iudicis sententia priuans aliquem de possessione sunt causa efficiens spolij, *cap. in literis*, 5. *eod.*

EXTREMA. Aduerte, quod ad hoc vt intentetur hoc iudicium duo extrema sunt probanda. Primum, vt constet concludenter de antiquiori possessione spoliati, *decis.*1055.*num.*2. *penes* Seraph. Secundum extremum est, vt sit iunior possessio spoliantis, Mantic. *decis.*29. *num.*1. Verùm in spolio iudiciali, vltra prædicta extrema, constare debet de notoria iniustitia, vel notoria nullitate, vt plenissimè firmat Petr. Ridolph. *in prax. dicta par.*2. *cap.*14. *num.*101. *& sequen.*

SPOLII ACTIO. Quod spolium producit actionem spolij, & ita definitur, *est actio in rem scripta*. Atque datur heredi spoliati, etiam contra heredem spoliatoris ad quem peruenit res, super qua commissum fuit spolium, *decis.* 1262. *num.* 2. *apud* Seraph. quæ actio præscribitur spatio 30. vel 40. annorum, *l. sicut*, 3. & *l. omnes*, 4. *C. de præscript.*30. *vel* 40. *ann.* excipe, quando spolium est violentum, quia tunc nunquam præscribitur, *decis.*1360. *num.*2. & 15. apud Seraph.

QVALITER. Aduerte, quod contra spoliatorem agi potest ciui-

ciuiliter, & criminaliter. Ciuiliter agendo, tenetur restituere rem ipsam, fructus perceptos, damna, & expensas passas, post commissum spolium, *cap. grauis*, 11. *eod.* & Fagn. *in cap. constitutus*, *num.* 18. *de fil. presbyter.* nam spoliato facienda est integerrima restitutio, etiam quo ad locum in quo res posita erat, Idem *in cap. grauis*, *num.* 8. *de restitut. spol.* ratio est, quia spoliatus nunquam perdidit possessionem rei de qua spoliatus fuit, *l. 3. §. cum igitur*, *ff. de vi & vi arm.* Vnde spoliator non auditur, nisi facta restitutione, propter quam purgatur spolium, Petr. Ridol. *par. 2. cap. 14. num. 149.* Agens ex spolio non tenetur respondere aduersario suo, nisi prius restituatur, *cap. frequens*, 51. *eod. in 6.* & *cap. cum dilectus*, 2. *de ordin. cognit.* non solum in causa spolij, verum etiam in alia causa; vt est si spoliatus citetur per spoliantem non facta restitutione, Robert. Maran. *in prax. par. 4. de iud. recontionali*, *num.* 52. Quæ remedia restitutoria non dantur spoliato per supremum Principem, Fagn. *in cap. de rectoribus*, *num.* 21. *de cler. ægrotan.* secus est quando est spoliatus à iudice iuris ordine prætermisso, nam ante omnia restituitur, Idem *in cap. conquærente*, *num.* 1. *eodem*.

Criminaliter spoliator punitur pæna afflictiua corporis, & subiacet iudicis arbitrio, non solum quando per se ipsum spolium commisit, verum etiam si per alium illud mandauit fieri, Laucell. *inst. canon. lib. 3. hoc tit. §. is quoque*, & Bart. *in l. prima §. sed & si cum quis*, *num. 1. ff. de vi & vi armata*.

EX QVIBVS CAVSIS EXCVSETVR. Aduerte vltimò, quod in pluribus casibus excusatur spoliator ab obligatione restituendi, 1. Quando possessorium habet mixturam cum petitorio, *l. 2. §. quædam ff. de interd.* 2. Quando quis facto, vel culpa sua cecidit à possessione, *cap. sæpe*, & ibi Ripa, *num.* 27. *de restitut. spoliator. decis.* 301. *num.* 2. & *decis.* 447. *num.* 6. penes Buratt. 3. Quando notoriè constat de dominio spoliantis, & de non iure spoliati in petitorio, *cap. ad decimas*, 2. vbi Glos. *de restitut. spoliat. in 6.* & latè Petr. Ridol *in prax. par. 2 cap. 14. n.* 138. & 143. 4. Quãdo opponitur spoliatio ab ipso facta, *cap. fin. de ordin. cognit.* 5. Quando spoliator intendit in eodem tempore disceptare, tam super proprietate, quam super possessione, *cap. 1. eod.* & 6. Si spoliatus ante omnia non doceat de spolio, non est restituendus, *cap. fin. eod. in 6.*

Digitized by Google

De reconuentione.

Titulus XII.

Quid sit, quomodo, coram quo iudice, & super quibus.

QVID SIT, ET QVOMODO. Quandoque reus contendere existimat, & non habet exceptiones iure competentes; sed habet actorem ipsum obligatum, quem reconuenire potest, ne iudicij continentia diuidatur; vnde ponitur definitio reconuentionis, *est petitio rei conuenti apud iudicem conuentionis principalis instituta contra actorem per vicissitudinem, Authen. & consequenter*, C. *de senten. interlocut.* Dixi, *apud iudicem conuentionis*, quia actor non dedignatur eum habere contra se in iudicem in eodem negotio, dum reo conuenit coram eodem, *cap. accusatores, §. cuius agendo, 3. quæst.* 8. Dixi *per vicissitudinem*, quia conuentionis, & reconuentionis causa pari iure censentur, Gugliel. Duran. *specul. iur. hoc tit.* §. *videndum, num.* 1. *&* 7. Et non solum fieri potest coram iudice ordinario, verùm etiam coram delegato, etiam in causa spirituali, Fagn. *in cap. G. perpetuus, num.* 7. *de fide instrum.* ratio est, quia iurisdictio delegata procedit à iure, & in materia reconuentionis succedit iuris dispositio, Abb. *in cap.* 1. *num.* 1. *de mutuis petit.* & Lancell. *institut. canon. lib.* 3. *hoc tit.* §. *nec solum*. Contrarium militat in arbitris; disparitas est, quia arbitrium procedit ex mero facto sola voluntate partium, & non debet extendi vltra id, quod partes disposuerunt; quoniã recesserunt à iure, quæ omnia non verificantur in delegatis, vt firmat Abb. vbi supra, *num.* 33. & Lancell. *dicto* §. *de arbitris*.

Oppones. Delegatus habet iurisdictionem limitatam, non extendibilem, nisi ad personas, & causas in delegatione contentas, Abb. *in cap. P. & G.* 40. *num.* 1. *de off. deleg.* sed per reconuentionem prorogatur iurisdictio iudicis ad alias personas, & causas; ergo non datur reconuentio coram delegato.

Respondetur distinguendo minorem. Prorogatur iurisdictio ad alias personas, & causas per actum voluntarium, nego; ex cau-

causa necessitatis, & concedo; nam quia causa conuentionis est connexa cum causa reconuentionis, inducit necessitatem reconuento, vt respondeat, *dicta Authen. & consequenter*; ideoque permittitur iudicium reconuentionis coram delegato.

CORAM QVO. Quæritur, an actor reconueniri possit de causa criminali, vel de alia causa maiori in quantitate coram iudice conuentionis.

Respondetur distinguendo. Aut iudicis impedimentum consideratur ex priuilegio personæ, vel ex priuilegio causæ. Primo casu, si actor sit Clericus, & iudex laicus, locum habet reconuentio; nam ex quo priuilegiata persona elegit iudicem pro se, eundem contra se habere debebit, vt probat Abb. Panorm. *in cap. at si clerici, num.*20. *de iudic.* & Maran. *in prax. par.*4. *dist.6. num.*53.

Secundo casu subdistingues. Vel causa conuentionis differt à causa reconuentionis in specie, vel in quantitate secundum plus, & minus. Primo casu, non datur reconuentio; vt est: si coram iudice sæculari fiat reconuentio de causa spirituali; vel coram iudice ciuili de causa criminali; nam iurisdictio iudicis est limitata ad aliquas causas, & prorogatio præsupponit illum iudicem esse talem, verum quia ille non habet iurisdictionem in causa spirituali, vel criminali, meritò non vis potest prorogari, Abb. *vbi supra, n.* 12. & Doctores *in dicta Authen. & consequenter*.

Si vero causa conuentionis differat secundum plus & minus à causa reconuentionis, datur reconuentio; nam non per hoc actor petit decem, & reus centum, resultat quod idem iudex procedere non valeat in vtroque iudicio, vt per DD. *supra citatos ibidem*. Quæ reconuentio regulariter fit ante litis contestationem, eodem durante iudicio, dummodo non sit conclusum in causa; non per hoc tamen prohibetur, vt post litis contestationem efficiatur, Robert. Maran. *in prax. par.*4. *distin.6. num.*5.

IN QVIBVS REBVS. Aduerte, quod quælibet causa est obiectum reconuentionis, exclusis causis exequutiuis, *l. vn. C. de confessionib.* nec non exclusis causis spoliationis, nisi alia sit spoliatio, *cap. super*, 4. *de ordin. cognit.* & causis momentaneæ possessionis, *l. vlt. C. qui legit. person. stan. in iud.* In his

Digitized by Google

casibus non habet locum reconuentio:nec minus de causa ciuili cum criminali, Maran. *dicta par.4. dist.6. n.56.* Nec datur quando reus vult reconuenire actorem coram iudice laico in causa decimarum, vel iuris patronatus, *cap. relatum*, 21. *§. ad hoc, de iure patron.* iuncto *cap. grauem*, 15. *de excess. prælat.*

De pactis.

Titulus XIII.

Pactum vnde dicatur, & quotuplex sit, quibus permittatur patisci, quomodo de quibus rebus, & quas vires habeat.

VNDE DICATVR. Pacta dicuntur *à pace*, *& actu*, sicque ad pacem, & quietem inter homines inducendam inducta fuere, *Vlpian. in l.1. ff. de pactis*. Quæ pacta fuerunt inuenta de iure naturali primeuo; nam omnes Theologi testantur matrimonium in Paradiso terrestri initiatum fuisse, quod in se duorum consensu constat, *cap. ius naturale*, 7. *distin.*1. Et quia de iure naturali omnia erant communia, deinde iure gentium ob diuisionem bonorum fuit introductum meum, & tuum, *cap. quo iure*, 1. *distin.* 8. Hinc est pacta, aliqua iure naturali ex certis causis ad certum finem inducta fuisse; pleraque iure gentium; & alia iure Ciuili, & hæc tantum producunt obligationem ciuilem; quia fuerunt recepta de iure Ciuili; & non alia ab eo non approbata, quibus ius Ciuile resistit, Bolognett. *in rubr. C. de pactis*, *num.* 18.

QVID SIT. Pactum ita definitur, *est duorum, vel plurium in idem placitum, & consensus*, *l.1. ff. de pactis*. Dixi *duorum*, ad differentiam pollicitationis, quæ est sola offerentis promissio. Dixi *plurium*, quia plures possunt esse ab vtraque parte. Dixi *in idem*, nam si vnus vellet promittere bouem, & alius vellet accipere equum, non potest dici pactum; quamuis consentiant in aliquo dando, *l.1. §. si ius, ff. de verb. signif.* Dixi *placitum*, *& consensus*, idest placitus consensus, seu voluntarius consensus.

QVOMODO CONTRAHATVR, ET QVOTVPLEX SIT. Pa-

Pactum in genere sumptum contrahitur re, verbis, literis, & consensu, Azon. *in sum. C. hoc tit. num.* 23. & diuiditur in pluries species 1. Alia sunt expressa, & alia tacita. Pacta expressa sunt, quæ ad oculum, vel auditum apparent per scripturam, vel per prolationem verborum. Pacta tacita verò sunt, quando ex coniecturis comprehenduntur, vt quando creditor reddit debitori suo instrumentum, *l. labeo*, 2. *l. postquam*, 3. *& l. item*, 4. *ff. eod.* Quæ pacta tacita, vel habent legalem consensum; vel naturalem veluti ex signis demonstrantibus consensum.

Secundò. Quædam sunt personalia, & quædam realia. Personalia sunt, quæ personam paciscentium respiciunt, & eas non egrediuntur, *l. si vnus*, 28. §. *ante*, *ff. eod.* ideoque non transeunt ad singularem successorem, *decis.* 669. *num.* 1. *par.* 1. *recent.* Excipitur pactum personale initum cum filio familias, quia transit ad patrem, qnando est ad eius fauorem, *l. acquirent*, 20. §. *item*, *ff. de pactis*. An pactum factum cum reo prosit fideiussori, vide textum *in l.* 24. *cum sequentibus*, *ff. eod.* Pacta realia versantur circa res, & transeunt cum ipsa re ad possessores, *l. tale pactum*, 41. *ff. de pactis*.

Tertiò. Aliud est pactum de petendo; & dicitur quando, post pactum de non petendo, fit nouum pactum obligatorium, & hoc pactum debet aliquid operari, Gugliel. Duran. *specul. iur.* §. 2. *num.* 3. *&* 4. sed non resuscitat obligationem naturalem sublatam per primum pactum de non petendo, Buratt. *decis.* 469. *num.* 3.

Vltimò. Aliud est pactum correspectiuum, & aliud simplex. Correspectiuum dicitur, quando interuenit consensus duorum ab vtraque parte, *l. labeo*, 19. §. 1. *ff. de verbor. & rer. signif.* Pactum simplex est quando plures conueniunt ab vna parte tãtum, vt aliquid fiat, vel detur; & hoc dicitur pactum nudum, & vestitur re, verbis, literis, iuramento, & contractus coherentia, Fagn. *in cap. antigonus*, *num.* 19. *de pactis*, & Buratt. *decis.* 373. *num.* 5.

Quæ pacta differunt inter se: præsertim pactum nudum distinguitur ab alijs, quia pactum nudum solum inducit obligationem naturalem, & de iure Canonico tantum producit actionem, non autem de iure Ciuili, cum non sit ab eo approbatum, *cap.* 1. *&* 2. *de pactis*.

Op-

Oppones in materia peccati ſeruatur ius Canonicum, etiam de iure Ciuili, *cap. fin. de praeſcript.* Sed qui pacta nuda non ſeruat rumpit fidem, & continet cauſam peccandi, *cap. iuramenti, 22. quaeſt. 5.* ergo etiam de iure Ciuili pacta nuda producunt actionem.

Reſponditur negando conſequentiam; nam textus *in cap. iuramenti* procedit, quando quis indebitè priuatur iure ſuo; ſed quia ex pacto nudo creditor nullum ius acquirit, ideo non producit actionem; per pactum nudum enim quis inaduertenter promittit aliquid; cum multa offeramus, quae nolumus dare, & credimus non acceptari, qua propter ex tali peccato paruo non debet induci correctio iuris Ciuilis, Bologn. *in rubr. C. de pactis, num. 55.*

A' QVIBVS. Paciſci eſt de genere permiſſorum, & omnibus permittitur, *l. quod ſi minor, 25. §. non ſemper, ff. de minorib.* excipiuntur tamen illi, qui nullo iudicio, & intellectu praediti ſunt, vt amentes, & furioſi, *l. 1. §. furioſum, ff. de actionib.* ac etiam illi, qui à lege prohibentur contrahere, vt ſunt minores, prodigi, & mulieres, *l. 1. ff. de minor. & l. in negotijs, 5. ff. de regul. iur.*

QVOMODO. Quae pacta de ſubſtantia indigent conſenſu duorum, & ſemper ſunt ſeruanda, *l. pacta, 12. C. de pactis.* Per pacta poſteriora derogatur prioribus, *l. ſi vnus, 28. §. pactus, ff. eod.* & Merlin. *deciſ. 608. num. 13.*

DE QVIBVS REBVS. Pacta fieri poſſunt ſuper omnibus rebus, quae ſunt in commercio noſtro; excluduntur tamen turpes pactiones, quia reprobantur à iure; & puniuntur paciſcentes de turpi re, vt de faciendo homicidium, Fagn. *in dicto cap. antigonus, num. 4. de pact.* & Analyſ. *iur. potif. eodem, §. de illis rebus.*

EFFECTVS. Vires pactorum ſunt elidere, parere, perimere, & informare, Azon. *in ſum. C. hoc tit. num. 14.* Sicque pacta ſunt efficacia ad agendum, & excipiendum; proſunt, & nocent eis, cum quibus facta ſunt, *l. ſi vnus, 28. §. ante omnia, ff. de pactis.*

De

De transactionibus.

Titulus XIV.

Transactio, quid, & quotuplex sit, quibus detur facultas transigendi super quibus bonis, quas vires habeat, & quomodo impugnetur.

QVID SIT. Transactio dicitur *ab actionis transitione*, & ita definitur, *est de re dubia, & lite incerta, neque finita non gratuita pactio*, Fagn. *in cap. veniens, num. 16. eod.* & Azon. *in sum. C. hoc tit. num* 1. Quæ de sui natura requirit, vt aliquid detur, promittatur, vel retineatur, Idem *in cap. contingit, num. 31. de arbitr.*

QVOTVPLEX. Duplex est generalis, & specialis. Generalis, est cuiusque negotii de quo futura lis non timetur definitio; & hæc extenditur ad pactum, & rem iudicatam, *l. transactio, 229. ff. de verb. signif.* Specialis verò est contractus innominatus, quo inter litigatores res dubia, & litigiosa aliquo contra dato, vel promisso remittitur, vel finitur, *l. sub prætextu, 19. C. eodem.*

QVIS POTEST TRANSIGERE. Facultas transigendi conceditur illis, qui habent liberam administrationem rerum suarum; & alijs, qui administrant res alienas, atque habent speciale mandatum ad transigendum, *l. procurator, 1. ff. de procurator.* & Azon. *vbi supra num. 3.* Intellige quando res controuersa est ciuilis, vel criminalis, *l. 2. C. eodem.* Secùs autem, si sit spiritualis; quia dari non debet quid temporale, ad euitandum crimen simoniæ, *cap. cum pridem, 4. de pactis*, & *cap. præterea, 9. de transact.* Et si sit facta de rebus Ecclesiæ per prælatum sine consensu superioris, non obligat successorem, Fagn. *in cap. veniens, num. 1. hoc titulo.*

EFFECTVS. Huius causa finalis est, vt finis litibus imponatur; vnde Imperatores lites transactione legitimè sopitas, nec imperiali rescripto volunt resuscitari, *l. transactionis, 7.* & *l. fratris, 10. C. eod.* ideoque prætextu instrumenti nouiter reperti transactio non retractatur, *l. causas, 16.* & *l. sub prætextu, 19. C. eodem*, nam per transactionem tollitur ipso iure natura-lis

lis obligatio; nam tranſactio eſt paris authoritatis cum ſententia in excipiendo, imò maioris; quia non retractatur per appellationem, Azon. *vbi ſupra, num.* 11. *&* 12. hac de cauſa habet vim rei iudicatæ, *deciſ. 699. num.* 7. *par.* 4. *recent.* & impedit litis ingreſſum, *deciſ. 539. num.* 1. *par.* 1. *recen.*

EX QVIBVS CAVSIS VITIATVR. Nota vltimò, quod ex pluribus cauſis tranſactio impugnatur. 1. Dolo, ob quem non ipſo iure reſcinditur, ſed ope exceptionis, *l.* 4. *& l. ſub praetextu,* 19. *C. eodem* 2. Falſitate, *l. penul.* C. *eodem*, 3. Ex ſimoniaca conuentione, *cap. ſuper eo,* 7. *de tranſact.* 4. Metu, quoniam id quod metu geſtum eſt, retractatur per in integrum reſtitutionem, *l. interpoſitas,* 13. *C. eodem.* Vltimò: Quando Eccleſia eſt læſa enormiſſimè, tunc reſtituitur integrum intra quadriennium, non obſtante tranſactione, *deciſ.* 539. *num.* 2. *par.* 1. & *deciſ.* 511. *num.* 9. *par.* 4. *lib.* 3. *recen.* Impugnans tranſactionem non auditur, niſi reſtituto omni eo, quod ex tranſactione accepit, *deciſ. 539. num.* 6. *par.* 1. *recen.*

De probationibus.

Titulus XV.

Probatio, quid, & quotuplex ſit, ad quem ſpectet onus probandi, & ad quid.

QVID, ET QVOTVPLEX SIT. Hic agitur de probatione in genere, quæ ſic definiri poteſt, *eſt rei dubiæ in iudicio legitimè facta probatio,* Hoſtien. *in ſum. hoc tit. num.* 1. Et duplex eſt iuris, & facti. Iuris eſt per leges, & canones. Facti ſubdiuiditur, vel fit per confeſſionem, vel per teſtes, vel per inſtrumenta vel per iuramenti delationem, vt infra.

A' QVO, ET QVANDO. Vnum nota, quod probatio afferri poteſt, tam ab actore, quam à reo, cum diſtinctionis moderamine; nam primò incumbit actori, vt intentionem ſuam probet; qua non probata reus abſoluitur, etiam ſi nihil præſtiterit, *l. actor,* 23. *C. de probat.* Et productis probationibus, ſi reus excipiat, quia excipiendo vicem actoris ſubit, pari ratione ille exceptionem probare tenetur, *l.* 1. *C. eod.* Transfertur

tamen

tamen onus probandi reo non probata intentione actoris, quando excipiendo debitor dicit solui, quia per illam exceptionē fatetur debitum, & probare tenetur suam intentionem, *cap. ex literis, 3. eod. & cap. auditis 15. de praescript.* Secus est, quando negat consignationem pecuniae, quia tunc ipse actor probare tenetur traditionem, *l. si ex cautione, 3. C. de non numer. pecun.*

De confessione.

Quid, & quotuplex sit, quae illius requisita. Et quibus modis impugnatur.

QVID SIT. Quia confessio releuat partem ab onere probandi, connumeratur inter species probationum. Imò dicitur maior species probationis, iuxta illud dictum, nulla maior probatio, quam oris proprij confessio, *l. 1. ff. de confessis,* Et etiam si facta sit in iudicio, lite non contestata, releuat actorem à probando, Bart. *in dicta l. 1. num. 2.* nam confessio videtur habere vim sententiae, vt notat Abb. *in cap. querenti de off. delegat.* Sed quia melius explicatur per diuisionem.

QVOTVPLEX. Primò diuiditur. Alia est inter viuos, & alia causa mortis. Confessio inter viuos, vel fit in iudicio, vel extra iudicium. Confessio iudicialis, alia dicitur sacramentalis, seu in foro poli, & de hac actum est supra; ac est actus iudicialis, & esse debet integra, vt per Fagn. *in cap. omnis, num. 26. & 53. de paeniten. & remiss.* Alia dicitur in foro fori, & haec fieri potest in causa ciuili, & in causa criminali. Confessus in causa ciuili habetur pro condemnato, & non requiritur alia sententia, *l. 1. ff. & C. de confess.* Confessio in causa criminali fieri potest dupliciter purè, & qualificatè. Purè, vt quando spontè crimen confitetur, sine aliqua conditione; vel metu tormentorum; dummodo deindè confessionem ratificet post tormenta passa, Azon. *in sum. C. de confessis, num. 14. & 19.* & Iul. Clar. *in prax. crim. lib. 5. §. fin. quaest. 64. num. 40.* Secundum aliquos DD. reus, qui spontè confessus est crimen, mitius punitur; secus est de eo, qui probationibus conuictus est, *argum. l. vn. C. de his, qui se defer.* Verum Iul. Clar. *vbi supra, §. fin. quaest. 60. num. 34.* tenet contrarium; quia iudices de hoc non curant,

 & nun-

Digitized by Google

& nunquam seruari vidisse attestatur, vnde *ibidem num.* 34. quæritur: an iudex ratione amicitiæ, quam habet cum reo possit ei pænam remittere. Respondetur distinguendo, aut loquimur in supremo Principe, & non est inconueniens illam remittere sine præiudicio tertij. Aut est iudex inferior, & detestatur, nisi tamen pæna esset arbitraria, quia eo casu secundum conscientiæ motum, mitius agere potest cum amico, Idem *in dicto* §. *fin. quæst.* 85. *ver. vlterius quæro*.

Confessio in causa criminali qualificata est, quando reus confitetur occidisse Titium, non animo iniuriandi, sed ad sui defensionem Prima pars confessionis creditur, minimè vero illa qualitas defensionis, Doctores *in l.* 1. *ff. de sicar.* & Gabr. *lib.* 7. *concl.* 19. *per tot.* Et nisi deinde illam qualitatem probet, potest condemnari, Iason *in l. vt vim, num.* 13. *ff. de iust. & iur.* & Iul. Clar. *dicto* §. *fin. quæst.* 55. *num.* 15. *in medio*: ratio est, quia contra illam qualitatem vrget præsumptio iuris: quæ est, vt quilibet occidens censeatur habere animum offendendi, nisi contrarium probetur, *l.* 1. C. *ad legem cornel. de sicar.* Verum Rober. Maran. *in prax. par.* 6. *de confessis*, *num.* 29. ait, quod etiam non probata illa qualitate mitius punitur. Si vero contra illa qualitatem, nulla sit præsumptio iuris: iterum subdistingue, vel est sub vno capitulo, & tota debet acceptari, vel repudiari: vt est si reus confiteatur promisisse sub conditione non est diuidenda. Sed si sit sub diuerso capitulo; vt si dicat mutuasti mihi centum, sed fecisti pactum de non petendo, potest acceptari illa prima pars, & alia repudiari. Abb. *in cap. bonæ, de postul. præl.* t. & Maran. *vbi supra num.* 30.

Confessio extraiudicialis dicitur illa, quæ fit extra iudicium, & in criminibus facit inditium ad torturam, siue parte præsente, siue absente, Maran. *eod. tit. de confessionibus, num.* 3. & hæc non sufficit ad probationem delicti, Iul. Clar. *dicto* §. *fin. quæst.* 55. Limitatur in pluribus casibus, in quibus confessio extraiudicialis plenè probat, vt per Felin. *in cap. olim, & in cap. at si clerici, de iudicijs*. Et in reliquis vt pariat indicium requiritur, quod sit probata ex pluribus testibus contestibus de loco, tempore, & verbis, & sint omni exceptione maiores, Farin. *in prax. quæst.* 82. *num.* 47. Idem *cons.* 70. *num.* 43. & Guazz. *ad defens. reor. defen.* 32. *cap.* 34. *num.* 14.

Confessio extraiudicialis in ciuilibus; aut fit parte præsente, atque

atque probatur per duos testes & tunc facit plenam probationem, & præiudicat etiam hæredi confitentis, Bald. *in l. 1. ver. quaro, C. ex delict.def.* Limitatur, quando fit parte præsente ad impugnandum instrumentum celebratum in scriptis, quia tunc vltra confessionem parte præsente, requiruntur quinque testes contestes rogati, vt *in l. testium, 14. C. de test b.* Aut fit parte absente, & tunc probata confessione per duos testes semiplenè probat, Rober. Maran. *eod.tit. num.2. & 12.*

Iterum distingue, aut illa confessio extraiudicialis est ad liberandum, vel ad se obligandum. Primò casu, v. gr. quando creditor fatetur recepisse pecuniam debitam à Titio; tunc etiam si adhibiti sint tres testes solemniter post 30. dies facti cõtractus, & nõ ante præiudicat dicta confessio creditori; quia ante obstabat exceptio nõ numeratæ pecuniæ, *l. incontractibus, 14. C. de non numer. pecun.* Secundo casu subdistingue: Vel est cum causa, & se tenet ex parte mutuatarij, vel viri, qui fatetur recepisse pecuniam sub spe futuræ numerationis, & hæc non statim parit effectum, nisi post biennium à die confessionis, *toto tit. C. de non numer. pecun.* Vel est sine causa, v. gr. fassus est simpliciter debere centum Titio, & hæc nullum parit præiudicium, nisi aliter probetur debitum, Alexan. *in l. cum de indebito, §. fin. ff. de probat.* & Maran. *loco citato, num.6. in prin.*

Demùm, confessio causa mortis duplex est; vel fit ad se obligandum alteri capaci, & tunc valet, etiam si nihil debuerit, *l. cum quis, 35. §. Titia, ff. de legat. 3.* sed si dicat lego centum vxori meæ, quæ mihi dedit in dotem, vt in tali instrumento; non debentur, nisi docto de illo instrumento, *l. legaui, 26 ff. de liberatione legata.* Vel fit ad liberandum, & valet vnde si testator dicat, solutus sum à Caio; illa confessio præiudicat hæredi, nisi probet testatorem errasse, *l. 1. C. de falsa causa adiecta.*

REQVISITA. Aduerte, quod ad hoc vt confessio sit vera, & iuridica plura requiruntur, scilicet legitimatio personæ; spontanea voluntas; quod non sit facta per errorem; quod non sit pro confitente; quod fiat coram iudice competente; præsente aduersario; & demum quod sit certa, non æquiuoca, Lancell. *tit. de probatione, §. redditis, & ibi glos. ver. legitimam confessionem.*

VITIATVR. Ex hoc infertur, quod pluribus modis confessio impugnatur. 1. Quando est erronea: Et distingue, aut est error

iuris, vel facti; si sit error iuris, non potest reuocari, *l. 1. & l. error, 78 ff. de iur. & fact. ignoran.* Vel est error facti, & subdistingue: Aut est error facti alieni, & potest emendari; Aut est error in facto proprio, & hic est iniustus, & non sic de facili releuat; potest tamen probari ante finitum negotium, *l. error, 87. C. de iur. & fact. ignor.* & pro hac materia videndus est Abb. *in cap. ex parte, num. 20. & sequen. de confessis.* 2. Impugnatur quando est facta metu mortis, vel metu tormentorum, & confessus non perseuerat in confessione, *cap. 1. 15. quæst. 6.* & *toto tit. quod metus causa.* Sed si efficiatur in carceribus non dicitur metu tormentorum extorta, alias omnes processus criminales destruerentur, vt ait Iul. Clar. *in prax. lib. 5. §. fin. quæst. 69. num. 32.* 3. Vitiatur si sit simulata, *l. si non singuli, 5. C. si cert. petat.* 4. Quando est pro se, non probat, secus autem contra se; vt sunt libri mercatoris carentes debitis adminiculis, qui pro scribente non probant, *l. in er, 5. C. de conuent. fisc. lib. 10.*

Vltimò, alijs omissis: Si sit facta à pupillo, *cap. paruuli, 22. quæst. 5.* Et si confessus sit minor, 25. annorum, licet obligetur ex sua confessione, tamen restituitur, *l. si ex causa, 10. §. 11. ff. de minorib.* Quæ causa non suffragatur reo minori confesso in tormentis sine auctoritate curatoris, quoniam non requiritur, & in praxi non est in vsu, Clar. *vbi supra §. fin. quæst. 55. num. 12.*

De positionibus.

Quæ sint, in quid differant ab articulis, quæ illius requisita, à quo facendæ sint, quando, & quomodò.

DAntur plures termini habentes inter se aliquam cognationem, nempè capitulum, libellus, interrogatio, articulus, & positio. Capitulum, est nomen generale, & potest comprehendere articulum, & positionem. Libellus supra explicatus est; & respondens libello censetur litem contestari, minimè verò respondens positionibus, Rober. Maran. *in prax. par. 6. tit. de positionibus, num. 2. & 3.* Interrogationes specialiter fiunt ante litis contestationem; quandoque à iudice; & quandoque à parte. Articulus est pars intentionis continens id quod, quis probare intendit, puta per testes, vel scripturas, Specul. *in tit. de test. §. nunc videndum, ver. sciendum est;* & res-

reſpicit probationes faciendas per teſtes, vel ſcripturas in caſu quo poſitiones negantur, *cap. præſentiam*, 31. *de teſtib.* Vnde ordo eſt, vt prius fiant poſitiones, & ad eas producendum detur terminus, & poſtea detur alius terminus ad producendum articulos, vt per Maran. *vbi ſupra, num.* 1. *in medio*.

QVÆ SIT. Poſitio generice ita definitur, *eſt breuis narratio factum continens ad eliciendam veritatem concepta*, Bald. *in l.* 2. *§. quod obſeruari, C. de iuram. calum.* ſed magis in ſpecie ita definiri poteſt, *eſt pars intentionis continens id ſuper quo, quis petit ab aduerſario reſpondere*, Bal. *in l. generaliter*, §. *ſed iuramento, C. de reb. credit.* & Maran. *vbi ſupra*. Quæ poſitiones ſemper fiunt à parte, & poſt litis conteſtationem. Ponens nihil petit, ſed factum narrat, Fagn. *in cap. olim, num.* 45. *de lit. conteſt.* Exemplificatur poſitio: ſi velim te conuenire nomine hæreditario, dico, pono te eſſe hæredem talis; & reus reſpondere tenetur per verbum credit, vel non credit; hac de cauſa poſitiones veniunt loco probationis, & releuatur actor ab onere probandi; quia facta reſponſione conſona poſitioni habetur confeſſio rei, & ſecundum illam, etiam iudex iudicare poteſt, *cap.* 2. *de conf. ſſ. in* 6. *Clem. ſæpe*, 2. *de verb. ſignif.* & Specul. *tit. de poſitionibus*, §. 1.

REQVISITA. Quæ pro forma indigent pluribus requiſitis. Primò: Fieri debent poſitiuè, & non interrogatiuè, alias illis pars reſpondere non tenetur Maran. *vbi ſupra, num.* 13. Secundò: Eſſe debent affirmatiuæ, & non negatiuæ; quia ponens negatiuè nil ponit, ſed remouet, Fagn. *in dicto cap. olim, num.* 62. *&* 64. *de lit. conteſt.* Tertiò: Fieri debent in concreto, & ſuper facto aduerſarij; ac ſint iuſtæ, Gugl. Duran. Specul. iur. *vbi ſupra*, §. 9. *num.* 2. Vltimò: Non ſint ſuperfluæ, neque impertinentes, alias illis non eſt danda reſponſio, Petr. Ridol. *in prax. par.* 1. *cap.* 10. *num.* 65. *&* 51. Et cum ſint ita formatæ, ſunt iudici in ſcriptis præſentandæ, *cap. quoniam*, 11. *de probat.* à quo admitti ſolent cum clauſula *ſaluo iure impertinentium*; & illis ſublatis ab actore; iudex quærat à ponente, credis tu, quod in his poſitionibus continetur per iuramentum à te præſtitum; cum ille reſpondeat *ſic*, in fine cuiuslibet poſitionis ponatur verbum *credit*. Et deinde illis alia pars reſpondere tenetur medio iuramento; quando ponens illas tradidit medio iuramento, *dicto cap. præſentium*, 31. Quæ poſitiones iuratæ ſunt maioris

ris efficaciæ, Fagn. *in cap. lator, num.34. qui fil. sint l.git.*

A' QVO. Licet fieri debeant de consilio Aduocati, tamen responsiones nequaquam; imò responsio esse debet clara, ac vt de ipsa constare possit, est scribenda, Ridolph. *par.1. cap. 10. num.49.* Sed si dubitet de veritate positionis, petat dilationem, aut respondeat *dubito*. Et si sit incerta respondere non tenetur; secus est quando cessat hæc incertitudo, quia tunc tenetur per se ipsum respondere, aut per procuratorem habentem mãdatum specialissimum, Idem *in dicto cap. 10. num.* 70. Si ille procurator neget, vocandus est principalis, & cogitur respondere, Specul. iur. *citato tit. §. 6. num.18.* Quoties, quis citatus, & monitus à iudice ad respondendum positionibus recusauerit respondere, & contumaciter fit absens, habetur pro confesso, non ipso iure, sed facta declaratoria, *cap. cum secundum, 19. de haret. in 6, & cap. felicis, 5. de pænis, eod. lib.* Per quæ iura generaliter traditur regula; quod quamuis imponatur pæna ipso iure, tamen requiritur declaratoria, à qua declaratione non datur appellatio de iure Ciuili, sic vero de iure Canonico, Ridolph. *in prax. dicto cap.10 num.93. & 109.* verum Rota Romana nunquam deuenit ad hanc declarationem, sed procedit ad pænas contra contumacem quousque tedio affectus respondeat, Ridolph. *citato cap.10. num.101.*

QVANDO. Positiones fieri possunt ante, & post litis contestationem: Ante, super exceptionibus dilatorijs, & declinatorijs: Postea, super principali negotio, & hæ propriè dicuntur positiones; quia si reus respondeat per verbum *credit*, non sunt necessariæ aliæ probationes, Ridol. *par.2. cap.2. num.* 35. Quo casu esse debent breues, & fieri possunt, etiam merè negatiuè, *cap.1. de confessis in 6.* ad differentiam articulorum, qui nunquam possunt concipi negatiuè, quia essent improbabiles, nisi cohærerent loco, & tempori. Hinc est quod differunt positiones ab articulis. 1. Quia, qui ponit fatetur, minimè verò dans articulos, Idem *par.2. cap. 2. num. 36.* & Maran. *in prax. par.6. vbi supra, num. 6. & 7.* 2. Positiones censentur, quando fuit præfixus terminus ad respondendum; articuli verò non indigent hac præfixione, Idem *par.1. cap.11. num.48* & alias differentias refert Fagn. *in dicto cap. olim, num. 90.* nihilominus multis in locis articuli, & positiones promiscuè accipiuntur, Ludou. Greg. *decis.385. num.4.*

De

Digitized by Google

De testibus.

Titulus XVI.

Qui & quotuplices sint, quomodo sint producendi, super quibus interrogentur, à quo, qualiter publicentur dicta testium. Et quibus eorum propter varietatem fides præstanda sit.

QVI SINT. Post confessionem efficacior probatio fit per testes, qui dicuntur *personæ quarum dictis, & testimonio vtitur actor, vel reus ad fidem faciendam alicuius rei, cap. illud, 11. de præsumpt.*

QVOTVPLICES. Qui testes sunt in duplici specie probatorij, & reprobatorij. Probatorij dicuntur, qui se tenent ex parte actoris, & retinent aliquod vitium illegitimitatis, v. gr. si sint infames. Reprobatorij producuntur ex parte rei ad inualidandum dictum probatoriorum, *cap. licet dilectus, 49. de testib.* Vt euitetur processus in infinitum solum admittuntur reprobatorij probatoriorum; qui esse debent omni exceptione maiores, *citato cap. licet dilectus,* 49. Aliquando tamen reprobatorij possunt reprobari, Felin. *in cap. licet, il 3. eod.*

QVOMODO. Ad quos producendum iudex partibus terminum assignet, & in eorum admissione hæc seruari debent. Primò: Est citanda pars ad videndum iurare testes, *cap. 2. de testibus*, & à tali iuramento præstando nullum genus personarum eximitur, *cap. nuper, 51. eod.* imò Glos. *ibidem*, mensionem nem facit etiam de Prælatis. Secundò: Vt recipiantur in die iuridico, & non feriato, *cap.* 1. & ibi Butr. *num.* 10. *de ferijs*. Tertiò: Vt non audiantur, nisi se astringant iuramento; & iudex explicare tenetur grauitatem periurij, *cap. nuper, 51. & cap. venerabili, 52. de testibus*. Vltimò: Vt producantur, post litis contestationem, nisi timeatur de morte, vel absentia; quia tunc possunt recipi ad perpetuam rei memoriã, ne veritas occultetur, *cap. quoniam, 5. vt lit. non contestata*. Sed si examinentur ad perpetuam rei memoriam sine citatione partis non probant, etiam in iudicio manutentionis, Fagn. *in cap. in nomine Domini, num. 38. de testibus*.

SV-

SVPER QVIBVS sunt interrogandi. His concurrentibus, exhibitis interrogatoriis ab aduersario, adiuncto notario, à quolibet iudex seorsim veritatem exquirat, alias eorum examen non valet, *dicto cap. venerabilis*, 52. *& ibi* Fagn. *num.* 5. Iudex assistere debet in depositionibus testium, maximè in criminalibus; & illos debet interrogare de nomine, cognomine, patria, ætate, & de causa scientiæ, *cap. si habes*, 23. *quæst.* 3. Item examinet de omnibus circumstantijs, videlicet de loco, tempore, & fama, vt per Fagn. *dicto cap. in nomine Domini*, *num.* 1. *&* 12. Adducentes rationem rei, debent adducere per sensum ipsi rei correspondentem, *cap. testes*, 3. *quæst.* 9. & Abb. *in cap. cum causam, eodem*. Quæ requisita per hæc duo carmina enumerantur.

Auditus, visus, persona scientia, causa,
Fama, locus, tempus certum, credulitasque,
Dum testes recipit iudex, hæc cuncta notabit.

A' QVO. Quorum examen est committendum iudici illius territorij, sub quo testes degunt; coram quo partes compareant, & producant eorum iura, *l. iudices*, 17. *C. de fide instrum.* & si ille ex iustis causis allegetur suspectus; iterum ex officio alius nominetur cum potestate adiungendi notarium, non suspectum, *cap. statutum*, 11. §. *insuper, &* §. *notarium, de rescrip. in 6.* Hodie ob multiplicitatem negotiorum committitur Notario hoc munus examinandi citata parte, *cap. mulieres*, 2. *de iudicijs in 6.* & *Clemen.* 1. *de off. deleg.*

PVBLICATIO QVÆ ET QVOTVPLEX SIT. Postmodum iudex deuenit ad publicationem testium; quæ duplex est, insinuatiua, & pronunciatiua. Insinuatiua dicitur, quando dicta testium sunt discussa in disputationibus, *cap. fraternitatis*, 17. *de testibus*. Pronunciatiua dicitur, quando non fuerunt didicita testificata, Petr. Ridol. *in prax. par.* 1. *cap.* 11. *num.* 118.

AD QVID PVBLICANTVR. Sequuta insinuatiua publicatione testium, non licet super eisdem articulis, vel alijs de directo contrarijs eosdem, vel alios producere, & hoc propter timorem subornationis, *Clemen.* 2. *de testibus*, & Fagn. *in cap. intimauit, num.* 7. *eodem*; & hoc non solum in prima instantia,

verum

verum etiam in gradu appellationis ſecundū canoniſtas Guid. Pap. *quæſt.* 14. *&* 586. Quæ concluſio limitatur in pluribus caſibus, vt per Ridolph. *dicto cap.* 11. *num.* 125. *&* 126. Præſertim, quando agitur inter diuerſas perſonas, vel ſi ſit nouus articulus pendens ex veteri; aut ſi primæ atteſtationes ſint omiſſæ; vel ſi nulliter, aut abſcurè depoſuerunt, toto *tit. de teſtibus, & atteſtatibus*; nam tunc licet publicatis atteſtationibus producere ſuper eiſdem articulis eoſdem, vel alios teſtes, *cap. cum clamor,* 53. *& cap. fraternitatis,* 17. *eod.* Et ſi iudex dubitet de depoſitione alicuius teſtis, quæ forte videatur varia, poteſt illum reuocare ad redicendum ſuum examen, *cap. cum clamor.* 53. *§. quodſi, eod.* Hoc verificatur, quando ille depoſuit obſcurè, Abb. *in cap. fraternitatibus,* §. *repetere, & ibi* Glos. *de teſtibus.*

QVALES EX ILLIS IN CASV VARIATIONIS MAGIS PROBENT. Quoties teſtes, qui ab vna parte producuntur, ſunt varii inter ſe impari numero; illi attenduntur, qui ſunt proximiores vero, & aptiores naturæ negotii, *cap. quia veriſimile,* 10. *de præſumpt.* & *l. ob carmen,* 21. *§. ſi teſtes, ff. de teſtib.* Sed ſi teſtes actoris, & rei ſint pares. Conſideratur perſonarum authoritas, quæ conſiſtit in dignitate, & grauitate morum, *l.* 2. *&* 3. §. *ſi teſtes, ff. de teſtib.* & Lancell. *inſt. can. lib.* 3. *hoc tit.* §. *publicatis, verb. multitudinem, & ibi* Glos. Et ſi qualitas perſonarum par ſit; ponderandæ ſunt rationes, quibus dicta teſtiū firmantur. Et ſi teſtes teſtimoniorum fide ſint pares, recurrendum eſt ad numerum, *cap. in noſtra,* 32. *verſic. mandamus, de teſtib.* iuncta, *l.* 3. §. *eiuſdem quoque, ff. eod.* Et ſi in omnibus pares ſint, promptiores eſſe debemus ad abſoluendum, quam ad condemnandum, *cap. ex literis,* 3. *de probat.*

De impedimentis testium.

Quæ ſint, in quid differant inter ſe, quam vim habeant, & in quibus caſibus non teneantur ſe præſentare perſonaliter ad teſtificandum.

QVÆ SINT. Quia vſus teſtium frequentiſſimus eſt, tam in iudiciis ciuilibus, quam criminalibus, & ad minimum ſaltem duo teſtes requiruntur ad probandum cauſam, *cap. licet,*

23. *de testib.* & etiam aliquando vnicus cum fama plenè probat, vt per Fagn. *in cap. quod nobis*, *num.* 10. *de clandest. desponſ.* videre debemus, qui teſtari prohibeantur; & ad hunc effectum duo carmina dantur, quæ deinde declarantur.

Conditio, ſexus, ætas, diſcretio, fama,
Fortuna, fides, in teſtibus iuſta requiret.

QVIDITAS, ET DIFFERENTIÆ. *Conditio*, eſt primum impedimentum, quo mediante ſeruus in dominum teſtari prohibetur; quia metu domini dominantis ſæpe ſupprimit veritatem, *cap. forus*, 10. §. *teſtes, de verbor. ſignif.* Ampliatur in domeſticis, & familiaribus, & omnibus illis, qui ſunt in ſeruitio, hi enim prohibentur eſſe teſtes fauore illorum, quibus præſtant operas ſuas, *l.* 2. *C. eodem*, & *l. reſpiciendum*, 11. § *furta domeſtica, ff. de pœnis*. Idem militat in ſubditis, quibus imperari poteſt, vt fiant teſtes; intellige, quando tractatur de commodo priuato, non autem de commodo publico, *l. idonei*, 6. *ff. de teſtib.* Monachi, & Regulares ferre non debent teſtimonium abſque licentia ſuperioris: Si tamen de facto depoſuerunt, valet depoſitio; quia multa poſt factum tenent, quæ ab initio fieri non poterant, Lancell. *vbi ſupra* §. *monachi, verbo, licentiam, & ibi* Glos.

Sexus, adducitur ſecundum impedimentum, quod repellit mulierem à teſtimonio in criminali, & in teſtamento; & hoc ratione inconſtantiæ; quia eſt animal mutabile, & varium. Secundum Canones tamen, quando agitur ciuiliter de crimine admittitur, etiam contra Clericos, *cap. quoniam*, 3. & *cap. tam literis*, 33. *de teſtib. cap.* 2. *de iudic. in* 6. *l. ex eo*, 18. *de teſtibus*, & Analys. *iur. pontif. lib.* 2. *tit.* 2. §. *primo igitur*. In caſu quo mulier ferre poteſt teſtimonium, non eſt trahenda ad locum iudicij, ſed potius mitti debet tabellio, vel alia perſona honeſta in domum ipſius, *cap.* 2. *de iudic. in* 6. Hoc fit propter ſexus honeſtatem; qua ratione, pro debito ciuili non exequuntur perſonaliter, *Authen. ſed nouo iure*, *C. de cuſtodia reorum*. Lancell. *inſtit. can. lib.* 3. *tit. de probationib.* §. *cuius ætas*, propter quam rationē pupillus non admittitur ad teſtandum, *l.* 2. *ff. de teſtam.* Limitatur, quando agitur de crimine læſæ maieſtatis, quia tunc admittitur minor 14. annorum.

rum. *l. de minore*, 10. *ff. de quaestionibus*.

Discretio in testimonijs desiderata repellit furiosos, mente captos, & huiusmodi homines mentis sensu priuatos, *§. furiosus. Institut. de inutil. stipulat.*

Fama impedit admissionem infamium; vnde diffamatus de tali crimine, quod post emendationem relinquit infamiam non auditur. Idem est, quando perseuerat in crimine; secus si sit emendatus quia potest audiri in criminalibus, & in ciuilibus nisi sit infamis, Lancell. *huc tit. §. planè.* Nota, quod hæreticus contra fidelem repellitur, non autem è contra, *cap. testimonium*, 54. *de testib. & cap. praterea*, 7. *§. quorum, de testib. cogend.* Disparitas est, quia christiani habent præsumptionem fidei pro se quam non habent infideles, *Clemen.* 1. *de testib.*

Adde aliud impedimentum, id est *coniunctio*, propter quam pater in filium, & è contra idoneus testis esse non potest, tam in causa criminali, quam ciuili, *l. parentes*, 5. *C. eod.* & *l. testis idoneus*, 9. *ff. de testibus*. Limitatur in causa matrimonij, quia admittuntur reciprocè, & in pluribus alijs casibus, Menoc. *de arbitris*, *cas.* 102. *num.* 11. *& cas.* 106. *num.* 19. & Mascard. *de probat. conclus.* 1148. *num.* 15. Frater contra fratrem, nec in ciuili, nec in criminali cogitur testificari; volens autem testari in nullo iudicio repellitur, *l. iulia*, 4. *ff. de testibus*, & *l.* 3. *ff. eod.* Item quis in causa propria testis esse non potest, *l. nullus*, 10. *ff. eodem*, & *l. omnibus*, 9. *C. de testibus*. Vltimò, neque aduocatus, & procurator in ea causa, in qua patrocinium præstitit testimonium facere potest, *cap. insuper*, 6. *de testibus*, iuncta *l. fin. ff. eodem*.

Quæritur: An exceptiones peremptoriæ opponi possint post sententiam.

Respondetur distinguendo. Aut ab illa sententia fuit appellatum, & possunt opponi in gradu appellationis, iuxta regulam, non probatum probabo, *l. 2 ff. de exceptionib.* Fallit, quando dolo malo, suo tempore, in prima instantia reus proponere distulerit, quia tunc in gradu appellationis denegabitur facultas

illas

illas opponendi, Lancell. *vbi supra*, *§. cætera vero*. Aut non fuit appellatum, & sententia transit in rem iudicatam; & tunc regulariter non possunt opponi, nisi per in integrum restitutionem, vt est cum excipiens sit minor, de qua infra.

REPLICATIO QVID SIT. Aduersus exceptionem datur replicatio, deinde duplicatio, postmodùm triplicatio, & quatruplicatio; sed de iure Canonico aboletur iste processus in infinitum, ne nimium extrahatur iudicium, *l. 2. ff. de exceptionibus*, & Abb. *in cap. licet, 49. de testib.* Replicatio est exceptio competens actori contra exceptionem rei, per quam actor adiuuat suam intentionem, *l. si ex maiori, 7. C. de excep.* in quocumque casu esse debet pertinens; vt si excipio de excommunicatione, debes replicare de absolutione. Proprium enim est replicationis, quod sit exclusoria, *l. 2. §. illud ff. de except.* Vt sit perpetua, *l. si pactum, 6. C. eodem*. Et vt probetur post fundatam rei intentionem, *l. 3. C. eodem*.

De exceptionibus dilatorijs.

Quæ, & quotuplex sit, in qua parte iudicij opponatur, & quam vim habeat,

QVÆ SIT, ET QVOTVPLEX. Exceptio dilatoria, alio nomine nuncupatur temporalis, quia ad tempus differt causæ expeditionem, & non perimit negocium principale, Analys. *iur. pontif. tit. de exceptionibus*, *§. sunt illa*. Et duplex est declinatoria, & de hac specie visum est supra *in titulo de foro competenti*; & dilatoria intentionis, vt est exceptio libelli obscuri, & similes; sub hac specie comprehenditur, etiam exceptio excommunicationis, per quam excommunicatus potest conueniri, & auditur excipiendo, sed non agendo, *cap. intelleximus, 7. de iudicijs*.

QVANDO, ET QVAM VIM HABEAT. Quæ exceptio dilatoria regulariter est proponenda ante litis ingressum, Fagn. *in cap. intelleximus, n. 16 d. ordin. cogni*. & est iustificanda post quam excipiens ostenderit, quod asseuerat, *l. exceptionem, 19. C. de probat.* Limitatur, quando superuenit ex facto aduersarij post litem contestatam, aut quando iudex reseruat parti dila-

 torias;

torias; quia tunc opponi possunt, etiam post litem contestatam, Idem *in dicto cap. intelleximus*, *num.* 19. Felin. *in cap. exceptionem*, *num.*20.*&* 24. *de except. & l.fin.C.eod.*

De sententia.

Titulus XX.

Quid & quotuplex sit, quæ genera causarum in ea concurrant, quam vim habeat, & quibus modis rescindatur.

QVID, ET QVOTVPLEX SIT. Sententia in genere sumpta dicitur *à sentiendo*; quia iudex iudicat secundũ id, quod sentit, Rober. Maran. *in prax. par.6. act.* 10. *num.* 1. Dantur plures termini, qui inter se cognationem habent, nempè mulcta, præceptum decretum, & sententia; quæ diuiditur in interloquutoriam, & diffinitiuam. Vnum est, quod appellatione sententiæ venit diffinitiua, Fagn. *in cap. super eo*, il secondo, *num.6. de appellat.*

Mulcta dicitur, cum iudex propter euidentem litigatoris cõtumaciam ipsum pecuniariter mulctat, vt *in tit.C.de modo mulctandi.* Quæ à quolibet iudice propter inopiam rei potest temperari, etiam post sententiam, Idem *in cap. irrefragabili*, §. *ceterum*, *num.*32. *de off.ordinar.* Et differt à pæna, quia mulcta infligitur in pecunia, & infamiam non irrogat, *l.* 1. *C. de modo mulctandi.* Pæna verò totùm è contra; tum quia, à pæna non appellatur, sic vero à mulcta, *l. si qua*, 244. *ff. de verbor. signif.*

Præceptum est, cum quis petat à reo in iudicio decem absque libello, sed cum instrumento debiti, & reus confitetur de plano; tunc iudex præcipit, vt soluat intra certum terminum. Dicitur præceptum, quia non est seruatus ordo iudiciarius, *l.fin. ff. quod metus causa.* Si illud præceptum fit per modum sententiæ, vel interdicti, expirat per mortem præcipientis. Fagn. *in cap. à nobis*, il primo, *num.*52.*de senten.excom.*

Decretum: si sumatur strictè comprehendit tantum sententiam interloquutoriam; vt est decretum in alienatione bonorum pupilli, Maran. *vbi supra*, *num.*29. Datur etiam decretum irri-

irritans, & apponitur ad finem remouendi obstacula impedientia executionem actus super quo decernitur, Idem *in cap. cum accessissent, num. 33. de constitut.* & quia importat formam, à partibus renunciari non potest, Idem *in cap. ad nostram, num. 23. de regular. in cap. ad apostolicam, num. 24. eodem tit. in cap. licet, n. 55. de foro competenti.* Ita vt, quidquid operatur contra dictum decretum, irritum sit ipso iure, Idem *in cap. cum olim, num. 53. de maior. & obedien.* Dantur quoque decreta generalia, quæ ante publicationem non ligant, Fagn. *in cap. nullus, num. 45. de paroch.*

Sententia interloquutoria *est, quæ interponitur inter principium, & finem causæ super incidentibus quæstionibus, & non super principali, cap. significantibus, 33. de off. deleg.* & *cap. significauerunt, 36. de testibus.*

Sententia demum diffinitiua, *est iudicialis diffinitio controuersiæ finem imponens per absolutionem, vel condemnationem*, Card. Hostien. *in sum. hoc tit. n. 1.* Qui termini, nempè mulcta, decretum, præceptum, & sententia differunt inter se; & omnes sunt reducibiles ad sententiam diffinitiuam, & interlocutoriã, Lancell. *inst. t. can. lib. 3. hoc tit. §. sententiarum.*

GENERA CAVSARVM. Aduerte, quod in qualibet sententia concurrere debent quatuor genera causarum, scilicet efficiens, formalis materialis, & finalis. Efficiens est iudex competens, qui iurisdictionem habeat in quæstione proposita, *cap. at si clerici, 4. de iudicijs*; nam si sit lata à non suo iudice, est ipso iure nulla, Fagn. *in cap. responso, num. 105. de senten. excom.* Qui iudex sit sanus mẽte, & non furiosus, vel surdus & mutus, *l. cum prætor, 12. §. non autem*, & *l. iudex datus, 46. de iudicijs.* Neque sit cæcus, vt distinguit, *l. cæcus, 6. ff. de iudicijs*, Neque illiteratus, *cap. exceptionem, 12. de except.* & Specul. iur. Gugl. Duran. *hoc tit. §. 1. num. 1. & 2.* Non sit infamis, neque excõmunicatus notorius. Et si sint plures iudices delegati, omnes simul pronunciare debent, *cap. causam matrimonij, 16. de officio delegat.*

Causa formalis est quatruplex respectu iudicis, respectu tẽporis, respectu litigantium, & respectu ipsius sententiæ. Respectu iudicis, continere debet nomen iudicis; & dicat an sit ordinarius, vel delegatus; ac etiam continere debet nomina litigantium; absolutionem, vel condemnationem, & alia,

vt

torias; quia tunc opponi possunt, etiam post litem contestatam, Idem *in dicto cap. intelleximus*, *num.* 19. Felin. *in cap. exceptionem*, *num.* 20. *&* 24. *de except. & l.fin.C.eod.*

De sententia.

Titulus XX.

Quid & quotuplex sit, quæ genera causarum in ea concurrant, quam vim habeat, & quibus modis rescindatur.

QVID, ET QVOTVPLEX SIT. Sententia in genere sumpta dicitur *à sentiendo*; quia iudex iudicat secundũ id, quod sentit, Rober. Maran. *in prax. par.6. act.* 10. *num.* 1. Dantur plures termini, qui inter se cognationem habent, nempè mulcta, præceptum decretum, & sententia; quæ diuiditur in interloquutoriam, & diffinitiuam. Vnum est, quod appellatione sententiæ venit diffinitiua, Fagn. *in cap. super eo*, il secondo, *num.6. de appellat.*

Mulcta dicitur, cum iudex propter euidentem litigatoris cõtumaciam ipsum pecuniariter mulctat, vt *in tit.C.de modo mulctandi.* Quæ à quolibet iudice propter inopiam rei potest temperari, etiam post sententiam, Idem *in cap. irrefragabili*, §. *cæterum*, *num.* 32. *de off. ordinar.* Et differt à pæna, quia mulcta infligitur in pecunia, & infamiam non irrogat, *l.* 1. *C. de modo mulctandi.* Pæna verò totùm è contra; tum quia, à pæna non appellatur, sic vero à mulcta, *l. si qua*, 244. *ff. de verbor. signif.*

Præceptum est, cum quis petat à reo in iudicio decem absque libello, sed cum instrumento debiti, & reus confitetur de plano; tunc iudex præcipit, vt soluat intra certum terminum. Dicitur præceptum, quia non est seruatus ordo iudiciarius, *l.fin. ff. quod metus causa.* Si illud præceptum sit per modum sententiæ, vel interdicti, expirat per mortem præcipientis, Fagn. *in cap. à nobis*, il primo, *num.* 52. *de senten. excom.*

Decretum: si sumatur strictè comprehendit tantum sententiam interloquutoriam; vt est decretum in alienatione bonorum pupilli, Maran. *vbi supra*, *num.* 29. Datur etiam decretum irri-

irritans, & apponitur ad finem remouendi obstacula impediẽtia executionem actus super quo decernitur, Idem *in cap. cum accessissent, num.* 33. *de constitut.* & quia importat formam, à partibus renunciari non potest, Idem *in cap. ad nostram, num.* 23. *de regular. in cap. ad apostolicam, num.* 24. *eodem tit. in cap. licet, n.* 55. *de foro competenti.* Ita vt, quidquid operatur contra dictum decretum, irritum sit ipso iure, Idem *in cap. cum olim, num.* 53. *de maior. & obedien.* Dantur quoque decreta generalia, quæ ante publicationem non ligant, Fagn. *in cap. nullus, num.* 45. *de paroch.*

Sententia interloquutoria *est, quæ interponitur inter principium, & finem causæ super incidentibus quæstionibus, & non super principali, cap. significantibus,* 33. *de off. deleg.* & *cap. significauerunt,* 36. *de testibus.*

Sententia demum diffinitiua, *est iudicialis diffinitio controuersiæ finem imponens per absolutionem, vel condemnationem*, Card. Hostien. *in sum. hoc tit. n.* 1. Qui termini, nempè mulcta, decretum, præceptum, & sententia differunt inter se; & omnes sunt reducibiles ad sententiam diffinitiuam, & interlocutoriã, Lancell. *inst. can. lib.* 3. *hoc tit.* §. *sententiarum.*

GENERA CAVSARVM. Aduerte, quod in qualibet sententia concurrere debent quatuor genera causarum, scilicet efficiens, formalis materialis, & finalis. Efficiens est iudex competens, qui iurisdictionem habeat in quæstione proposita, *cap. at si clerici,* 4. *de iudicijs*; nam si sit lata à non suo iudice, est ipso iure nulla, Fagn. *in cap. responso, num.* 105. *de senten. excom.* Qui iudex sit sanus mẽte, & non furiosus, vel surdus & mutus, *l. cum prætor,* 12. §. *non autem,* & *l. iudex datus,* 46. *de iudicijs.* Neque sit cæcus, vt distinguit, *l. cæcus,* 6. *ff. de iudicijs,* Neque illiteratus, *cap. exceptionem,* 12. *de except.* & Specul. iur. Gugl. Duran. *hoc tit.* §. *1. num.* 1. & 2. Non sit infamis, neque excõmunicatus notorius. Et si sint plures iudices delegati, omnes simul pronunciare debent, *cap. causam matrimonij,* 16. *de officio delegat.*

Causa formalis est quatruplex respectu iudicis, respectu tẽporis, respectu litigantium, & respectu ipsius sententiæ. Respectu iudicis, continere debet nomen iudicis; & dicat an sit ordinarius, vel delegatus; ac etiam continere debet nomina litigantium; absolutionem, vel condemnationem, & alia, vt

vt per Maran. *dicta par.6. actu*, 10. *num.*47. Et tunc sententia absolutoria, vel condemnatoria in vno foro parit exceptionem rei iudicatæ in alio, Fagn. *in cap. contingit*, il secondo, *num.*24. *de senten.excommunicat.*

Respectu temporis requirit, vt feratur in die, & hora in qua cadit citatio, *l.cum non eo die*, 6. *C. quando prouocare non est necesse, decis.*208.*num.6.par.*4.& *decis.*340.*num.*1.*par.*1.*in recent.* 2.Proferri debet in die iuridico, & non feriato, *l.fin.C.d ferijs*, alias executionem non meretur, *l si vt proponis*,4. *C. quomodo, & quando iudex*. 3. Proferatur de die, & non de nocte, nisi aliter se haberet consuetudo, *l. cum sententia*, 6. *C. de sententijs interlocutorijs*. 4. Vt non feratur pendente dilatione, alias esset nulla, *l.siue pars*, 6. *C.de dilationibus*. 5. Non feratur præcipitanter, Fagn. *in cap.dilectus*, il primo, *num.*37. *de rescriptis*. 6. Iudicet tempore quo vtraque pars est præsens, vel altera contumace absente, *l. de vnoquoque*, 47.*ff. de re iudicata*. Ac semper secundum acta, & approbata iudicare tenetur, Idem *in cap.f. lsidicus*, *num.*123. *de crimine falsi*.

Respectu litigantium consistit, vt litigantes sint habiles ad comparendum in iudicio; & si aliquis eorum sit furiosus, vel pupillus, & litigat sine tutore, vel curatore esset nulla sententia, *l.contra pupillum*, 54.*ff. de reiudicata*. Quæ si sit lata contra pupillos indefensos, etiam est nulla, *l.cum & minores*,3.*C.si aduersus rem iudicatam*, & Gregor. *in addit.ad decis.* 43. *n.* 16. Neque sufficit, quod sit datus tutor, vel curator, & cum sit citatus, non compareat, Emin. Otthobon.*decis.*155.*n.*19.*&* 20. 2 Requiritur vt non sit lata contra eum, qui tempore prolationis mortuus est, *l. in summa*, 59.*§.fin.ff. de reiudicata*. 3. Quod non feratur contra exemptum, quia est ipso iure nulla ex defectu iurisdictionis, Fagn. *in cap.graue*, *num.*6. *de off. ordinar.* Vltimò: Vt non feratur contra eum, qui est legitimè impeditus, *l.quæsitum*,6.*ff. de re iudicata*, & Glos. *in cap. cum Bertoldus*, 18.*ver.nota*, *de re iudicata*.

Causa formalis respectu ipsius sententiæ multipliciter euenit. 1.Continere debet iustitiam,& potestatē iudicantis,alias non transit in rem iudicatam, Caualer. *decis.* 886. *num.* 3. & Fagn. *in cap. non potest*, *num.*6. *de senten. & reiudic.* Verum si sit iniusta, & iniustitia non est manifesta, non est ipso iure nulla, sed rescindi debet per appellationem, Doctores, *in cap.*

cap. inter cætera, de re iudicata, & in *l.4.§. condemnatum, ff. eodem*. 2. Peccat in ſe ipſa, quando continet expreſſum iuris errorem, *l.2. C. quando prouocare non eſt neceſſe*: vel eſt contra aliam ſententiam tranſactam in rem iudicatam, *l. latam, 1. C. quando prouocare non eſt neceſſe*. Vltimò, quando eſt incerta, & in actis eſt certa quantitas debiti non valet; nam præſumitur inconſultò iudicaſſe, *l. hæc ſententia, 3. & 4. C. de ſenten. quæ ſine certa quant. prolata eſt*. è contra, ſententia certa in re dubia ferri non poteſt, Fagn. *in cap. ne innitaris, num.144. de conſtitut.*

Tertia cauſa quæ in ſententia concurrit dicitur materialis; & conſiſtit, vt cauſa ex actitatis ſit bene diſcuſſa in in iudicijs, & à iuriſperitis deliberata, atque continere debet epilogum libelli, ac ſit conformis libello, *l. vt fundus, 18. ff. de communi diuidundo*.

Vltimum genus cauſarum eſt finalis, & in ſententia conſideratur in verbo *abſoluo*, vel *condemno*, vel æquipollens ad hoc vt lites finiantur, *cap.2. eodem*.

EFFECTVS. His concurrentibus, eſt apta ad producendum plures effectus. Præſertim facit ius inter partes, etiam ſi ſit lata contra ius litigatoris, *l. ingenuum, 25. ff. de ſtatu hominum*; & non reſcinditur prætextu inſtrumenti nouiter reperti, *cap. ſuborta, 21. de reiudicata*. 2. Si non fuerit ab ea appellatum intra legitimum tempus, facit de albo nigrum, vt infra quia qui non appellat cenſetur acquieſcere ſententiæ, Fagn. *in cap. auditis, num.17. de præſcript.* Denique, poſt quam iudex protulit ſententiam, nempè interlocutoriam, poteſt illam reuocare, *cap. cum ceſſante, 60. de appellat. l. quod iuſſit, 14. ff. reiudicata*, & Fagn. *in cap. ſignificantibus, num.6. de off. deleg.* ſecus eſt, cum ſit diffinitiua, *l. iudex, 56. ff. de reiudicata*; quia functus eſt officio ſuo per prolationem ſententiæ.

MODI RESCISSORII. Aduerte vltimo, plures eſſe modos reſcindendi ſententiam, nempè appellatio, reſtitutio, in integrum, ſupplicatio contra ſententiam, & relatio, Analyſ. *iur. pontif. lib.2. tit.27. §. qui ſunt modi*, de quibus ſingillatim infra tractabimus.

De

De re iudicata.

Quæ sit, quæ illius requisita, & ex quibus causis denegatur transitus sententiæ in rem iudicatam.

QVÆ SIT. Differt res iudicata à sententia, sicut causa ab effectu, & ita definitur, *est causa per iudicis sententiam terminata continens absolutionem, vel condemnationem, l. 1. ff. de reiudicata.*

QVANDO, ET QVOMODO. Quæ sententia pluribus modis transit in rem iudicatam, veluti per lapsum biennij, ita vt solo cursu biennij sententia transit in rem iudicatam, Bart. *in Authen. ei qui appellat, num. 6. C. de temporibus appellationum*, & Sigism. Scacc. *de appellat. quæst. 15. art. 8. num. 1. & per totum.* Vel quando non appellauit intra legitima tempora; cum non satis sit probare se appellasse, sed debet probare se appellasse infra legitima tempora, Gemin. *in cap. Romana, §. si vero, num. 2. & 7. de appell. in 6.* ratio est quia appellare intra decem dies est quædam solemnitas extrinseca, quæ non præsumitur, nisi probetur, Surd. *cons. 287. num. 4. & 10 lib. 2.* in quibus casibus transit in rem iudicatam, quo ad expressa in sententia, non quo ad ea, quæ non sunt expressa, Scacc. *vbi supra, quæst. 17. limit. 6. mem. 9. num. 11.*

Pronunciatio super re iudicata spectat ad iudicem à quo, quando nullo modo fuit appellatum; vel quando fuit interposita appellatio, sed nec appellans, nec appellatus introduxit appellationem coram iudice ad quem. At quando causa appellationis fuit introducta coram iudice ad quem, pronunciatio super desertione appellationis spectat ad eundem iudicem, Idem *vbi supra, quæst. 11. num. 149. & 150.*

EX QVIBVS CAPITIBVS NON TRANSEAT IN REM IVDICATAM. Sententia non transit in rē iudicatam 1. Quando est venalis, *l. venalis, 7. C. quando prouocare non est necesse*; nam si gratia adductus rem alteri malè iudicauerit præter infamiam, tenetur parti læsæ ad extimationem litis, *cap. 1. hoc tit. in 6.* 2. Quando est nulla, numquam transit in rem iudicatam, *l. nimis, 1. C. de executione reiud.* Rober. Maran.

in

in prax. par. 6. art. 10. à num. 130. Hinc est, quod sententia lata contra aliam sententiam transactam in rem iudicatam; quia est nulla, de ea appellare non licet, *l. latam 1. C. quan. prouoc. non est necess.* & *l. 2. C. eod.* Dicitur etiam nulla ipso iure, si sit lata extra tempus delegationis à delegato, *l. cum non eo die, 6. C. eodem.* 4. Quando est lata contra procuratorem, cui suus principalis reuocauerat mandatum; & hoc erat notum in iudicio, *cap. ex insinuatione, 3. de procur at.* 5. Quando fuit lata contra matrimonium, nunquam transit in rem iudicatam, *cap. lator, 7. de senten. excom.* & *cap. series, 26. de testibus, & attest.* 6. Quando est lata post legitimam appellationem, *cap. ex parte, 7. de testibus & attest.* 7. Quando est subreptitiè obtenta, *cap. cum olim, 12. de senten. & re iudicata.* 8. Si sit lata à iudice publicè excommunicato, *cap. ad probandum, 24. de senten. & re iudic.* His enim casibus propter vitium nullitatis, vel iniustitiæ, sententia non transit in rem iudicatam, *cap. sententia, 1.* & *cap. cum causa, 8. de senten. & re iudicata.* Et quia sententia est indiuidua, vna nullitas eam in totum corruere facit, Caualer. *decis. 396. num. 2.* & coram Emin. Otthobon. *decis. 170. num. 24.*

De executione rei iudicatæ.

Primò, quæ sententia est executioni demandanda, & à quo iudice. Secundò, quo ordine & qualiter. Tertiò, in quibus rebus, & contra quas personas fieri potest; & vltimò, ex quibus causis impediri potest.

QVÆ SENTENTIA EST EXEQVENDA. Hæc materia longa est, & per varios iuris articulos dispersa, vnde illam reassumam breuiter per quatuor quæstiones. Circa primam; omnis sententia, quæ de iure valet, & tenet, postquam transiuit in rem iudicatam, potest executioni demandari ab eodem iudice, qui eam tulit, *cap. quo ad consultationem, 15. de re iudicata.* Intellige in sententia iudicis ordinarij, *l. præparandum, 11. §. sit autem, C. de iudicijs,* & Bart. *in l. à diuo pio, 15. ff. de re iudicata,* dummodo sit valida, *l. 4. §. condemnatum, ff. de re iudicata.* Secus est, quando est lata à iudice

KK de-

delegato; nam per prolationem sententiæ functus est officio suo. Limitatur si sententia lata sit à delegato Principis, quia potest suam sententiam exequi, etiam per annum post prolationem, dummodo iterum non expirauerit eius iurisdictio, Abb. *in cap. significasti, in tertio notabili, de officio delegati*; Non solum per se ipsum illam exequi potest, verum etiam per Ordinarium, quoniam delegatus Principis est maior Ordinario, *cap. studuisti, 2. de off. legati* & *cap. sané, 11. de off. deleg.* Vnde si Ordinarius sit certus de iurisdictione illius, tenetur ad mandatum eius exequi, ètiam si sciat sententiam illam latam esse contra ius litigatoris, *l. si prætor, 75. ff. de iudicijs.* Ex hoc infertur: Iudex sæcularis exequitur sententiam iudicis ecclesiastici, & è contra, *cap. 1. de off. iud. ordin.* sed si illa sententia sit iniusta, non debet de hoc cognoscere executor; at potest rogare delegantem, vt liberet ipsum à tali executione facienda, *cap. pastoralis, 28. §. quia vero, de off. delegati.* Exequens enim sententiam iniustam semper peccat, Lancell. *inst. canon. de executione rei iudicatæ, §. cum igitur.* Et si illa sententia sit nulla, nullum producit effectum, quia non potest dici iudex in sententia nulla, *cap. forus, 10. de verbor. signif.*

QVALITER. Ad secundam quæstionem. In ciuilibus hoc ordine facienda est executio. Primò capiuntur mobilia, deinde stabilia, postea nomina debitorū &; vltimo loco deuenitur ad capturam personæ; quia non debet capi persona, nisi excussis bonis, *l. à diuo pio, 15. §. in venditione, ff. de re iudicata*, & in exequendo sunt seruanda statuta loci, vbi fit executio, Bart. & Ias. *in l. cum quædam puella, num. 7. ff. de iurisdict. omn. iud.*

SVPER QVIBVS. Ad tertiam quæstionem, executio fieri potest contra omnes, & in omnibus bonis, nisi à iure reperiatur prohibita, & hoc propter generalem regulam iuris: nam in iure omnia censentur permissa, nisi reperiantur prohibita, *l. nec non, 38. §. quod eis, ff. ex quibus causis maiores*, Limitatur in vestibus, suppellectilibus, & alijs similibus ad vsum necessarium deputatis, quoniam in istis bonis non fit executio, alijs bonis existentibus, quia minimè transeunt in hypoteca, Doctores *in l. 1. C. quæ res pignori obligari possunt*, Idem militat in stipendio militum, & in libris scolarium,

l. fi-

l. stipendia, 4. *C. de execut. rei iud.* & Maran. *in prax. hoc tit. art. vlt. num.*28.

AN ET QVANDO IMPEDIATVR. Ad vltimam quæstionem Nota quod executio sententiæ pluribus modis impediri potest. 1. Legitima appellatione, *cap. venientes*, 19. *de iureiur.* 2. Vbicumque sententia dicitur nulla, Specul.iur. Gugl. Duran. *tit. de executione sententiæ*, *§. postremo*. 3. Si Ordinarius velit exequi sententiam in rebus positis extra suam iurisdictionem, *l. cum vnus*, 12. *§. is qui*, *ff. de bonis autbor. iudicis possessis*. Vltimò: Si postulata sit restitutio in integrum, Doctores *in dicto cap. quo ad consultationem*, & *in l. vn. C. si sæpe in integrum restit. postuletur*.

De appellationibus.

Titulus XXI.

Quæ, & quotuplex sit appellatio, à quo, quomodo, & quando interponi possit, quos effectus producat; & in quibus casibus non detur appellatio.

QVID SIT. Subiacet quandoque sententia vitio nullitatis, vel iniustitiæ; vnde nè cuiquam ius suum eripiatur, inuentum est appellationis beneficium ad fauorem illius, qui se sentit grauatum, & sic definitur, *est prouocatio de minori ad maiorem iudicem ratione grauaminis illati, vel inferendi, l.1. §. si quis in appellatione*, *ff. de appellat.* Dixi *prouocatio*, loco generis, nam plus continet prouocatio, quam appellatio, Bart. *in l. si minoris, versic. tertio modo, ff. de administr. tut.* Dixi, *à minori ad maiorem*; nam si sit interposita ad minorem, non nocet, *dicta l.1. §. si quis*. Neque est interponenda ad parem; quia par in parem nullam habet iurisdictionem, *cap. non putamus*, 2. *de consuetud. in 6.* Dixi *grauaminis*; quia à quocumque grauamine, siue maiori, siue minori, siue iudiciali, siue extraiudiciali datur appellatio, *cap. de appellationibus*, 11. *cap. cum in ecclesia*, 38. *de appellationibus*, & *l. & in minoribus*, 20. *C. eodem*. Dixi *grauaminis illati, vel inferendi*; etenim non solum ab illato, verum etiam à futuro grauamine appel-

lari poteſt, Doctores *in cap. vt debitus*, 59. *eod.* Hinc eſt, quod à ſententia torturæ datur appellatio antequam proferatur, ratio eſt, quia eſt grauiſſimi præiudicij irreparabilis, *l. ſententiam*, 2. *ff. de appellat.* Scacc. *de appell. quæſt.* 5. *art.* 1.

QVOTVPLEX. Aduerte, quod appellatio multiplex eſt. Primò diuiditur in quatuor ſpecies, Fagn. *in cap. paſtoralis*, *num.* 19. *de appell.* nempè. Vel dicitur manifeſtè fruſtatoria, ſeu friuola; veluti, cum quis appellat à ſententia ſuper notorio crimine; vel de quo reus in iudicio eſt confeſſus, *cap. Romana*, 3. *§. ſi autem, eod. in* 6. Alia dicitur latens fruſtratoria, vt cum appellatur ex cauſa legitima, ſed non vera; puta ſi quis appellet, quia trahitur vltra duas dietas extra Diœceſim, quod non eſt verum, *cap. olim*, 7. *de exceptionibus*. Alia eſt latens probabilis; veluti cum appellatur ex cauſa probabili, & vera, non tamen expreſſa in iure, *dicto cap. Romana*, 3. §. *quod ſi obijcitur*. Et alia dicitur manifeſtè probabilis; veluti cum appellatur ex cauſa expreſſa in iure, cuius veritas eſt notoria, *cap. accedens*, il ſecondo, *vt lite non conteſtata*.

Diuiditur ſecundò in iudicialem, & extraiudicialem. Iudicialis, vel eſt ante, vel poſt ſententiam. Ante ſententiam dicitur, quando appellatur à decreto interlocutorio lato ante ſententiam diffinitiuam; & hæc ſecundum Canones admittitur, vt notatur per Lancell. *hoc tit. in §. rurſus*, & Concil. Triden. *ſeſſ.* 13. *de reform. cap.* 1. vt eſt quando iudicis ſuſpicio proponitur, *cap. bona*, 1. *eod.* Et magis in ſpecie, vt admittatur ſecundum Canones, concurrere debent nonnulla requiſita, de quibus per Fagn *in dicto cap. ſuper eo*, il ſecondo, *num.* 24. De iure Ciuili non admittitur, quando illud grauamen reparari poteſt per ſententiam diffinitiuam, Idem *in dicto cap. ſuper eo*, *num.* 26. An, & quando, & quomodo appellatio ab interlocutoria ſit interponenda, vt valeat, eleganter refert Fagn. *in cap. ſuper eo*, il ſecondo, *num* 24. *&* 29. *de appellat.*

Appellatio poſt ſententiam dicitur, cum appellatur ab ipſa diffinitiua; & ex duplici capite oriri poteſt. Primò, quando inſtituitur ab ipſa diffinitiua. Secundò ab eius executione, dum modus executionis exceditur, *l. ab executione*, 5. *C. quorum appell. non recipiuntur*.

Appellatio extraiudicialis eſt, quæ interponitur ab actibus, & decretis extraiudicialibus, *l.* 1. §. *ſolent*, *ff. quando appell. recipia-*

Digitized by Google

recipiatur. Hæc datur quando quis timet grauamen inferendum à iudice inferiori, & ideo ad superiorem appellat, prout *in cap. accedens*, 4. *vt lite non contestata*, & per Lancell. *vbi supra*, §. *appellationum*. Ius Ciuile non admittit appellationem extraiudicalem, nisi in certis quibusdam casibus, Glos. *in dicto* §. *appellationum*, *ver. casibus*, *cap. non solum*, §. *ante sententiam*, 2. *quæst*. 6. Istæ appellationes dici debent prouocationes in genere, Abb. *in dicto cap. bonæ memoriæ*, *eodem*.

Vtraque species, vel est ad effectum suspensiuum, vel ad effectum deuolutiuum. Ad effectum suspensiuum suspendit iurisdictionem iudicis à quo, executionem sententiæ, & eximit appellantem à iurisdictione iudicis à quo, Robertus Lancell. *de attent. appell. penden. cap.* 12. *num.* 12. *&* 13. *cap.* 12. *limit.* 17. *num.* 1. *limit.* 26. *&* 27. *num.* 3. *&* 13. Hæc locum habet, quando appellatur à diffinitiua, vel ab interlocutoria habente connexitatem cum causa principali, Sigism. Scacc. *de appell. quæst.* 17. *limit.* 47. *membr.* 2. *num.* 1. Ad effectum deuolutiuum datur in casu, quo iudex potest exequi suam sententiam, non obstante appellatione interposita. Vnde appellans, etiam post passam executionem, prosequi potest suam appellationem, Scacc. *dicta quæst.* 17. *limit.* 9. *num.* 7. *&* 8.

Aduerte secundò, quod appellatio à sententia diffinitiua, & à decreto interlocutorio differunt inter se, 1. Quia appellatio à diffinitiua fieri potest viua voce; sed appellatio ab interlocutoria indiget scriptura, *l. litigatoribus*, 14. *C. eodem*. 2. Appellatio à diffinitiua non indiget expressione causæ, *l.* 2. *ff. de appell.* sed appellatio ab interlocutoria, non valet sine expressione causæ, *cap. vt debitus*, 59. *de appell*. 3. Appellatio à diffinitiua potest iustificari ex nouis; quia dicit appellans, non probatum probabo, *cap. fraternitatis*, 17. *de testibus*: sed appellatio ab interlocutoria non potest iustificari ex nouis, sed ex primis, *Clemen. appellanti, de appellat.* Vltimò: Appellatio à diffinitiua suspendit iurisdictionem iudicis à quo sine alia inhibitione; verum appellatio ab interlocutoria non suspendit iurisdictionem iudicis à quo, donec per iudicem ad quem fuerit inhibitus, *cap. non solum*, 7. *de appell. in* 6.

Additur alia species appellationis, quæ dicitur appellatio deserta; & est quando quis legitimè appellat intra legitimũ tempus, & intra triginta dies non petit Apostolos, *Clem. quã vis*, 2. *de*

de appell. & *cap. ab eo*, *6. eodem tit. in 6.* Vel petijt Apostolos, & iudex dedit reuerentiales in forma in causa appellabili, & postea causa appellationis non fuit commissa intra terminum reuerentialium, nempè decem dierum; & neque intra eundem terminum docuit de diligentijs in committendo causam appellationis: illis elapsis dicitur deserta, iuxta stylum Curiæ Romanæ Petr. Ridol. *in prax. par. 1. cap. 13. num. 85. & 658.* Etiam dicitur deserta ob lapsum fatalium, idest, biennij, *l. si contra maiorem*, *8. C. eodem*, & *Authen. ei qui appellat*, *C. de tempor. & reparat. appell.* In quibus casibus quando agitur de executione sententiæ ob desertionem appellationis, de stylo dictæ Curiæ obseruantur quatuor termini ad docendum de appellatione, & dicendum causam, quare sententia executioni demandari non debeat, Ridolph. *dicto cap. 13. num. 590.* Sed quando agitur de executione trium conformium, seu decreti inappellabilis dicti termini non seruantur; sed citatur aduersarius ad videndum taxari, & moderari expensas, Idem *ibidem, n. 596.* E contra, quando tractatur de executione rei iudicatæ quia illi sunt necessariò seruãdi, Sigism. Scacc. *dicta quæst. 11. num. 200. vers. qua.* Declaratio desertionis spectat ad iudicem à quo, quando appellatio non fuit interposita; & ad iudicem ad quem, illa interposita, & non prosecuta, Scacc. *dicta quæst. 11. art. 5. num. 149.* Gesta post appellationem desertam non dicuntur attentata, Rober. Lancell. *de attentatis*, *par. 2. cap. 12. ampliat. 1. num. 27. & 33.* A' quo vitio desertionis appellans excusatur, si sit legitimè impeditus; & tunc appellanti incumbit onus probandi illud impedimentum, Scacc. *quæst. 15. art. 4. num. 146. & quæst. 15. art. 3. & 9. per tot.*

A' QVO. Aduerte, quod ille appellare potest cuius interest; siue contra ipsum lata sit sententia, siue contra alium; & pro condemnato quilibet appellare valet, dummodo condemnatus mox ratam habuerit appellationem interpositam, *l. 1. ff. de appell. recipien.* & Hostien. *in sum. hoc tit. num. 3.* Quæ appellatio est interponenda gradatim. Limitatur, quando habetur recursus ad Papam, omisso medio, quia tenet, *cap. dilecti filij*, *66. de appell.* vel ad Auditorem Cameræ, omisso medio, quia tunc etiam valet, Sigism. Scacc. *de appell. lib. 3. quæst. 2. art. 3. num. 46. & quæst. 10. art. 3. num. 11. cum sequen.* Vsus appellandi frequens est, & necessarius, vt iniquitas, seu imperitia

tia iudicum corrigatur, *DD. vbi supra*.

QVOMODO. Ad formam, & validitatem libelli appellatorij plura requiruntur, vt notat de recenti Scacc. *hoc tractatu, quæst* 4. Inter cætera continere debet nomen appellantis, appellati, & iudicis coram quo appellatur: atque continere debet sententiæ continentiã, à qua appellatũ fuit; & in eo petere debet Apostolos, vt *in l.quoniam*, 18. *C. de appell.* Qui Apostoli petendi sunt instanter, instantius, & instantissime, & sufficit quod vnico actu petantur, *cap.ab eo,6. eodem in 6.* Qui libellus legitimè conditus præsentari potest in die feriato, & non feriato, DD. *in cap.fin. de ferijs* & *in l.1. C. eodem*; sed ille actus fieri debet per legitimam personam habentem speciale mandatum, *l.licet*, 24.*C.de procurat.* & si fuerit factus sine mãdato, ratificari debet intra tempus habile, *l. bonorum*, 24. *ff. rem ratam habere*. Appellans sit talis, vt appellare valeat, & de iure Ciuili, non omisso medio, gradatim appellare debet ad proximum superiorem, *l.Imperatores*, 21.*ff.de appell.* secus est de iure Canonico, quia quisque omisso medio ad Papam appellare potest, *cap. si duobus*, 7. *cap. sollicitudinem*, 54. & *cap. dilecti*, 66. *de appell.cap.*15.*&* 18. *de off. deleg.* latè Sacc. *quæst.*7. *art.*2. *&* 3.

QVANDO. Tempus quod accidit in materia appellationis triplex est, nempè ad appellandum, ad discedendum à iudice à quo, & ad prosequendum causam appellationis, Scacc. *vbi supra quæst.*12. *&* 15. quæ tempora alio nomine nuncupantur fatalia, quia fatum, id est, terminum causæ imponunt, *l.nemo*, 3. *C. de tempor. appell.*

Fatalia ad appellandum sunt decem dierum, & habent locum in omni appellatione, *cap. quo ad consultationem*, 15. *de re iudicata*, *Authen. hodie*, *C. de appell.* Et computantur à puncto diei latæ sententiæ ad punctum, quod refertur ad decimum diem in eodem momento; dummodo victus sciat sententiam esse latam; alias currit à die notitiæ latæ sententiæ; & si ille decedat, hoc tempus decem dierum incipit currere in hærede appellantis à die notitiæ, siue defunctus appellauerit, siue non, *l. fin. C. si penden. appellatione*.

Fatalia ad recedendum à iudice à quo, consumuntur spatio triginta dierum, intra quos pars instantissimè de Apostolis responderi instare tenetur. Vnde etiam iudici datur terminus iu-

iuris, qui pariter est 30. triginta dierum ad se deliberandum, quid sit respondendum de Apostolis; & incipit currere à die interpositæ appellationis, *dicto cap. ab eo, 6. eod. in 6.* & *l. iudicibus, 24 C. eodem.*

Fatalia ad prosequendam appellationē sine causa, sunt vnius anni; & cum causa durant per biennium, *cap. cum si: Romana, 5. de appellat.* Quæ incipiūt à die interpositæ appellationis, intra quod tempus, nisi appellans prosequatur suam appellationem, appellatio pronunciatur deserta, & datur execurio sententiæ iudicis à quo, vt sit litium finis, *Authen. ei qui, C. de tempor. & reparat.* Gratian. *discept. foren. cap.1. n.8. & 11.*

Aduerte, quod ista fatalia ad recedendum, & prosequendum causam appellationis de partium expresso consensu possunt abbreuiari, & prorogari, *dicta Authen. ei qui, & l. fin. C. de tempor. & reparat. appell. l. properandum, 10. C. de iudicijs*, & vtrobique *Doctores*. Secus est in fatalibus ad appellandum: quia nullo modo, nec abbreuiari, nec prorogari possunt, Glos. *in Authen. si offeratur, C. de litis contest.*

EFFECTVS. Appellatio ad effectum suspensiuum producit plures effectus. Suspendit iurisdictionem iudicis à quo, *cap. sæpe, 44. eodem*. Suspendit factum de præterito, & de futuro, donec expediatur factum appellationis: & interim appellans, non remouetur à possessione, *l. sciendum, 15. §. penul. ff. qui satisd. cogant*, & Rober. Lancell. *de atten. appell. penden. cap. 12. limit. 26. num. 3.* Eximit appellantem à iurisdictione iudicis à quo circa illam pendentem causam: sed si denuò committat delictum, non eximitur in vim dictæ pendentiæ. Limitatur, quando allegatur suspectus ad formam. *cap. ad hæc, 6. de appell.* cuius dispositio difficiliter ab A.C ponitur in praxi, *l. vn. ff. nil innou. penden. appell.* Insuper in gradu appellationis potest probare non probatum, *cap. cum Ioannes, 10. de fide instrumen.* & *cap. fraternitatis, 17. de testibus*. Intellige, quando appellans non fecit actum contrarium, vt est accipiendo terminum ad soluendum: nam eo casu censetur acquiescere sententiæ, Abb. *in cap. ex parte, num. 5. de rescriptis*, & Bald. *in l. adsolutionem, num. 7. C. de reiudicata*. Vltimò facit, vt appellans possit eligere iudicem, *cap. oblato, 57. de appell.*

Nota, quod appellatio vnius excollitigantibus prodest omni-

nibus, si defensio sit communis, Fagn. *in cap. cum propter, num. 56 de iure patron.* Si verò inter eos non sit eadem ratio; vt est, si vnus sit minor, & alter maior; & tunc aut res controuersa est communis & indiuidua, & vittoria minoris prodest maiori, *l. si communem*, 10. *ff. quemadm. seruit. amittan.* Aut non est communis & indiuidua, & tunc priuilegium minoris aliis non prodest, cum sit personale, & ad alios non transeat, *l. vn. C. d priuileg. dot.* Verùm quoties dicta appellatio est iniusta, iudex ad quem remittere debet appellantem ad iudicem inferiorem, & damnare ipsum ad expensas, & damnum ex tali iniusta appellatione ortum, *cap. significauerunt*, 36. *de testib.*

A' QVA SENTENTIA NON DATVR APPELLATIO. SVSPENSIVA. Nō admittitur super notorio facti, *c. peruenit*, 13. *de appell.* A' futuro grauamine, nisi illud sit irreparabile, Fagn. *dicto cap. super eo, num* 48. & Grat. *discept. for. cap.* 17. *num.* 1. In summariissimo possessorio, *l. vn. C. si de moment. possess.* Seraph. *decis.* 1295. *num.* 3. Posthius, *de manutenen. obseruat.* 106. *num.* 1. A' mandato vigore obligationis cameralis, Posty. *obser.* 12. *n.* 12. & Rota *penes eundem, decis.* 9. *num.* 25. A' decreto de procedendo ad vlteriora in executione, *l. ab executione*, 5. *C. quor. appell. non recip. l. ab executore*, 4. *ff. de appell.* & Rota *in recen. decis* 620. *num.* 2. A' decreto iustissimo, Bal. *in l. vn. num.* 7. *C. ne liceat in vna*. In causa dotis vigore obligationis cameralis, Scacc. *de appell. quæst.* 17. *limit.* 9. *cū alijs sequentib. limitationib.* Ab executione literarum apostolicarum, Ridolph. *in prax. par.* 2. *cap.* 8. *num.* 153. A' rescripto Principis, *l. iubemus*, 34. *C. de appell. & consult.* In causa alteri commissa cum clausula *appellatione remota, cap. super eo*, 15. *de off. & potest. iud. deleg.* Fagn. *in cap. pastoralis, num.* 26. *de appellat.* & *in cap. studuisti, num.* 40. *de off. legati*. In causis visitationis, & correctionis, nisi concurrat excessus, Idem *in cap. ad nostram, num.* 5. *& sequen. de appell.* & *in cap. de priore, num.* 29. *eodem*. A' sententia Papæ ad tribunal Christi, Idem *in cap. quanto, n.* 9. *de translat. Episcopi*, & *in cap. significasti, num.* 61. *de elect.* & in pluribus aliis casibus, vt per Scacc. *hoc tract. quæst.* 17. *& per totum*.

De Apostolis.

Qui, & quotuplices sint, quando, à quo, & quomodo eis sit respondendum, ad quid, & sub qua pœna.

QVI SINT. Quidquid sit de eorum nomine: Apostoli ita definiri possunt, *sunt literæ dimissoriales, seù missiuæ, quibus iudex à quo testatur superiori, seu iudici ad quem de appellatione à sua sententia interposita*, Ridolphin. *in prax. par. 1. cap. 13. num.* 154. qui conceduntur appellanti, vt cum illis se iudici ad quem præsentare, & de prædictis ei fidem facere possit, *l. 1. ff. de libellis appellatorijs*. Forma apostolorum traditur *in l. vnica, C. de dimissor. libell.* & à Gugl. Duran. *in specul. iur. tit. de apostolis*, §. *de officio*. Nota quod est exprimenda causa, quare iudex non admisit appellationē, v.gr. dicat, non defero appellationi, quia est friuola; sed non tenetur exprimere causam causæ, Gemin. *in cap. cum appellationibus, de appell. in 6.*

QVOTVPLICES. Ex diuersitate causæ, quæ in eis exprimi solet, habent diuersa nomina, nēpè alii sunt Apostoli conuentionales; alii testimoniales; alii dimissorii; alii reuerentiales; & alii refutatorii. Conuentionales sunt illi quos pars admittit, siue in iudicio, iudice refutante vel tacente; siue extra iudicium, *cap. sæpe*, 44. & *cap. oblatæ*, 58. *de appellat.* & Specul. *tit. de apostolis in rubr. num. 1. lib. 4.*

Testimoniales dicuntur, quia testificant de appellatione facta coram iudice, vel coram publicis, & honestis personis; & habent locum, quando appellatur in absentia iudicis, quo casu, potest appellans illos ab eisdem personis petere; & propterea requiritur Notarius ibidem præsens, vt de eius diligentia fidem faciat, & ipse respondeat de apostolis, & dare debet testimoniales, Scacc. *dicta quæst. 13. num. 7.*

Dimissorii sunt illi, per quos apparet quod iudex detulit appellationi, & appellantem à sua iurisdictione, & potestate dimittit, Maran. *in prax. iudiciar. par. 6. hoc tit. num. 25.* & Ridol. *par. 1. cap. 13. num. 168.*

Apostoli de quibus vt plurimum solent iudices respondere in curia, aut sunt refutatorii, aut reuerentiales in forma. Refuta-

futatorios solent iudices dare vbicumque actũ fuit vigore obligationis cameralis;& in causis executiuis,in causis sũmariis,ac vbicumque appellatio venit reiicienda non censetur admissa, nec iudex habet manus ligatas,& ideo potest ad libitum ad vlteriora procedere, Ridolph. *dicto cap.*13. *num.*157.

Reuerentiales sunt, quos iudex dat deferendo appellationi ob reuerentiam Principis, *l. eos*, §. *super his*, *C. de appell.* Et dari possunt dupliciter, vel cum illa clausula *in forma*, & tunc iudex eo ipso constituit terminũ ad causam committendam ; & propterea appellans habet spatium decem dierum ad causam committendam, Scacc. *quaest.* 14. *num.*4. Aut dantur reuerentiales simpliciter absq; adiũcto, & tũc nullus terminus à iudice assignatur, propterea appellans habet tempus vnius anni ad causam committendam appellationis, Ridolph. *dicto cap.* 13. *num.*169. *&* 170. Sed si iudex sit dubius, an appellatio sit admittenda, vel reiicienda, dare solet terminum iuris; & est spatium vnius mensis, seu 30. dierum à iure concessum iudici ad deliberandum de quibus apostolis sit respondendum; ac etiam parti indultum ad illos petendum, & redeundum pro illis, *dicto cap. ab eo*, 6. *de appell. in* 6. & *l. iudicibus*, 24. *C. de appellat.* Qui terminus incipit currere, tam iudici, quam parti à die interpositæ appellationis, Scacc. *dicta quaest.* 13. *num.* 84. & Ridolph. *cap.*13. *num.*174.

Aduerte vltimò, quod iudex tenetur respondere de Apostolis, alias faceret contra leges, & puniri potest, quinimò iudex hoc casu iurisdictionem amitteret, & processus ab eo postea factus esset nullus, *Clemen. quamuis*, 2. §. *quod si iudex, de appell.* Ridol. *dicto cap.* 13. *num.* 182. *&* 194. Scacc. *de appell. quaest.* 13. *art.*13. *num.*100.

De inhibitione.

Quae, & quotuplex sit inhibitio, à quo, quando, & ad quid concedatur.

QVÆ, ET QVOTVPLEX SIT. Inhibitio, vel sumitur pro præcepto negatiuo emanante à Principe Romano ; vel ab alio domino temporali ; vel à iudice. Inhibitio emanans

nans à Principe Romano est formidabilior cæteris; ipse enim præcipit, & inhibet virtute sanctæ obedientiæ sub pæna maledictionis æternæ, *cap.1. de sepult.in 6.* Inhibitio à Domino temporali, est de spectantibus ad populi commodum ad illius regimen. De his duabus speciebus hic non agimus; sed solum de tertia specie, quæ accipitur pro præcepto prohibitorio introducto de iure positiuo, *l. & toto tit.ff. lit. penden. nil innoui.* Quæ inhibitio dicitur *litera qua mediate iudex appellationis interdicit iudici à quo, ne pendente appellatione quid innouet, vel vlterius procedat,* Analys. *iur, pontif. tit. de appell.* §. *inhibitiones sunt.* Et vel fit à iudice ordinario; vel à iudice delegato, Ridol. *par.3. cap.5. num.195.* Prima emanat à quouis iudice virtute iurisdictionis ordinariæ, prout est quando A.C. inhibet. Secunda est illa, quæ emanat à iudice virtute commissionis; prout est inhibitio rotalis, cum in Rota omnes causæ sint commissariæ.

A' QVO, ET QVOMODO. Ad hoc, vt sit locus inhibitioni, 1. Requiritur maioritas in iudice inhibente, *cap. tuam, 3. de ordin. cognit.* 2. Vt fiat ex causa probabili, *cap. non solum, 7. §. illo verò, & cap. Romana, 3. §. si vero, de appell. in 6.* 3. Requiritur citatio ad videndum inhiberi, *dicto cap. Romana.* Quod non procedit, si sit facta in curia contra absentem; vel si iudex inhiberet ex officio, vt per Ridol. *in prax. par.3. dicto cap. 5. n. 210. & 212.* Quæ inhibitio tantum afficit nominatis in inhibitione, & non tertio aliquid innouanti, Felin *in cap. cum super, n. 11. de re iudicata.*

AD QVID. Hinc est, quod inhibitio relaxata parte non citata non afficit, nisi fuerit executa, & præsentata: Et si sit intimata parti, afficit etiam iudicem. E' contra inhibitio exequuta contra iudicem, afficit etiam partem non inhibitam, Lancell. *de attentatis post inhibitionem, par. 2. cap. 20. ampl. 9. n. 1.* & *declarat. 1. n. 14.* Intellige tantum in causa super qua pendet lis, & non in causa diuersa, seu articulo diuerso, Idem, *p.2.c.4. limit.2.n.1. &* 8. Verũ si fuerit transmissa extra curiã siue sit iusta, siue iniusta est timenda, & causat attentata, *cap. significantibus, 49. de appell.* ratio est, quia inferior parere debet, cum ad eum non spectet iudicare de iuribus inhibitionum, *decis. 124. n. 5. decis. 513. n.10. par.1. & decis. 714. n.3. par.3. in recen.* Ideoque quidquid innouatur contra tenorem inhibitio-

tionis, tamquam attentatum est reuocandum, Lancell. *in locis supracitatis*, Petr. Ridol. *in prax. par. 3. cap. 5. per tot.*

De remissorialibus, & compulsorialibus.

Quæ sint, quibus modis dari possint, à quo, quomodo, & ad quid.

QVÆ SINT. Dantur duo termini literæ remissoriales, & compulsoriales. Per Remissoriales, *datur facultas probādi extra iudicij locū rem in iudicio deductam à iudice litigatoribus*, Seuerol. *de remissor. cap. 1. n. 2.* & concedi solet, quando non adest suspicio calumniæ, Ridolphin. *in prax. par. 1. cap. 12. num. 83.*

QVIBVS MODIS. Quæ dupliciter fiunt. Aut quo ad totum negocium; vel quo ad probationem tantum faciendam. Primò casu, iudex qui remittit, non remanet iudex; secundo casu verò remanet iudex, & post modicum causa in omnibus post eum reuertitur, Ridolph. *in prax. par. 1. cap. 12. num. 74.* Regula est, quod in omnibus causis concedenda sit remissoria, si materia super qua illa petitur sit releuans, etiam data releuantia vnius articuli, Angel. *in l. de die, §. iubetur, num. 2. ff. qui satisd. cogant.* Mantic. *decis. 312. num. 2.* & Seraphin. *decis. 1364. num. 3.*

Compulsoriales, vel sūt generales, vel speciales. Generales pro omnibus, & singulis scripturis ad causam facientibus extrahendis conceduntur, cuius formulam ponit Saluf. Tiber. *in prax. lib. 4. fol.* mihi 445. & hæc in curia cōcedūtur parte citata, Ridol. *dicta par. 1. cap. 12. num. 170.*

Cōpulsoriales speciales dātur pro certa speciali scriptura extrahenda, & exhibenda; quæ non de facili concedūtur, nisi parte citata, & dato fumo sufficienti releuantiæ, de cuius releuantia appareat, Vestr. *in prax. lib. 6. cap. 11. n. 12.* & Buratt. *decis. 555. num. 1.*

A' QVO. Compulsoriales generales dantur à iudice ad quem post receptionem appellationis ad hoc vt iudex à quo transmittat acta, Analys. *iur. pontif. lib. 2. de appellat. §. compulsoria.*

riales. Quæ compulſoriales poſtquam fuerint iudici præſentatæ coram notario, & teſtibus, vt per Ridolph. *dicto cap. 12. n.* 211. ſi intra certum terminum non edat acta, & contumaciter detractet illa edere, appellans inſtet pro artioribus compulſorialibus, & citationibus ad videndum ſe incidiſſe in pœnis ſimplicium compulſorialium. Ratio à priori eſt, quia iudex de iure edere tenetur acta, *l. is apud quem*, 2. C. *de edendo*. Et completo proceſſu compulſoriali; tranſumptum, ſeu copia collationari debet cum ſuo originali, ac cum ſolita legalitate Ordinarii dādi, & ſigillis obſignari à iudice compulſoriali ad Romanam curiam tranſmittitur. Idem militat in proceſſu remiſſoriali, quorum formam refert Ridolph. *dicto cap. 12. per tot.*

De reſtitutione in integrum.

Titulus XXII.

Quid, & quotuplex ſit, quibus, & quando concedatur, quomodo peti poſſit, & quos effectus producat.

QVID SIT. Reſtitutio in integrum eſt vltimus actus ſuſpēſiuus ſententiæ & ſic definitur, *eſt in priſtinum ſtatum repoſitio, cap. ex literis, 4. eodem.* Vel *eſt prioris ſtatus reparatio,* Fagn. *in cap. mandato, num. 56. de ſimonia.*

QVOTVPLEX. Duplex eſt, alia gratioſa, alia iuſtitiæ, Petr. Ridolph. *par. 1. cap. 13. num.* 414. Gratioſa eſt illa, quæ à ſolo Principe ex eius pietate conceditur, & ab huius conceſſione non datur appellatio; nam à ſententia Principis non datur appellatio, *l. 1. ff. quibus appell. non licet*. Alia dicitur iuſtitiæ, & hæc conceditur prout de iure ab Ordinario; & datur appellatio ab illius conceſſione, Sigiſm. Scacc. *de appell. quæſt.* 17. *limit. 47. mem. 1. num. 169. & quæſt. 19. remed. 2. num.* 132.

QVIBVS. Conceditur pluribus. 1. Minoribus 25. annorum; & in Regno dicuntur minores, quando non excedunt 18. annū, Maran. *in prax. iudiciar. par. 6. act. 2. num.* 78. 2. Datur coheredi minoris in re indiuidua, ſecus in diuidua, Odd. *de reſtitut. in integr. quæſt.* 46. *art.* 3. & *deciſ.* 132. *num. 4. par. 2. recen.* 3. Cōceditur æquiparatis minoribus, id eſt, Eccleſiis, Hoſpitali-

talibus, & locis piis, nec non Communitati, Vniuersitati, seù Reipublicæ, ac Fisco ex eodem edicto minorum, Odd. *quæst.* *3.art.4. & sequen.* & Ridolph. *par.1.cap.13.num.*433. 4. Datur decrepitis, furiosis, perpetuo morbo laborantibus, & alijs miserabilibus personis, Odd. *dicta quæst.3.art.1. & 3. n.*8. 5. Datur maioribus ex clausula generali, *si qua mihi iusta causa esse videbitur*, l.1. *& toto tit. ff. ex quib. caus. maior.* 6. Datur rustico, qui non potuit consulere peritiores. 7. Militibus in expeditione constitutis. 8. Mulieribus facilius quã viris. 9. Pauperibus, & Egenis, Oddus. *vbi supra quæst.6. art. 2. quæst.*8. *& 9.* & Ridol. *dicto cap.13. à num.*432. *ad* 442.

INTRA QVOD TEMPVS. Aduerte, quod est limitatum tempus ad illam petendam. Vnde minori, & Ecclesiæ post quadriennium non conceditur, nisi ex rationabili causa, Fagn. *in cap. requisiuit, n.*11. *de rest. tut. in integr.* quod incipit currere minoribus postquam effecti sunt maiores, *Clemen.* 1. *eod. tit.* & *l. fin. C. de tem. rest. in integr.* quo elapso non datur, *cap.1. de restitut. in int. in 6.* iuncta *l. fin. C. de temp. in integ. rest.* Hoc quadriennium non currit existente iusto impedimento, vel constito de bono iure, aut de enormissima læsione, *cap.1. hoc tit. in 6.* Vestr. *in prax. lib.8. cap.3. num.*14. & *decis.*284. *num.5. par.6. recen.*

Nunquam conceditur sine causa: Plures enim sunt iustæ causæ restitutionis in integrum, nempè, minor ætas. Fauor publicus, Priuilegium Ecclesiæ, Oddus *de restitut. in integr. quæst.* 2. *& 3.* Paupertas. Absentia, Ignorantia, Oddus *quæst.* *5. art.3. & quæst.8. art.9. num.*41. Enormissima læsio, Sigism. Scacc. *de appell. quæst.19. mem.6. num.*14. *&* 15. nam læsio est fundamentum restitutionis in integrum, & sine læsione non conceditur, etiam personis priuilegiatis, *cap.* 1. *hoc tit.* & *l. quod si minor*, 25. §. *non semper, ff. de minorib.* Iniustitia sententiæ, Seraph. *decis.*245. *num.*2. quod procedit etiam si non sit notoria, *decis.*492. *num.*1. *par.*1. *recent.* Et nullitas sententiæ, *decis.* 333. *num.* 1. *par.* 4. *recent.* & Vant. *de nullit. sub tit. quid sit nullitas, num.*20.

QVOMODO. Aduerte secundo, quod duobus modis peti potest incidenter, & principaliter, Ridol *in prax. par.1. cap.* 13. *num.*420. Incidenter intentatur, quando petitur V.G. per viam exceptionis, vel replicationis; & proceditur summariè

fine

sine vlla solemnitate, Sigism. Scacc. *de appell. quæst.* 18. *remed.* 2. *num.* 48. Hoc modo sumpta peti potest coram quocumque iudice, siue ordinario, siue delegato, *l. fin. C. vbi & apud quem*. Principaliter verò non petitur, nisi seruatis solemnitatibus iudicij ordinarij, & hoc modo intentata indulgeri non potest, nisi à iudice ordinario rei, *cap. causa*, 9. *hoc tit.* & *l. in causæ*, 17. §. *fin. ff. de minor.* Si petatur per procuratorem, requiritur mandatum speciale, *l. illud*, 26. §. *fin. ff. de minor.* Tutor verò, & alius legitimus administrator illam petere possunt sine speciali mandato, Abb. *in cap suscitata*, *num.* 6. *de restitut. in integr.*

Aduerte tertiò, quod restitutio in integrum semel intentata, & negata, iterum intentari non potest, vt litibus finis imponatur, Abb. *in cap. fin. eod.* Limitatur quando quis appellat à tali restitutione non data, quia tunc audiri debet maximè, quando quis nouas adducit probationes, *l.* 2. & 3. *C. si sæpe in integr. restit. postuletur*.

EFFECTVS. Aduerte vltimò. Pendente iudicio restitutionis in integrum datur manutentio antiquiori possessori, *cap. cum teneamur*, 17. *de appellat.* & Ridol. *dicto cap.* 13. *num.* 487. Et pro commissione causæ restitutionis in integrum nō requiritur plena, sed sufficit semiplena probatio, Buratt. *decis.* 323. *num.* 4. quo iudicio pendente, ad instar appellationis, nihil est innouandum, quia suspenditur exequutio sententiæ, *cap. suscitata*, 6. *eodem tit.*

De relatione.

Titulus XXIII.

Quid sit, quæ illius requisita, quando datur, & quam vim habeat.

QVID SIT. Relatio dicitur actus suspensiuus, & ita definitur, *est missa consultatio iudicis dubitantis de iure ad Principem*, *cap. intimasti*, 68. *de appellat.* Dixi *de iure*, quia materia relationis est ipsum ius; vt est quando in controuerso casu nullum ius expressum habetur; vel est expressum, sed de eius intellectu dubitatur propter diuersas interpretum sententias; nam in perplexitate factorum non est recepta relatio,

l. 1.

l.1. & 2. C. de relat.
REQVISITA. Ad quam tranſmittendam plura concurrere debent, vt notat Rober. Maran. *in prax. par.6. tit. de appell. num. 7. &* 8. nempè, formantur literæ in præſentia vtriuſque partis, in quibus narratur factum, & caſus; deinde illæ communicandæ ſunt vtrique parti nè lædatur ius partium & poſtmodum ex illis efficiatur copia authentica cum ſigillo notarij.

QVANDO. Qua relatione ſæpe vtuntur iudices idiotæ, quādo volunt ferre ſententiam vum voto iuris periti; & tunc caueant, ne dent nomen iuriſperiti partibus, ad hoc ne poſſit ſubornari ad votum alterius. His ſeruatis illi iudicant ſecundum ius, & iuſtitiam.

EFFECTVS. Vnum aduerte, quod pendente relatione ante habitum conſilium à iuriſperito nihil innouatur; alias tamquā irritum renocatur, *cap. licet, 5. de off. deleg.* & *cap. nomen, 2. quæſt. 1.* Quæ relatio ſemper efficitur ad præcedentia cum qualitatibus ſuis. Fagn. *in cap. conquærente, num.* 19. *de cler. non reſident,* & *in cap. conquærente, num. 56. de off. ordinar.*

De reuiſione.

Titulus XXIV.

Quid ſit, quando permittatur, quibus, & ad quid.

QVID SIT, QVANDO, AD QVID DATVR. Reuiſio hoc modo definitur, *eſt repetita cognitio ex prioribus actis, propoſitiſque cauſis, & argumentis meritaque cauſæ concernentibus.* Cuius cauſa efficiens eſt Imperialis conſtitutio, quæ neminem contra ius, & æquum grauare permittit, *Auther. quæ ſupplicatio, C. de precib. Imperat offeren.* & fit ſumptibus petentis, verùm non impedit executionem ſententiæ, Guid. Pap. *quæſt.* 189. & 420. tamen ſi periti reuiſores ad hoc deputati deprehenderint iniquitatem ſententiæ, pars condemnata reſtituitur. Qua de cauſa pars victrix ſaltem præſtare tenetur cautionem iuratoriam reſtituendi tantum quantum fuerit condemnatus, *dicta Authen. quæ ſupplicatio. & ibi Gloſ.*

De supplicatione.

Titulus XXV.

Quæ sit, à quo, quomodo, quando, & ad quid porrigatur.

QVÆ SIT. Supplicatio dupliciter sumitur in genere & in specie. In genere sũpta nõ differt à relatione, & reuisione, de quibus supra, secus autem si sumatur in specie, quæ duobus modis considerari potest; primò prout est littera Papalis, Fagn. *in cap. licet, num. 6. 31. & 35. de crimin. fal.* Et sola supplicatio non dat canonicum titulum, neque ius certum continet; quia adhuc in vtero dicitur existere, donec expediuntur literæ; imò aliquando iustis de causis laceratur; minimè verò quando est vt vulgo dicitur registrata, & soluta componenda, Fagn. *ibidem num.* 10. & 34. de hac specie supplicationis, hic non tractabimus; sed solum de illa, quæ interponitur ad mitigandam seueritatem sententiarum illorum à quibus propter dignitatis sublimitatem appellare non licet. Sigism. Scacc. *de appell. quæst.* 19. *mem.* 3. *num.* 1. & hoc modo sumpta ita definitur *est imploratio benignitatis ipsius superioris, l. præfect.* 18. *ff. de minorib* Datur iste recursus non solum à sententia Principis, verùm etiam in quocumque alio casu, vbi prohibetur appellatio per statutum. Cuius causa efficiens est lex ipsa; & fundamentum non sumitur ex sententiæ iniquitate; quia nõ cadit in tam sublimes personas, sed ex petitione veniæ proprii erroris, Glos. *in dicta l. præfecti*. Hinc est quod appellatione prohibita, non censetur prohibita supplicatio, seu recursus Ridolph. *par.* 3. *cap.* 5. *n.* 410.

A' QVO, QVOMODO, ET AD QVID DATVR Aduerte, quod supplicatio in pluribus differt ab appellatione. 1. Quia appellatur intra decem dies, vt supra; sed supplicatur vsque ad biennium 2. Pendente appellatione nihil est innouandum; sed pendente supplicatione mandatur sententia executioni. 3. Ante sententiam non licet simpliciter supplicare, sed appellare permittitur. 4. Supplicatio tendit ad noua, & vetera; appellatio verò solum ad ea super quibus interponitur, *cap. ex literis.* 4. *de in integr. restitut.* Vltimò: Temerè supplicans condemnatur

natur in omnem litis existimationem, *l. 2. & 3. C. vt lite pendente*.

Hac de causa Princeps aduersus rem iudicatam, non debet esse facilis in admittendis supplicationibus, Scacc. *dict. quaest. 19. remed. 3. num. 29.* quoniam si Princeps rescribat ad supplicationem, illa obtinet vicem litis contestatae, & perpetuatur vsque ad triginta, vel 40. annos, *l. temporales, 2. C. quando libellus Principi datur*.

De simonia.

Titulus XXVI.

Vnde dicatur, quid & quotuplex sit, qualiter inducatur, in quibus contrahatur, quomodo, qua pœna vindicetur, à quo, & quando dispensatur. Et in quibus casibus toleratur solutio pecuniae pro re spirituali.

VNDE DICATVR. In nouo testamento originem traxit simonia à Simone Mago, qui emere volebat Spiritum Sanctum, vt illum venderet. Authores simoniae noui, ac veteris Testamenti refert Fagn. *in cap. cum pridem, n. 8. de pactis*. Communiter existimatur abominabilius hoc crimen, ad cuius cõparationem caetera, quasi pro nihilo reputantur, *cap. sicut simoniaca, 6. eod.* & Fagn. *in cap. per tuas*, il primo, *num. 4.* & *in cap. ex diligentia, num. 17. de simonia*, ratio est, quia per simoniam infertur grauis iniuria Deo, & rei sacrae, ac est peccatum mortale ex suo genere contra Religionem.

QVID SIT. Definitur: *Est studiosa voluntas emendi, vel vendendi spiritualia, vel spiritualibus annexa*, Doctores communiter, & Iulius Clar. *lib. 5. §. simonia, num. 1.* Dixi *studiosa voluntas*; quia magna ex parte vitium simoniae pendet à voluntate, & intentione operantis, *cap. tua nos, 34. de simonia*. Dixi *emendi, vel vendendi*; quia committitur, vel venditione, aut permutatione rei sacrae cum temporali. Dixi *spiritualia, vel spiritualibus annexa*; nam non solum res spiritualis, vt est ordo, est materia huius criminis; verum etiam res temporalis spiritua-

litati annexa, vt est ius patronatus, *cap. de iure, 16.* & *cap. quis clerici, 6. de iure patronatus.*

QVOTVPLEX. Diuiditur in mentalem, conuentionalem, & realem. Simonia mentalis fit duobus modis. Vel non coniungitur cum actu externo, sed sola mente concipitur, vt si quis habeat intentionem dandi pecuniam pro beneficio, & deinde pœnitentia adductus illam non dedit. Vel sumitur pro illa actione, quæ fit mente simoniaca ex se, & circumstantiis; vt si quis accipiat eleemosynam missæ, tamquam prætium valoris eiusdem, nullo dato signo exterius, *dicto cap. tua nos, 34.* & *cap. vlt. de simonia.* Per quam simoniam mentalem, simoniacus non obligatur ad beneficij dimissionem, sed tantum ad satisfaciendum Deo per pœnitentiam, Fagn. *in cap. ex parte, num. 19. & 21. de off. del g.* & *in cap. cum ad nostram, num. 19. de elect.*

Simonia conuentionalis dicitur expressa conuentio de dando aliquid temporale pro spirituali, Abb. *in cap. cum, super de confessis.*

Simonia realis est quãdo res tẽporalis traditur pro spirituali; & quia res, quæ datur pro re spirituali vocatur munus, illud multiplex est, vel à manu, vel à lingua, vel ab obsequio. Munus à manu comprehendit omnia bona pretio extimabilia, *dicto cap. tua nos, 34.* Munus ab obsequio intelligitur seruitus indebitè impensa per pactionem pro collatione beneficij ad vtilitatem hominis, *cap. vlt. de pactis.* Munus à lingua includit præces, & intercessiones, quæ lingua exerceri solent: intellige quando fiunt ex pacto expressè, vel tacitè inhito: vt si quis det beneficium alicui, vt ipsum laudet apud Principem, D. Thomas, *secunda secundæ quæst. 100. art. 5. ad 3.* Insuper in dandis muneribus, attendendum est quid offertur, à quo, pro quo, qua intentione, & quantum offeratur, Analys. *iur. pontif. lib. 3. hoc tit. §. cum res, in fine.*

Addenda est alias species simoniæ, quæ dicitur confidentalis, & est quando quis resignat, vel confert beneficium hoc animo, vt beneficij fructus in totum, vel in partem sint resignantis: Vel quando patronus aliquem præsentat cum pacto, quod deinde præsentatus resignaret beneficium ad fauorem nepotis patroni, cum is ad legitimam ætatem perueniſſet, & pluribus alijs modis, vt eleganter probat Chartar. *decis. crimin.*

Digitized by Google

*min.*101.*num.*2. hæc species simoniæ reducitur ad mentalem, & conuentionalem.

QVALITER PROHIBEATVR. Aduerte, quod quædam sunt prohibita, quia simoniaca; quæ in veteri, nouoque testamento simoniaca erant in sui natura, vt vendere sacramenta. Quædam verò sunt simoniaca, quia prohibita, quæ scilicet per constitutionem Ecclesiæ facta sunt simoniaca, vt resignare beneficium cum pacto, quod alteri conferatur, quam distinctionem sequitur Hostien. *in sum. ibid.* & Fagn. *in cap. ex parte, num* 17. *de off. deleg. in cap. super speculum, num.* 20. *de cler. vel monachis*.

A' QVIBVS CONTRAHATVR. Cui crimini subiacent omnes baptizati cuiuscumque status, gradus, & conditionis, ita Martin. Bonacin. *de simonia. disput.* 1. *quæst.* 7. §. 2. *propos.* 2. Etiam Papa inuolui potest simonia in prohibitis quia simoniacis, non autem in simoniacis quia prohibitis; nam quoad pœnas iuris Canonici Pontifex non ligatur, hac de causa non incurrit in reatū simoniæ contra ius Canonicum, secus autem contra ius Diuinum, Fagn. *in cap. ex parte, num.* 22. *de off. deleg.* & *in cap. cum pridem, num.* 55. *de pactis*.

QVOMODO. Pluribus modis contrahitur hoc crimen. 1. Vendendo sacramenta, vel ipsorum vsum, aut accipiendo aliquid temporale pro materia proxima sacramentorum, non autem pro materia remota, *cap. cum in ecclesia*, 9. *de simonia*, & Fagn. *in cap. cum pridem, num.* 7. *de pactis*. 2. Vendendo sacramentalia, id est, benedictiones sacras, & alias consimiles actiones, *cap. ad nostram*, 21. *eod.* 3. Recipiendo aliquid temporale pro ordinibus conferendis, Fagn. *in cap. in ordinando, num.* 1. *de simonia*, vel pro functionibus ordinum, *dicto cap. ad nostram*, 21. 4. Vendendo reliquias, aut eas pretio ostendere, *cap. cum ex eo*, 2. *de reliquijs, & venerat. san.* 5. Simoniacum est aliquid temporale dare pro collatione beneficij ecclesiastici, Fagn. *in cap. ex diligenti, num.* 3. *de simonia*. 6. Simoniacum est pensionem constituere, aut transferre, vel redimere pecuniæ interuentu, Fagn. *in cap. ad audientiam, num.* 82. *de rescr.* & idem est si extinguatur pensio sine beneplacito Apostolico mediante pecunia, Chartar. *decis. crim.* 16. *num.* 1. & 31. 7. Committitur simonia vendendo, vel permutando adnexum spirituali cum temporali, *cap. si quis obiecerit*, 1. *quæst.*

quaſt. 3. 8. Si aliquid accipiant pro executione literarum Apoſtolicarum, vel pro præſentatione cuiuslibet reſcripti, Fagn. *in cap. quoniam, num.* 30. *ne prælati vices ſuas*. 9. Qui aſſignat Eccleſiæ bona ſua eo pacto, vt recipiatur in Canonicum, & illa ſibi retineat pro præbenda, Idem *in cap. tua nos, num.* 1. *de ſimonia*. 10. Aliquid recipiendo pro ingreſſu ad Religionem, ſeu pro ipſa profeſſione; permittitur tamen aliquid accipere pro congrua ſubſtentatione ad formam Sa. Concil. Trid. *ſeſſ.* 25. *cap.* 16. *de reformat.* 11. Simoniacum eſt pro præſentatione ad beneficium iuris patronatus aliquid temporale dare, Fagn. *in cap. tua, num.* 4. *de ſimonia*. Vltimò; Electio dicitur ipſo iure nulla, non ſolum per ſimoniam realem, verum etiam per ſimoniam conuentionalem, Idem *in cap. nobis, num.* 7. *&* 13. *de ſimonia*.

QVA PÆNA SIMONIACI FERIANTVR. Simonia varijs modis vindicatur per ſacros canones; nam conferentes ordines ſimoniacè ſuſpenduntur à collatione ordinum, ab ingreſſu Eccleſiæ, & ab exercitio Pontificalium, *cap. penul. de ſimonia*, & Gloſ. *in cap. tranſmiſſam*, 15. *de elect.* Et ille qui ſimoniacè ordinem ſuſcepit, non ſolum ipſo iure ſuſpenſus eſt ab executione ordinis ſui, *Extrauag. cum deteſtabile*, 2. *de ſimonia* verùm etiam deponendus eſt, *cap. ſi quis epiſcopus*, 8. & *cap. ſtatuimus*, 106. *cum ſequen.* 1. *quaſt.* 1.

Obtinens beneficium ſimoniacè nullum ius ex eo aſſequitur, ideoque ad reſtitutionem fructuum, ſi quos percepit ſub periculo animæ obſtringitur, *dicta Extrauag. cum deteſtabile*; quod de iure Canonico retineri non poteſt, etiam ante iudicis ſententiam, *cap. ſi quis neque*, 1. *quaſt.* 1. Vnde ſimoniacus dicitur intruſus carens titulo vero, & putatiuo, & ſemper eſt in mora reſtituendi fructus, ſicut fur, Fagn. *in cap. tua nos, n.* 8. *&* 10. *de ſimonia*.

Examinatores, qui aliquid accipiunt occaſione examinis priuantur beneficijs antea quæſitis, Trident. Synod. *ſeſſ.* 24. *de reform. cap.* 18. Omnes alij ſimoniaci per actionem externam ſunt excommunicati, & incidunt in pluribus alijs pænis, de quibus *in Extrauag. cum deteſtabile*, 2. *de ſimonia*, quæ comprehendit dantes, recipientes, & mediatores, quando delictum eſt conſummatum, vt per Martin. Bonacin. *de ſimonia diſp.* 1 *quaſt.* 7. §. 2. *num.* 2.

A QVO,

Digitized by Google

A' QVO, ET QVANDO DISPENSATVR. Quia non est in potestate hominum legem naturalem, vel diuinam tollere, nullus homo potest per dispensationem aliquem eximere à culpa simoniæ de iure naturali, vel diuino inducta. In simonia verò contra ius Canonicum, Papa dispensare valet, eximendo aliquem à lege ecclesiastica, per quam aliqua actio prohibita fuerat intuitu Religionis, Bonacin. *de simonia disp.* 1. *quæst.* 7. *pun.* 4. *num.* 1. & Iul. Clar. *lib.* 5. §. *simonia*, *num.* 5.

Crimen simoniæ est de exceptis, & licet regulariter in criminalibus requirantur probationes luce meridiana clariores, tamen in hoc crimine sufficit probatio, quæ fit per signa euidentia, & coniecturas, *cap. si ut*, 6. *de simonia*, & Iul. Clar. *lib.* 5. §. *simonia*, *num.* 11. & 12 in specie de pæna simoniæ, vide Abb. Panorm. *in cap. cum non liceat*, *num.* 4. *de præscript*

IN QVIBVS CASIBVS NON CONTRAHATVR SIMONIA. Excusatur à labe simoniæ, qui occasione rei spiritualis accipit aliquid temporale, non loco pretij, sed titulo gratitudinis, *cap. sicut episcopus*, 1. *quæst.* 2. Vel titulo sustentationis; cum sustentatio iure naturæ debeatur, & dignus sit operarius cibo suo, Azor. *inst. moral. par.* 3. *lib.* 12. *cap.* 3. *quæsit* 6. Nec non causa redimendæ vexationis aliquid temporale tradi potest; quia illa vexatio est temporale impedimentum, ideoque simonia non committitur, *cap. dilectus*, 28. *de simonia*, & latè Bonacin. *ubi supra disp.* 1. *quæst* 6 *pun.* 3. & 4.

De hæreticis.

Titulus XXVII.

Hæresis, quæ & quotuplex sit, à quo puniri debeat, quando, & quæ pæna.

QVÆ SIT. Dantur tres termini hæresis, hæreticus, & erraticus, qui omnes originem sumunt à verbo, *erro*. Hac de causa hæresis ita definitur, *est voluntarius error intellectus cum pertinacia contra aliquem fidei veritatem*, Fagn. *in cap. quod à prædecessore*, *num.* 17. *de schismat.* Dixi *voluntarius error*,

error, quia errans inuolumtariè, non committit peccatum hæresis; vnde qui per ignorantiam crassam errat circa res fidei, dummodo sit paratus corrigi, & obedire Ecclesiæ excusatur à pœnis eiusd. criminis. Dixi *intellectus*; quia sicut actus fidei est actus intellectus: ita & hæresis, quæ est contraria fidei; nam hæresis initium est error intellectus; & hæresis complementum est pertinacia in voluntate, Fagn. *in cap. damnamus, num. 21. de sum. trinit. & fid. cath.* Dixi *cum pertinacia*; quia eiusdem causa efficiens est Satan, pertinacia mentis, & peruersus intellectus, *cap. qui in ecclesia*, & *cap. dixit Apostolus*, 24. *quæst. 3.*

Hæreticus est, *qui nouas, & falsas opiniones gignit, vel sequitur gratia sua vanæ gloriæ, & maximè Principatus, cap. hæreticus*, 24. *quæst. 3.* Vel dicitur, *qui negat aliquem ex articulis ab Ecclesia definitis*, Fagn. *in cap. cum venisset, num. 96. de sacr. vnct.* & *in cap. ex parte, num. 19. de cler. non resident.*

Erraticus dicitur ille, *qui ex simplicitate errat in his, quæ sunt fidei absque animo recedendi ab his, quæ credit Ecclesia*; vt si aliquis ratione naturali opinetur Patrem esse priorem Filio, & habeat fidem implicitam, ita vt credat quidquid Ecclesia credit, ille non est hæreticus, quia credit Ecclesiam sic credere, Fagnan. *in cap. firmiter, num. 20. de sum. trin. & fide cathol.*

QVOTVPLEX. Hæresis duplex est mentalis, & vocalis. Mentalis dicitur, quando sentit aliquid contra fidem, & nullum signum sui animi exterius manifestat; iste non incidit in excommunicationem, & potest absolui à quocumque confessario; quoniam cessat ratio reseruationis, cessante excommunica, Fagn. *in cap. dolentes, num. 27. de celebrat. miss.* ratio est, quia Ecclesia non iudicat de internis, Gloss. *in cap. christiana*, 32. *quæst. 5.* Vocalis dicitur, quando mentem suam exterius sufficienter manifestat verbis, aut signis etiam occultè, Abb. *in cap. absolutus, num. 2. de hæret.* Iste manifestans suum animum, etiam occultè, & nullo audiente, & præsente, incidit in excommunicationem reseruatam soli Pontifici, vt patet ex vltimis verbis in bulla cænæ.

A' QVO. Hoc crimen est pestilentissimum, ideoque quilibet sub mortali hæreticos denunciare tenetur, *cap. 1. de hæret.* & *cap. quapropter*, 2. *quæst. 7.* Imò cum sit merè ecclesiasticum,

cum, etiam laicus hæreticus est subiectus Episcopo, Fagn. in *in cap. tuam, num.48. de ordin. cognit.* Verùm sola executio relinquitur iudici sæculari, post sententiam Episcopi, Abb. *in cap. excommunicatus*, 15. *num.* 1. & Fagnan. *in capi. ad abolendam, n.22. & 23.* & ibi Abb. *n.7. hoc tit.* Modus, quem Inquisitor seruare debet in examinando testes super crimine hæresis, describitur *in cap. vt officium*, 11. *de hæret. in 6.* & tantum inimici capitales repelluntur à testificando, Chartar. *decis. crim.* 33. *num.* 4. & si reus huiusmodi criminis non sit conuictus, sed suspectus, non est condemnandus de tam graui crimine, *cap. literas*, 14. *de præsumpt.* sed suspicionis causam purgare tenetur, alias esset excommunicandus, & si per annum steterit in excommunicationem insordescenter, habetur pro conuicto, & condemnatur veluti hæreticus, *cap. excommunicamus*, 13. §. *qui autem*, *eod.*

QVA PÆNA. Hæreticus pluribus modis puniri potest, 1. Si sit Clericus deprehensus in manifesta hæresi, spoliatur à tota prerogatiua ordinis, & sic spoliatus traditur curiæ sæculari; si verò sit laicus ad idem tenetur, sed diuerso medio, *cap. super eo*, 4. *eod. in 6.* Et si ille sponte compareat, antequam sit denunciatus, vel accusatus, euitat pœnam mortis, Fagn. *in cap. ad abolendam, num.* 19. *de hæret.* 2. Bona hæreticorum post latam sententiam ipso iure confiscantur, *cap. vergentis*, 10. & *cap. excommunicamus*, 33. §. *damnati, eod.* hoc intellige etiam post mortem vsque ad annum 40. *cap. penul. eod. in 6.* Fagnan. *in cap. absolutus, num.23. de hæret.* 3. Filij pro parentibus priuantur successione patris, *dicto cap. vergentis*, §. *ne huiusmodi*; & vsque ad secundum gradum lineæ paternæ, & ad primum gradum lineæ maternæ non admittuntur ad beneficia ecclesiastica, nisi se emendauerint ante mortem, *cap. statutum*, 15. *eod. in 6.* 4. Vxores contrahentes matrimonium cum hæreticis scienter, in pœnam, earum dotes cōfiscantur, simul cum bonis mariti hæretici, secus autem si ignorabant illos esse hæreticos, *cap. decreuit*, 14. *in 6.* 5. Cadauera hæreticorum, credentium, fautorum, & receptatorum priuantur ecclesiastica sepultura. Præsumens illa scienter sepellire est excommunicatus, ac non absoluitur, nisi publicè proprijs manibus extumulet, & proijciat huiusmodi corpora damnatorum, & ea proiecta terræ relinquat. Atque lo-

cus ille perpetuò careat sepultura, *cap. quicumque hæreticos*, 2. *eod. in 6.* Vltimò: Damnato authore, damnantur eius scripturæ, libri, & opera, *cap. fraternitatis*, 4. *eod.* Vnde, legens libros hæreticorum, vel cuiusuis authoris damnati continentes hæresim, incidit in excommunicationem soli Pontifici reseruatam; si verò non contineant hæresim, & similia, est excommunicatus, sed absolui potest à quocumque confessario, Fagn: *in cap. damnamus, num.* 19. *de sum. trinit. & fid. cathol.* Mart. Bonacin. *de excommunicat. disp.* 11. *quæst.* 5. *pun.* 4. *num.* 1. plenius hanc partem explicat Iul. Clar. *in prax. lib.* 5. *§. hæresia à num.* 1. *ad* 26.

De schismaticis.

Titulus XXVII.

Schisma quæ, & quotuplex sit, quæ illius pœna, à quo, & quandò imponatur.

QVÆ SIT. Schisma dicitur *à scissura*, & ita definitur, *est illicita diuisio ab vnitate Ecclesiæ per inobedientiam facta*, *cap. schisma*, 24. *quæst.* 1.

QVOTVPLEX. Cuius appellatione veniunt schismatici largissimè, largè, & propriè sumpti. Largissimè schimatici, sunt omnes constituti in peccato mortali, *cap. audi*, 11. *quæst.* 3. Largè dicuntur excommunicati, quia sunt extra communionem fidelium, *cap. cum excommunicato*, 11. *quæst.* 3. Qui schismatici non sunt excommunicati à iure ob hanc causam, nisi ab homine excommunicentur alio respectu, *cap. multi*, 2. *quæst.* 1. Verùm, si schisma sit coniunctum cum hæresi, proculdubio sunt excommunicati. Hodie tamen crederem omnes esse excommunicatos per textum *in cap. licet*, 6. *vers. tam ipsi*, *de elect.* Schismatici propriè sumpti dicuntur, qui se diuidunt ab vnitate Ecclesiæ Romanæ, constituendo sibi Ecclesiam, & ordinando Clericos, *cap. schisma*, 24. *quæst.* 1. Vnde Episcopus schismaticus non potest excommunicare, nec absoluere, nec indulgentias concedere, Fagn. *in cap. quod à prædecessore, num.* 50. *de schismat.* & Hostien. *in sum. lib.* 5. *hoc tit.*

tit. num. 4. Dumtaxat ſchiſmatici propriè ſumpti dicuntur hæretici, quia veniunt contra vnam ſanctam Eccleſiam, ideoque ſunt excommunicationis vinculo innodati, Fagn. *vbi ſupra, num.*23.

QVOMODO, ET QVA PŒNA PVNIANTVR. Si quis ſcienter accipiat ſacramenta ab Epiſcopo ſchiſmatico ſeruata forma Eccleſiæ imprimitur character, *cap.*1. *hoc tit.* & *cap. detrahe*, 1. *quaſt.*1. Sed exequutio ſuſpenditur, donec à Pontifice diſpenſatum fuerit. Si verò ignoranter ab eis ordinati fuerint prodeſt diſpenſatio accepta à Prelato diſcreto, Doctores *in cap. fraternitati*, 2. *de ſchiſmat.*

Schiſmatici. 1. Feriuntur excommunicationis,& ſuſpenſionis cenſura, & ſi non reſipuerint deponuntur, *cap. in nomine Domini*, 1. *diſtin.*23. 2. Puniuntur amiſſione fidei, iuſtitiæ, & charitatis, *cap. vbi ſana fides*, 24. *quæſt.* 3. 3. Priuantur perfectione Spiritus ſancti, nam qui à fide recedit, Spiritum ſanctum amittit, *cap. hæretici*, 24.*quaſt.*1. Vltimò: Acquirunt perpetuam damnationem, & eis non prodeſt, neque eleemoſyna, quantumuis copioſa, neque baptiſmus, *cap. firmiſſimè*, 3. *de hæreticis*, & quia iſte titulus fraternizat cum præcedenti, vos remitto ad dicta.

De apoſtatis.

Titulus XXVIII.

Apoſtaſia quæ, & quotuplex ſit, qualiter ſit punienda, à quo, quomodo, & ad quid.

QVÆ SIT. Apoſtaſia in genere ſumpta ita definitur, *eſt temerarius receſſus à ſtatu fidei, obedientiæ, & religionis, quam quis profeſſus eſſe tenere.* Hinc eſt, quod apoſtata dicitur, quaſi retrogrediens, Fagn. *in cap. conſultatione*, *num.* 19. *de apoſtatis*, & Hoſtien. *in ſum. lib.*5. *hoc tit. num.*2.

QVOTVPLEX. Quæ apoſtaſia in tres diuiditur ſpecies, alia eſt perfidiæ, alia inobedientiæ, & alia religionis. Prima dicitur qua quis recedit à fide, quam ante colebat, vt ſunt Chriſtiani, qui conuertuntur ad actus iudaicos, *cap. non poteſt*, 2. *quaſt.*

7. Apostata à fide est peior hæretico; & contra eum habent locum iura superius posita, *in tit. de haret.* Verum, sicut hæreticus admittitur ad pœnitentiam, ita & apostata, Iul. Clar. *in prax. §.fin. quæst.*78. *num.*4. Apostasia inobedientiæ dicitur, qua quis non obedit sacris canonibus, & statutis; vel si non vult obedire Papæ, credendo eum non habere potestatem condendi Canones; & hic punitur, vti hæreticus, *cap. null'*, 5. *dist.* 19. & *cap. alieni, 3. quæst.*4. Apostasia religionis committitur, quando quis facta professione propria authoritate deserit religionis habitum, animo non amplius illum recipiendi; & tunc illi religiosi professi possunt compelli ad reassumptionem habitus. Hæc alio nomine nuncupatur apostasia irregularitatis, quia recedit à statu sumptæ religionis, *cap. beatus*, 3. *quæst.* 4. Abb. *in cap. tuæ*, *num.*4. & *in cap. penul. de apost.* & de recenti Fagn. *in cap. si quis, num.*56. *de regularib.*

Additur alia species apostasiæ, nempè à Clericatu; nam Clericus constitutus in sacris, qui tenet beneficium ecclesiasticum, si dimittat habitum, dicitur apostatare; quia tam ratione clericatus, quam beneficij tenetur deferre habitum. Hinc est quod Clericus verbo non potest renunciare beneficio clericali, *cap. si diligenti*, 12. *de foro competen.* Si verò sit in minoribus, facto, renunciare potest huic beneficio, vt est si ducat vxorem, *cap. diuersis*, 5. *de cler. coniug.* Vel si dimisso habitu, & tonsura se immisceat in enormitatibus, tùc eum percutiens non incidit in censuram, *can. si quis suadente diabolo. cap. perpendimus*, 23. *de senten. excom.*

A' QVO, ET QVALITER PVNIATVR. Pœnæ statutæ contra apostatas à sacris canonibus sunt diuersæ. 1. Apostatæ perfidi puniuntur, vt hæretici. 2. Non habent ius testandi, neque succedendi, *cap. non potest*, 2. *quæst.*7. 3. Auctor apostasiæ pœna capitis punitur, *l.*5. *C. eod.* 4 Apostata religionis est excommunicatus, efficitur infamis, & peccat, Fagn. *in cap. si quis, num.*57. *de regular.* & *in cap. consultationum, num.* 3. *eod.* Imò detinetur in carceribus donec reassumpserit desertum habitum religionis, *cap. pen. de apostat.* Qua durante repelluntur ab accusatione, tamquam infames, *dicto cap. alieni*, 2. *quæst.*7. & *cap. beatus* 3. *quæst* 4. 5. Eligi non possunt ad dignitatem, *cap. legi*, 16. *quæst.* 1. Et si post monitionem se non correxerint deponuntur, & priuantur priuilegijs clericalibus, *cap. si autem*, 11. *quæst.* 3.

Digitized by Google

De homicidio.

Titulus XXIX.

Quid & quotuplex sit, qua pœna puniatur, à quo, quando, & ad quid.

QVID SIT. Sub homicidij nomine, non tantum venit apud sacros Canones interemptio hominis, sed persuasio mala, omnisque actus iniquus ad nocendum alteri, *cap. homicidium.* 28. *de pœniten. distin.* 1. Verum nos de eo agimus, quod pertinet ad hominis internecionem, & dicitur *ab homine & cedo*, quasi *hominis cedium*, & sic definitur, *est interfectio hominis ab homine facta dolo, culpa, vel ex ira, cap. presbyterum*, 7. & *cap. ad audientiam*, 12. *eodem*.

QVOTVPLEX. Diuiditur in spirituale, & corporale. Spirituale committitur, v. gr. per denegationem alimentorum; & in pœnam inter alias, ille filius liberatur à patria potestate, *c.* 1. *de infant. & lang. expos.* & *l.* 1. 2. & 3. *C. de infantib.* Corporale subdiuiditur in plures species. 1. Dicitur culposum, quando quis citra animum occidendi alium percussit; ex qua percussione ille mortuus est. 2. Dolosum, quando quis animo aliquem occidendi illum interficit. 3. Dicitur homicidium ex proposito, vt est si ex interuallo præuia animi deliberatione illum interficiat. 4. Ex insidijs, quando aliquis positus in loco, qui ab illo præuideri verisimiliter non potest, expectat alium animo occidendi, illumque ex improuiso agreditur, & interficit. 5. Proditoriū, vt quando interficit amicum; vel alium amicitiæ signis datis. 6. Per insidias, vt si nulla præcedente inimicitia aliquem à tergo interficiat. Vltimò: Assassinium, quando fit per sicarios pecunia interueniente, de quibus speciebus, late tractat. Iul. Clar. *lib.* 5. §. *homicidium à num.* 1. *ad* 12.

Potissima diuisio est, aliud voluntarium, aliud casuale. Voluntarium, vel committitur per se dolo malo; & tunc qualitas animi deliberati probatur ex coniecturis, vt si commissum fuerit nulla suborta rixa tempore homicidij, Chartar. *decis. crim.* 4. *num.* 16. Vel per alium, vt per mandatum mediante pecunia, & dici-

dicitur assassinium, *cap. pro humani.* 1. *eod. in 6.* In qua specie homicidij voluntarij difficilius à Papa dispensatur, præsertim si homicida sit in sacris constitutus, Fagn. *in c. p. Henricus, num.* 18. *de cler. pugnan. in duello*, Imò in irregularitate prouueniente ex homicidio voluntario occulto, solum Papa dispensare potest, Concil. Triden. *sess.* 24. *cap.* 6 & Martin. Bonacin. *de irregularit. disput.* 7. *quæst.* 5. *punct. vlt. per totum*.

QVA PÆNA. Homicidium per ius Canonicum coercetur per excommunicationem, si sit laicus homicida, Iul. Clar. *vbi supra*, *num.* 20. & si sit Clericus deponitur, iuxta textum *in cap. cum non ab homine*, 10. *de iudicijs*, & Fagn. *ibidem num.* 95. Qui non traditur curiæ sæculari, nisi constet de incorregibilitate, vt per Fagn. *dicto num.* 95. De iure ciuili verò punitur pæna capitali, *l. penul. ff. ad legem Cornel. de sicar.* & per hanc pænam satisfacit Reipublicæ, quæ passa est iniuriam; verùm in foro poli tenetur resarcire omnia damna illata heredibus per mortem occisi, Nauarr. *in summ. cap.* 15. *num.* 19. & Azor. *inst. moral. par.* 3. *lib.* 5. *cap.* 3. *&* 4. *quæst.* 2. Semper tamen in punitione attendenda est qualitas delicti, sexus, & tempus, cum loco, *cap. sicut dignum*, 6. *eod.* Omnes leges punientes affectum, non secuto effectu sunt sublatæ de generali consuetudine; ideoque inferens vulnera animo deliberato occidendi, non punitur pæna homicidij, sed vulneris, Iul. Clar. *lib.* 5 *senten. §. homicidium. num.* 74.

QVANDO. Homicidium casualæ imputatur ei, qui dabat operam rei licitæ, si non adhibuit diligentiam, quam debuit, Fagn. *in cap. ad audientiam*, *num.* 1. *de homicid.* & propriè non dicitur homicidium, qua propter mitius punitur, *l.* 1 *§. sed & si*, & *l.* 4. *§.* 1. *ff. ad leg. cornel. de sicar.* Imò, quando adhibuit diligentiam debitam, ne damnum sequatur, & nihilominus subsecuta est mors, non est reus homicidii, *cap. lator*, 9. *eod.*

Quę prohibitio interficiendi hominem, primò comprehendit se ipsum. Vnde si quis metu futuræ pænæ, vel causa desperationis seipsum interficiat, non datur ecclesiastica sepultura, nulla pro eo offerenda est oblatio, *l. si is qui*, 2. *C. qui testamen. facere possunt*, *l. in eo*, 2. *ff. de testamen.* Excipiuntur duo casus, primus; Quando quis tedio vitæ se ipsum occidit, quia de iure ciuili non punitur, *l. si quis filio*, 6. *§. eius, ff. de iniusto rupt. & irr. facto testam.* Secundus: Si per furorem se ipsum interficiat

ficiat *cap. illud*.2. & *cap. si quis insaniens*,15. *quæst.* 1.

Etiam dicitur homicida, ille qui impedit susceptionem, & & procreationem sobolis, sed non est irregularis, nisi homo animatus interficiatur, *cap sicut*, 20. *eod.*

EX QVIBVS CAVSIS EXCVSETVR. Excusatur à pæna homicidii homicida ex pluribus causis. 1. Si probet, quod, homicidium ipsum commisit ad sui necessariam defensionem, *l.*3. *ff. de instit. & iur.* & Concil. Trid. *sess.*14. *cap.*7. intellige, siue pro defensione personæ, siue honoris, vt per Iul. Clar. *dicto* §. *homicidium, à n.*24. *ad* 37. semper verò cum moderamine inculpatæ tutelæ. Vnde interficiens Clericum ob necessariam proximi defensionem non excommunicatur, Fagn. *in cap. petitio, num.*5. *de homicid.* Nec minus est excommunicatus qui Clericum occidit, quando deprehenditur in fragranti crimine adulterij cum eius vxore, Chartar. *decis. crim.*3. *num.*2. 2. Ministri, & iudices impunè occidunt delinquentem, non tamen excusantur ab irregularitate, *c. penul. de homicid.* Vltimò excusantur occisores latronis, vel furis nocturni, dummodo ab alio alia via comprehendi non possit absque occisione, *l. furem*, 9. *ff. de sicarijs*, & Fagn. *in cap. suscepimus, num.* 24. *de homicid.*

De adulterijs.

Titulus XXX.

Adulterium quid sit, quibus modis committatur, cui competat ius accusandi, intra quod tempus, coram quo iudice, & qua pæna puniatur.

QVID SIT, ET QVANDO COMMITTATVR. Adulterij appellatione in genere, venit omnis illicita fornicatio, *cap. meretrices*, §. *fin.* 32. *quæst.*4. Propriè vero dicitur *alterius thori violatio*, *cap. non mœchaberis*, 32. *quæst.* 6. & *l. inter liberos*, §. 1. *ff. eod.* Hoc modo sumptum tripliciter committitur, 1. Inter virum coniugatum, & fæminam nuptam. 2. Inter virum coniugatum, & mulierem solutam. 3. Inter virum solutum, & mulierem nuptam. Proprijssimè adulterium in viro

est

est quando violat alienum thorum, quia sufficit quod mulier sit coniugata, *cap. nemo sibi blanditur*, 32. *quæst*.4. & Iul. Clar. *lib. 5. §. adulterium, num.2.*

QVALITER PROCEDATVR. Tunc proceditur contra adulterum, quando fit accusatio à coniuncta persona. *l. quamuis*, 19. *C. ad legem iul. de adult.* Quæ facultas accusandi præscribitur quinquennio, quando est simplex adulterium, & non est coniunctum cum incestu: quia tunc, vt cætera crimina spatio viginti annorũ prescribitur, Iul. Clar. *dicto* §. *adulterium, n.*. 20. Et ad illius probationem admittitur tortura contra vnumquemque de familia, qui erat in domo de tempore delicti, *l. in adulterijs*, 30. *C. eodem*.

QVOMODO. Nota, quod pluribus modis ex adulterio agi potest, nempè aut agitur criminaliter ad pœnam sanguinis, & cognitio huius criminis est iudicis sæcularis, *cap. sententiam sanguinis*, 9. *ne clerici, vel monachi*. Aut agitur, quo ad alias pœnas, & cognitio est mixti fori, Iul. Clar. *vbi supra, num.6.* & Sanch. *de matrim. lib.* 10. *disp.* 8. *num.* 16. Aut igitur ad faciendum diuortium temporale, & solus iudex ecclesiasticus est competens, quia agitur de vinculo matrimonij, quod est sacramentum, vt in puncto firmat Martin. Bonac. *de contractib. disp.*.3. *quæst*. 11. *pun.* 13. *num.* 2. Verùm, quando agitur principaliter de causa dotis, iudex competens est iudex sæcularis, quia tam persona, quam res est laica, Bonac. *vbi supra, num.1.*

QVA PÆNA. Pœnæ contra adulteram plures sunt scilicet. Amittit dotem, quæ adiudicatur marito post sententiam iudicis ecclesiastici, Abb. *in cap. tua, num.6. eod.* Maritus non debet vxori fornicanti tribuere necessaria, Abb. *in cap. si vir, num.*1. & 2. *hoc tit.* Est solutus à iure soluendi debitum, *cap. constitutus*, 15. *de conuers. coniugat.* Episcopus ex officio potest excommunicare adulterum, & adulteram, Abb. *in cap. intelleximus, num.1. eod.* Permissum est marito incontinenti occidere vxorem adulteram repertam in actu facinoris, *l. gracchus*, 4. *C. eod. l. quod ait*, 23. & *l. nihil*, 32. *ff. hoc tit.* Verùm de iure Canonico prohibetur trucidare adulteram vxorem, *cap. inter*, 33. *quæst.*2.

Aduerte, quod contra adulterum pœna mortis, quæ olim de iure communi imponebatur est immutata in pœnam pecu-

nia-

niariam, Iul. Clar. *in dicto* §. *adulterium*, *num.* 7. *versic. sed quidquid*, & quia est grauissimum crimen seuerissimè puniri debet, quando agitur criminaliter; si verò agatur ciuiliter, facta separatione thori, dos & donatio propter nuptias coniugi applicantur, *cap.* 1, *vt lite non contestata*. Et si adulter credat indubitanter filium susceptum ex adulterio esse suum, tenetur insolidum cum matre ad restitutionem damnorũ, quæ patitur verus maritus cũ filijs legitimis; hac de causa mater tenetur ad inducendum illum filium ad ingrediendum in monasterio; & si dubitet adulter illum esse suum filium, vel patris, non tenetur ad restitutionem, Mart. Bonac. *de sacram. matrimonij*, *quæst.* 4. *de ijs*, *quæ pertinent ad vsum matrimonij*, *pun.* 15. *num.*8. A' quibus pœnis non eximitur adulter per matrimonium subsequens cum adultera, *l. commissum*, 27. *C. ad l. iul. de adulterijs*.

EX QVIBVS CAVSIS NON PVNITVR. Excusatur adultera à pœna adulterij, quando adest nullitas matrimonij, quia tunc adulterium non producit pœnas legis Iuliæ, *l.* 23. & 24. *C. eod.* 2. Quando alter fuit causa committendi adulterium alterius, *cap. discretionem*, 6. *de eo*, *qui cognouit consanguineam*, 3. Si sine dolo malo adulterium commisit, vt si se immiscuit alteri, tamquam marito suo errore lapsa, *l. igitur*, 12. *versic. generaliter*, *ff. de liberali*. 4. Si maritus recognouit adulteram vxorem post commissum adulterium, censetur approbare eius mores, Abb. *in cap. tuæ fraternitatis*, *num.* 7. *de adulterijs*. Vltimò quando alter coniux commisit adulterium, agi non potest ad separationem thori, sed mutua compensatione tolluntur, *cap. penult. de adulterijs*. Intellige, quando agitur ad priuatam vtilitatem, secus si ad publicam, vt ad infligendam pœnam legalem, Abb. *in cap. intelleximus*, *n.* 7. 8. & 9. *de adulterijs*.

Digitized by Google

De stupro.

Quid sit, quibus modis committatur, ad quem spectet illius cognitio, qua pœna puniatur, & de quo iure.

QVID SIT, ET QVOMODO COMMITTATVR. Stuprum largè sumptum comprehendit quamcumque fornicationem à lege prohibitam, & multis modis committitur. 1. Cum puero; & de iure ciuili imponitur, tam in agente, quam in patiente pœna mortis, Iul. Clar. *in lib.* 5. §. *sodomia*, 2. Si quis habeat rem cum virgine moniali; & vltra dicitur sacrilegium, quia violatur sponsa Christi, *cap. si quis episcopus*, 27. *quæst.* 1. & Mart. Bonac. *de matrim. quæst.* 4. *pun. vlt. per totam*. 3. Dicitur stuprum si habeat rem cum vidua honestè viuente; vt est si intra annum luctus committat stuprum, Iul. Clar. *lib.* 5. §. *stuprum*, *num.* 6. secundum Canones Clerici deponuntur, & in monasterium detruduntur, Fagn. *in cap. peruenit*, *num.* 20. *de test. cogendis*. Vltimò dicitur stuprum: concubitus habitus cum virgine, quo violatur virginalis integritas, *l. inter*, 6. §. *stuprum*, *ff. de adulterijs*.

A' QVO, ET QVA PÆNA PVNIATVR. Quod crimen, est mixti fori, Fagn. *in dicto cap. peruenit*, *num.* 8. *de adult.* & Chartar. *decis. crim.* 77. *per tot.* & obligatio, quam contrahit stuprator ad fauorem puellæ stupratæ, multiplex est; nam aut habuit rem cum puella virgine mediantibus præcibus, vel muneribus, & non tenetur ad aliquam restitutionem patri sub cuius cura est puella stuprata, quæ fuit consentiens, & non inuita. Aut vi extorsit copulam, & tenetur, vt per Martin. Bonac. *de matrim. quæst.* 4. *pun.* 17. *num.* 13. & 14. Verùm de iure Canonico tenetur copulatiuè eam dotare, & vxorem ducere; & si omninò eam noluit, non erit cogendus ad vitandum maius malum. Ex consuetudine non infligitur alia pœna, quam vt eam ducat in vxorem, vel condecenter dotet, alternatiuè, Fagn. *in cap. peruenit*, *n.* 1. *de adulterijs*, & Iul. Clar. §. *stuprum*, *num.* 3. Sed si deductum sit in foro contentioso, Clericus propter stuprum commissum cum virgine deponitur, vt per eundem *in cap. peruenit*, il primo, *num.* 20. & Iul.

Digitized by Google

Iul Clar. *dicto* §. *ſtuprum*, *num.* 2.

De iure autem Ciuili, ſi fuerit comm iſſum vi, vtique pœna mortis punitur, §. *item lex iulia, Inſtitut. de publicis iudicijs*: ſine violentia verò, non imponitur pœna mortis, Iul. Clar. *dicto §. ſtuprum*, *num.* 3. Et ſiue puella conſentiat, ſiue non conſentiat, ſemper ſtuprum habet malitiam ſpecie diſtinctam à fornicatione, & eſt explicanda illa circumſtantia in confeſſione, Bonac. *dicta quaſt.* 4. *pun.* 17. *num.* 2. *verſ. ſecunda ſententia*. Si verè non ſit virgo, ſed communiter extimatur virgo, in hoc caſu non creditur viro, niſi probet illius primeuam deflorationem, *cap. contenebatur*, 6. *de ſponſalib. impuberum*, & Abb. *in cap.* 1. *&* 2. *num.* 5. *de adulterio*, *& ſtupro*.

De inceſtu.

Quid ſit, quando committatur, & qua pœna puniatur.

QVID SIT, ET QVANDO COMMITTATVR. Incæſtus dicitur concubitus habitus cum conſanguinea, vel affine, *cap. de inceſtis*, 35. *quaſt.* 2. & *l. fin. ff. de ritu nuptiar.* Si quis copuletur carnaliter cum conſanguinea, in gradu nouiter prohibito, non tantum peccaret peccato luxuriæ, ſed etiam peccato inceſtus, quod non eſſet ante prohibitionem, Fagn. *in cap. cum pridem, num.* 13. *de ritu nuptiar.* Igitur cum omnibus illis, cum quibus matrimonium contrahi non poteſt, ſi cum eis habita ſit copula, committitur inceſtus, Marc. Bonac. *de matrim. quaſt.* 4. *pun.* 16. *num.* 1. Et ſicut gradus conſanguinitatis differunt inter ſe, ita grauius eſt peccatum incæſtus cum conſanguinea, quam cum affine, Bonac. *vbi ſupra pun.* 16. *n.* 4.

QVA PÆNA PVNIATVR. De iure Canonico in Clerico inceſtus punitur pœna depoſitionis; & ſimplex fornicatio pœna ſuſpenſionis, Gloſ. *in cap. Maximianus*, 6. *verbo remoueatur*, *diſtin.* 81. & Iul. Clar. *§. inceſtus. num.* 2. *verſic. de iure autem*. Si verò committatur contrahendo inceſtas nuptias, punitur iuxta formam *Authen. incaſtas nuptias*, *C. de nupt.* quas ſcienter contrahentes ſunt excommunicati, *Clement. eos*, 1. *de conſanguinit. & affinit.*

Vnum nota, quod dicta *Authen. incestas*, procedit de iure Ciuili in contrahente incestas nuptias ratione consanguinitatis, Salicet. *ibidem*, *num.* 4. & Boer. *decis.* 264. *num.* 13. Tenent verò plures Doctores, quod extendatur dispositio dictæ *Authen.* contra contrahentes incestas nuptias de iure Canonico, quo casu iudex recurrat ad consuetudinem & solitum, vt probat Iul. Clar. §. *incestus*, *num.* 4. *in fine*.

De iure Ciuili, porrò incestus pœna, est eadem cum pœna adulterij: intellige quando incestus est coniunctus cum adulterio, vel alia specie fornicationis, *l. si adulterium*, 38. *ff. de adulterijs*, & Iul. Clar. *vbi supra*, *num.* 2.

QVANDO. Incestus commissus cum consanguinea vxoris duos effectus parit; nempè ille, qui commisit incestum non potest petere debitum à sua coniuge: & post mortem vxoris non potest aliam ducere; eo quod si ducat, multi DD. volunt, non posse debitum ab ea petere absque dispensatione; quam potest Episcopus concedere, Bonac. *vbi supra*, *quæst.* 4. *pun.* 16. *num.* 11. Quæ pœnæ, locum non habent in sponsalibus, sed requiritur, quod matrimonium sit carnali copula consummatum ad hoc, vt militet dicta dispositio *Authen. incestas*. Iul. Clar. *ibidem*, *num.* 8. Vbicumque apparet, quod ipse ignoraret factum, excusatur incestum committens, Bart. *in l. si adulterium cum incestu*, *num.* 11. *ff. de adulterijs*.

Attentans habere matrimonium cum virgine moniali Deo consecrata incurrit in pœnam capitalem, *l. si quis non dicam*, 5. *C. de episcopis*, *& clericis*; & si habuerit rem cum Brutis, vel cum illa, quam suscepit de sacro fonte, arbitrariè punitur, *cap. hoc ipsum*, 33. *quæst.* 11. Denique, si quis habeat rem cum soluta, & impudica de iure Canonico varijs pœnis punitur, verùm de iure Ciuili est impunibilis simplex fornicatio, Bart. *in l. verum*, *ff. de furtis*, & *in l.* 3. *de condictione ob turpem causam*, & Iul. Clar. *lib.* 5. §. *fornicatio*, *num.* 1. *&* 2.

Digitized by Google

De raptu.

Quid sit, quando committatur, qua pœna puniatur; an & quando impediat matrimonium inter raptorem, & raptam.

QVID SIT. Raptus in genere, est violenta facta fœminæ, etiam si non abducatur libidinis causa; sed propriè sumptus dicitur, quando persona aliqua inuita, vel resistentibus eius parentibus sub quorum cura est abducitur per vim ad libidinem explendam, vel ad matrimonium contrahendum, Mart. Bonac. *de matrim. quæst.4.pun.18. num.1.* Et duo concurrere debent vis, & libidinis causa abductio, alias diceretur, vno ex his cessante, raptus in genere, Abb. *in cap. cum causa, num.1. de rapt. incend. & violatorib. eccl.*

QVANDO COMMITTATVR. Qui raptus committitur, non solum quando rapuerit puellam, verum etiam si rapuerit meretricem, quo casu punitur pœna arbitraria, Fagn. *in cap. ne innitaris, num.371. de constitutionib.* Idem est, si mulier rapuerit iuuenem libidinis causa; tunc non est redarguendus iudex de iniustitia, si imponat pœnam mortis, iuxta Glos. *in l. vnica, verbo sponsam. C. de raptorib.* Fagnan *in dicto cap. ne innitaris, num.372.* & Iul. Clar *lib.5. §. raptus, num.6.*

QVA PÆNA PVNIATVR. Aduerte, quod ex Conc.Trid. *sess.24. de reformat. matrim. cap.6.* & ibi August. Barbos. *n.14.* raptor in pœnam est excommunicatus, cuius absolutio non est reseruata Summo Pontifici. Fit infamis, & tenetur eam decenter dotare; siue eam ducat in vxorem, siue non. Qui Raptor post iudicis sententiam, si sit Clericus incidit in priuationem gradus Clericalis, ita Bonac. *dicta quæst. 4. pun. 18. num.10.* A' canonibus raptori imponitur pœna depositionis, si sit Clericus; etiam si committatur in monialem, Fagn. *in cap. cum non ab homine, num.64. de iudicijs.* De iure autem Ciuili, pœna raptus est vltimum supplicium, & ademptio bonorum, siue consenserit se rapi, siue non, *l. vnica, C. de rapt. virginum*, & Iul. Clar. *lib.5. §. raptus, num.3.*

Denique aduerte. Raptorem non posse contrahere matrimonium cum rapta, dum est in potestate raptoris, secus est quan-

quando est constituta in loco tuto, ita vt possit liberè consentire, vt per Concil. Trid. *ss.24. dicto cap.6.* & *cap. fin. de raptorib.*

De furtis.

Titulus XXXI.

Furtum quid & quotuplex sit, quæ illius requisita, quam actionem producat, qua pœna sit puniendum; & an liceat furem occidere.

QVID SIT. Furtum dicitur *à furuo*, id est, *nigro*; quia clam, & obscurè fit, & plerumque in nocte, vnde sic definitur, *est contrectatio rei alienæ fraudulosa lucrificandi gratia vel ipsius rei, vel vsus eius, aut possessionis, l. 1. §. furtum ff. de furtis.* Dixi *contrectatio*; quia sine dolo non committitur, atque sola cogitatio furtum faciendi, non facit furem, *l. si quis vxoris, 53. & l. falsus, 43. ff. eod.* Dixi *rei alienæ*; quia in re propria furtum non committitur, nisi cum alio saltem sit communis. Dixi *vsus eius*; nam si creditor vtatur pignore sine consensu patroni, furtum committit.

QVOTVPLEX. Diuiditur in generale, & speciale. Generale comprehendit omnem illicitam rei vsurpationem. Speciale subdiuiditur in manifestum, & non manifestum. Fur manifestus est ille, qui cum ipso furto deprehenditur, *l. fur est manifestus, 3. ff. eod.* Non manifestus est, quando transfertur res furto sublata in locum, in quem sese constituit recipere, inscijs alijs, *l. siue igitur, 5 ff. eod.*

QVALITER COMMITTATVR. Requisita furti, quæ coniunctim requiruntur sunt quinque. 1. Mens fraudolenta furantis, *cap. fur autem, 14. quæst.6.* 2. Vt fiat inuitò Domino, *l. falsus, 44 ff. eodem.* 3. Actualis contrectatio, *l. inficiando, 69 ff. hoc tit.* 4. Vt res sit talis, vt furtum committi possit, *l.1. eod.* 5. Intentio lucrandi, nam si efficiatur ex alia causa, non dicitur furtum, *l. verum est, 40. ff. de furtis.*

Ex quo crimine duplex oritur actio, nempè condictio furtina, & datur Domino furato aduersus furem pro restitutione

rei

rei sublatæ. Et actio furti, quæ est merè pœnalis, qua mediante agitur contra furem ad punitionem, ne delicta remaneant impunita, *l. qui sacrum*, 79. *ff. eod.*

QVA PŒNA. De iure communi pro furto non est imposita pœna mortis. Hoc limitatur in furibus famosis, siue infamatis de pluribus furtis; tales enim laqueo suspenduntur; nam illa pœna quadrupli à iure communi imposita, hodie non est in consuetudine, sed pœna corporalis tantum, Iul. Clar. *sententiar. lib.* 5. §. *furtum*, *num.* 5. & 16. Secundum Canones sic distingue: aut est occultum, aut manifestum. Si sit occultum, & sponte fur illud confessus fuerit, tenetur ad peragendam pœnitentiam, ac ad restitutionem, his peractis, ad sacros ordines promoueri potest, *cap. ex litteris*, 5. *eod.* Si autem sit manifestum, & fur est legitimè conuictus, eo casu deponitur, & in monasterium conijcitur; & si nec dum corrigigibilis est, traditur iudici sæculari, vt puniatur legitima pœna, *cap. at si clerici*, 4. & *cap. cum non homine*, 10. *de iudicijs*. iuncto *cap. tuæ*, 6. *de pœnis*. Intellige, quando non est famosus latro, quia tunc nec minus gaudet immunitate Ecclesiæ, iuxta dispositionem san. mem. Greg. XIV. *const.* 7.

AN, ET QVANDO LICEAT FVRARI. A' quibus pœnis fur excusatur, si ex necessitate illud commisit; cum hac tamen differentia. Aut necessitas est modica, & loco pœnæ imponitur pœnitentia salutaris. Aut est magna, & nulla pœnitentia imponitur; nam tempore necessitatis, omnia sunt communia, *cap. discipulos*, 25. *de consecrat. distin.* 5. & in pluribus alijs casibus, vt per Iul. Clar. *dicto §. furtum*, à *num.* 20.

Circa dubium: An, & quando furem, vel latronem occidere liceat laico pro necessaria rerum defensione, tam de iure Canonico, quam de iure Ciuili, vide Fagnan. *cap. interfecisti*, à *num.* 3. *vsque ad* 11. *de homicidio*.

De

De vsuris.

Titulus XXXII.

Vsura quid, & quotuplex sit, de quo iure prohibeatur, ad que respectet cognitio huius criminis, & qua pœna puniatur.

QVID SIT. Vsura dicitur ab vsu rei, & alio nomine nuncupatur fœnus, quasi fœtus pecuniæ, ex eo quia nummus nummum parit, vt *in tit. ff. & C. de nautico fœn.* Et ita definitur, *est lucrum, quod sorti mutuo datæ accedit, vel ex pacto, vel ex conuentione mutuantis cum mutuatario, cap. vsura, 14. quæst. 3.* & Fagn. *in cap. nauiganti, num. 19. eod.* Dixi, *lucrum*, loco generis; nam si aliquid quantumcumque modicum accipiatur vltra sortem, dicitur vsura, Idem *in dicto cap. nauiganti, num. 15.* Dixi *mutuo*, quia propriè vsura non committitur in contractu emptionis, & venditionis, sed in mutuo, Fagn *in cap. in ciuitate, num. 5. hoc tit.* Dixi *vel ex pacto, vel ex conuentione*; nam si non proueniat ex vi pacti, sed potius ex amicitia, non dicitur vsura: ita vt aliquid sperare secundariò ex contractu mutui prohibitum non est, nisi illa spes reducatur in pactum, Fagn. *in cap. consuluit, num. 5. eod.*

Quod lucrum ex mutuo prohibetur ex lege Euangelica, *cap. 6.* S. Lucæ, ibi, *mutuum date nihil inde sperantes*; nec non ex lege naturali, *l. nam hoc natura, 14. ff. de condict. indebiti*; De iur. Canonico *cap. tua, 9. cap. cum quæstus, 8. & cap. consuluit, 10. de vsur.* De iure Ciuili, *l. si tibi decem, 18. ff. de pactis, & l. cum vltra, 9. C. de non numerata pecunia.* Igitur de omni iure vsuræ sunt prohibitæ. Respectu laicorum est execranda; respectu verò Clericorum execrabilior, Fagn. *in cap. insinuatione, num. 5. de feudis.*

Limita, quando recipit aliquid ex mutuo ratione periculi, Idem *in dicto cap. nauiganti, num. 18. de vsuris*, & Mart Bonac. *tom. 2. de contractib. disp. 3. quæst. 3. pun. 4. & 5. num. 2.* Nec non ratione damni emergentis, & lucri cessantis licet interesse accipere ex pecunia mutuata, dummodo concurrant requisita Pauli Castren. *in l. 3. §. fin. ff. de eo quod certo loco,*

nem.

nempè vt ſit prompta, & proxima occaſio ad negotiandum, non autem remota. Damnum emergens accidit, quando quis, v. gr. cogitur accipere pecuniam ad vſuram, eo quod pecuniam ſuam alteri mutauerit. Et lucrum ceſſans dicitur illud, quod quis non percipit, eo quia illam pecuniam in mutuum alteri dederit; vt ſi quis parauerat pecuniam ad emendum frumentum, ſed ea alteri mutuata, quia non habebat aliam pecuniam, non potuit frumentum emere, quod emptum fuit ab alio cum certo lucro, tunc mutuatarius poteſt conueniri pro lucro ceſſante.

QVOTVPLEX. Quæ vſura diuiditur in mentalem, & conuentionalem. Mentalis *eſt ea, quam induecit ſola intentio dantis, nullo pacto interueniente ab initio, cap. conſuluit*, 10. *eod.* Qui vſurarius mentalis tenetur ad reſtitutionem rei acceptæ vltra ſortem, ſi principaliter habuit intentionem ad lucrum, ſecus ſi ſecundariò, Fagnan. *in cap. conſuluit, num.*3. *&* 4. *de vſuris*.

Conuentionalis dicitur, *quando contrahentes conueniunt de præſtando pecuniam vltra ſortem mutuatam*; quæ vel eſt ſpiritualis, & à ſacris literis commendatur, *cap. ſicut non ſuo*, 10. *diſtin.*46. Vel corporalis, & eſt omni iure improbata, *dicto cap. vſura*, in qua Papa non diſpenſat, Fagn. *in cap. cum pridem*, *num.*82. *de pactis*.

Datur alia ſpecies vſuræ, nempè nauticum fænus; vt ſi aliquis nauiganti, vel eunti ad nundinas mutuet pecuniam, & aliquid vltra ſortem recipiat, ex eo quod mutuans periculum pecuniæ in ſe ſuſceperit, ab vſuræ vitio non excuſatur; quia de iure Canonico *in cap. nauiganti, de vſur.* nauticum fænus reprobatur, in quo textu eſt ſublata communis iuris diſpoſitio, & correctus totus *tit. ff. & C. de naut. fæn.* Ratio eſt, quia ille contractus cenſetur vſurarius, & per conſequens peccaminoſus, in qua materia ius Canonicum in totum derogat iuri Ciuili, & vbique locorum ſeruari debet, *cap. fin. de præſcript.* & Fagnan. *in dicto cap. nauiganti*, *num.*8.

Vſurarius dicitur ille creditor, qui ex mutuo exigit vſuram; & duplex eſt manifeſtus, & occultus. Manifeſtus dicitur, qui dat palam pecuniam ad vſuram, ſiue in mutuo virtuali, ſiue in mutuo formali: vel quando per duos teſtes conſtat in iudicio illum eſſe vſurarium, *cap. cum olim*, 24. *de verbor. ſignif.* Occultus

dicitur, qui opponitur manifesto. Hic tractatur de vsurario manifesto, qui vt committat vsuram tria requiruntur. 1. Vt pecunia ad mutui contractus data sit. 2. Vt vltra sortem aliquid accipiat, *cap. p. ant*, *& cap. plerique*, 14. *quæst.* 3. 3. Desideratur pactio c. ..crahentium, vel intentio exigentium de habendo vsuram, *cap. vsura*, 14. *quæst.* 3.

A' QVO. Cuius criminis cognitio spectat ad iudicem ecclesiasticum, quando quæstio iuris est; quando verò est facti, fit locus præuentioni, ita resolutum fuit per Sac. Cong. Immunitatis, 16. *Aprilis* 1650. ad iustantiam Nardi Mercatus, & per Fagnan. *in cap. tuam*, *num.* 37. *&* 55. *de ordin. cognit.*

QVA PÆNA. Qui vsurarij pluribus, & diuersis pœnis puniuntur; cum hac differentia: Si sint laici excommunicantur: si Clerici suspenduntur, & deponuntur ab officio, & beneficio, *cap. præterea*, 7. *de vsuris*, & *cap.* 4. 14. *quæst.* 4. Efficiuntur infames, & manu eorum non accipiuntur oblationes, secus autem eleemosynæ, ratio disparitatis est, quia oblatio fit in publico, eleemosyna verò occultè, *cap. quia in omnibus*, 3. *eod.* Nullus locabit scienter vsurarijs manifestis domum, *l. si quis*, 52. *ff locati*. Non potest testari, neque donare causa mortis. Iul. Clar. *senten. lib.* 5. §. *vsura*, *n.* 13. *&* 14. Non est admittendus ad sacramentalem confessionem, & Eucharistiam, nisi prius satisfecerit, quatenus opus sit; vel nisi præstet cautionem idoneam, *cap. quia in omnibus*, 3. *de vsur.* super hoc nota. Aut est soluendo in vita; & tunc nisi satisfaciat cum effectu ei à quo pecuniam extorsit, vel eius heredibus, vel pauperibus, illis non curantibus, non est sepelliendus in loco sacro, *cap. cum tu*, 5. *de vsur.* Aut non est soluendo, & excusatur propter euidentem, & notoriam paupertatem; si tamen venerit ad pinguiorem fortunam, tenetur ex *cap. odoardus*, 3. *de solution.* & *l. si debitoris*, 7. *ff. de cess. bonorum*. Quoties est in articulo mortis, & cautionem præstare nequit, eo mortuo, heredes conueniuntur ad restitutionem, iux. tex *in cap. tua*, 9. *de vsuris*, & *cap. fin. de sepulturis*. Qui heredes tenentur de proprio, quando adhiuerunt hereditatem sine beneficio legis, & inuentarij, Doctores *in dicto cap. tua*. Imò non obstante iuramento de non repetendis vsuris per debitorem præstito, potest iudex ex officio suo vsurarium ad restituendum vsuras compellere,

re, *cap. tuas dudum*, 13. *de vsuris*. Ampliatur, contra iudæos exigentes immoderatas vsuras à Christianis, quia compelluntur à Principe sæculari ad eas restituendum, *l. iudæi*, 7. *C. de iudæis*. Insuper vsurarij manifesti, non admittuntur ad sepulturam ecclesiasticam; & præsumentes eos sepelire incurrunt in excommunicationem, à qua non sunt absoluendi, donec satisfecerint ad arbitrium Episcopi, *Clemen.1. de vsuris*, & *cap. quia in omnibus, 3. eodem*; & ferè semper puniūtur iudicis arbitrio, vt firmat Iul. Clar. *lib.5. senten. §. vsura, num.5. & 10.*

De crimine falsi.

Titulus XXXIII.

Quid sit, quibus modis incurratur, ad quem spectet illius cognitio, & qua pæna puniatur.

QVID SIT. Datur falsitas, & falsum. Falsitas *est occultatio veritatis ad decipiendum scienter facta*, *cap.1. §. vterque eod.* Falsum, *est veri immutatio*; vt si quis chirografum alienum imitetur, *l. quid sit falsum*, 23. *ff. ad legem corn. de falsis*.

EX QVIBVS CAVSIS COMMITTATVR. Ad quod crimen incurritur quatuor modis dicto, facto, scriptura, & vsu. Dicto v.gr. in teste, qui falsum dicit, aut verum supprimit, *cap. 1. eod.* & *l.1. de falsis*, vel occultat veritatem, Abb. *in cap. falsidicus, num.1. & 2. de crimin. fals.* Aut recepit pecuniam, vt non diceret testimonium, Abb. *vbi supra, in fine*.

Facto falsum committitur, prout est, si quis percutiat falsam monetam, *l. qui falsam*, 19. *ff. eod.* Vel si corrumpat publicas mensuras probatas, aut si eamdem rem duobus vendat in solidum, *l. qui duobus*, 20. *ff. eod.* vel si quis componat falsos articulos, aut subornet testes, crimen falsi committit, Chartar. *decis. crim.11. num.2. & 3.*

Scriptura committitur, si quis testamentum, vel aliud instrumentum falsum scribat, signet, vel celet, *l. quid sit falsum*, 23. *ff. eod.* Hæc species habet sub se alias species. 1. Quando

 in

in testamento aliquid sibi adscripsit, *l. impuberum*, 22. & *l. si quis legatum*, 6. *ff. eod.* 2. Quando quis immutauit litteras Apostolicas. Ab Innocentio III. nouem modi assignantur falsificandi litteras Apostolicas, *in cap. licet ad regimen*, 5. & *in cap. ad falsariorum*, *eod.* & *vtrobique Doctores*.

Vsu falsitas efficitur, quando falsis litteris vtitur, *dicto cap. ad falsariorum*: vel si vsurpet falsum nomen, aut cognomen, *l. falsi*, 13. & *l. fin. ff. eodem*. In vnaquaque specie concurrere debet dolus, alias non committitur, *l. nec exemplum*, 20. *C. eod* & Fagn. *in cap. ad falsariorum*, *num.* 11. *eod. tit.*

QVA PÆNA. Circa punitionem nota. Aut falsarius est laicus, vel Clericus; si sit laicus, aut contra eum agitur ciuiliter, vel criminaliter; primo casu tenetur ad satisfactionem in quantum læsit, *l. qui nomine*, 25. *ff. de fals.* Secundo casu, punitio fieri potest per legem corneliam de falsis, iuxta qualitatem personæ, & falsitatis commissæ, *l. penul. C. eod.* Si sit Clericus conuictus de hoc crimine in foro contentioso spoliatur officijs, & beneficijs ecclesiasticis, degradatur & traditur curiæ sæculari; hoc præsertim procedit si falsauerit litteras Apostolicas, Fagn. *in cap. ad falsariorum*, *num.* 3. 27. 30. & 40. *de crimine falsi*, & *cap. tuæ*, 6. *de pœnis in 6.* Vtentes falsis litteris, si Clerici sunt, priuantur officiis, & beneficiis; si laici, sunt excommunicati, cuius absolutio est reseruata Papæ, Fagn. *ibidem*, *num.* 20. 47. & 48.

Quæ pæna degradationis non extenditur contra Episcopum falsantem litteras Apostolicas, vel contra falsantes signaturam supplicationis Papæ, scribendo verbum *fiat*, quia est enormius delictum falsantis litteras; ideoque hi sunt solum excommunicati in Bulla Cænæ, Fagn. *in cap. licet*, *num.* 20. & 26. *de crimine falsi*; & *vbi supra*, *num.* 57. Hoc crimen falsi habet sub se periurium, & mendacium, de quibus infra tractatur.

De

De mendcio.

Quid, & quotuplex sit, quæ illius requisita, & qua pæna puniatur.

QVID SIT. Mendacium, *est falsa significatio vo is cum voluntate fallendi, cap. Beatus, §. ille ergo, 22. quæst. 2.* & Fagn. *in cap. falsidicus, num.* 84. *de crim. fals.* & non solum est in falsis verbis, sed etiam in simulatis operibus, Fagn. *ibidem, num.* 114.

QVANDO DICATVR. Committitur, tam falsum exprimendo, quam verum tacendo, Idem *in cap. super litteris, n.* 7. *de rescriptis.*

QVOTVPLEX. Duplex est capitale, & fit in doctrina religionis; & non capitale, vt si aliquem lædat iniustè, & hoc est etiam vitandum; quia nulli est inferenda iniuria; ideoque omne mendacium ex suo genere est peccatum, nisi sit iocosum, nam tunc est veniale, Fagn. *in cap. falsidicus, num.* 57. *&* 59.

REQVISITA. Ad quod tria concurrere debent, 1. Animus fallendi, *cap. Beatus Paulus, 22. quæst.* 2. 2. Vt sit institutum dolo ad fallendum certa proferentis scientia, *cap. is autem, 22. quæst.* 2. 3. Vt alter mendacio decipiatur, *cap. primum, 22. quæst.* 2. Quibus concurrentibus os, quod mentitur occidit animam *cap. si quis, 22. quæst.* 2. & non minus est lingua vel verbis mentiri, quam manibus sanguinem fundere, idcirco punitur pari pæna, ac falsi crimen.

De periurio.

Quid sit, quando committatur, ad quem spectet illius cognitio, & qua pæna puniatur.

QVID SIT. Quia peruertitur iudicium humanum metu potestatis alicuius, cupiditate, vel odio, aut amore, *cap. quatuor, 11. quæst.* 3. sequitur, quod præstent homines iuramentum falsum, & committant periurium, quod conficitur, *quando quis dolo iurat aliter faciendi de eo, quod promittit, l. qui iu-*

iurasse, *26. ff. de iure iurando*. Vel cognoscitur ex hoc, quia ius iurandum habere debet tres comites iudicium, veritatem, & iustitiam; his deficientibus dicitur periurium, *cap. animaduertendum*, *22. quaest. 2.*

A' QVO, ET QVA PÆNA PVNIATVR. Quod crimen est maius homicidio ipso, Ripa *in cap. ex parte*, *num. 3. de rescriptis*. In foro poli punitur periurus, vt *in cap. prædicandum*, *22. quaest. 1.* Ciuiliter priuatur dignitatibus, & efficitur infamis, *cap. infamibus*, 87. *de regul. iur. in 6.* & *cap. infames*, *6. quaest. 1.* Repellitur ab agendo, & testificando, *cap. paruuli*, *22. quaest. 5.* & in cæteris, pari pæna plectitur cum falsarijs, cum non sint absimiles, *l. 1. ff. ad legem corneliam de fals.*

De sortilegijs.

Titulus XXXIV.

Diuinatio, & sortilegium quæ sint, quomodo efficiantur, à quo, & qua pæna puniantur.

DIVINATIO QVID, ET QVOTVPLEX SIT. Datur diuinatio, & sortilegium. Diuinatio, *est prædictio rerum occultarum, quæ humano modo cognosci non possunt, nisi facta ope Demonis*; nam Demon melius intelligit scripturas, quam homo, & illius virtus extenditur ad cognoscendum nostras affectiones, inclinationes, & virtutes Cælorum, Solis, & Lunæ, Martin. Bonacin. *circa primum præcep. decal. disput. 3. tit. de diuinat. quaest. 5. pun. 3. per tot.*

Quæ duobus modis fieri potest, per expressam Demonis inuocationem petendo, vt aliquid doceat præuia promissione obsequij erga illum præstandi; & per tacitam Demonis inuocationē, quod contingit in adhibendis medijs inutilibus, licet non intendat exprese Demonem inuocare; quia cum illa media sint inefficacia ad producendum naturaliter illum effectum, protestatio redditur contraria facto, & non præseruat ab inuocatione Demonis, Bonacin. *vbi supra*, *num. 4.*

QVID SIT. Sortilegium, *est quoddam genus culturæ Idolorum, quo per falsam doctrinam ex consultationibus Demonum*

per

per ludificationes futurum prædicitur, *cap. quod autem*, 26. *quæſt*.5.

QVOMODO. Hoc fere committitur per falſitates, aliaque Demonum ſeducentium homines à via veritatis præſtigia; vt eſt, quando quis vult præcognoſcere eum, qui furtum commiſit, *cap*. 1. *&* 2. *de ſortil*. Pro materia, Demones vtuntur elementis, ſiderum motu, & alijs rebus, ex quibus deſumitur ſuperſtitioſa diuinatio, *cap. illud*, 26. *quæſt*.2. & *cap. igitur*, 26. *quæſt*.4. Vnde ſortilegi ſimulant eſſe plenos diuinitate in conieсturando futura; & ne redeant homines ad antiquos cultus idolatriæ, qui erant ante Euangelium, prohibentur ſortilegia, & diuinationes, *dicto cap. igitur*, & *cap. illud*, 26. *quæſt*.1.

QVALITER. Aduerte, quod fieri poteſt duobus modis; vel cauſa concitandi amoris, & tunc non eſt hæreſis quia aduocatur Diabolus ad id, quod ei maximè competit, cum ſit tentator animarum. Vel cauſa vaticinij prædicendi, & hoc modo eſt hæreſis, quia ſcire ventura, quod eſt proprium Dei, tribuitur Diabolo, Iul. Clar. *lib*.5. *§. hæreſis*, *num* 25.

QVA PÆNA, ET A' QVO PVNIANTVR. Qui ſortilegi diuerſimodè puniuntur de iure Canonico, & de iure Ciuili. De iure Canonico, ſi ſit Clericus, qui commiſit ſortilegium dolo, & impiè, deponitur ab omni ſacro ordine, omnibus beneficijs priuatur, & in monaſterium includitur, Gloſ. *in cap. ſi quis epiſcopus*, 26. *quæſt*. 5. Si vero ex ſimplicitate illud commiſit, & eſt deductum in foro contentioſo, ſuſpenditur à Diuinis, & à miniſterio altaris per annum, vltra iudicis arbitrio ſecundum qualitatem facti punitur, *cap*. 1. *&* 2. ibi Gloſ. & Doctores *tit. de ſortil*.

Si vero ſit laicus committens ſortilegium diuinitatiuum, quod manifeſtam hæreſim non ſapit; ſi vilis ſit, fuſtigatur; ſi honeſtior, relegatur, *cap. contra idolorum*, 26. *quæſt*. 5. nec non reputantur infames, & repelluntur à teſtimonio, & ab accuſando, Abb. *in cap*.1. *num*.5. *de ſortil*. De iure autem duodecim tabularum, indiſtinctè ſortilegus, vel maleficus puniendus, eſt vt *in tit. C. de maleficis*, *&* *matemat*.

De sacrilegijs.

Titulus XXXV.

Quid, & quotuplex sit, à quo, & qua pœna puniatur.

QVID SIT. Sacrilegium ita definitur, *est iniuria illata loco diuino, vel personæ ecclesiasticæ.* Sacrilegi dicuntur, illi, *qui rem sacram à loco sacro, vel non sacram de loco sacro dolo auferunt, cap. quisquis, §. similiter, 17. quæst. 4.* & Ioann. Paul. Lancell. *lib. 4. instit. canon. tit. de sortileg. §. sacrilegium.*

QVIBVS MODIS COMMITTATVR. Committitur in personis, locis, & rebus sacris: Nomine personarum sacrarum veniunt Clerici, siue professi, siue non, Mart. Bonac. *circa primum præcep. decal. disp. 3. quæst. 6. pun. vn. num. 3.* Nomine loci sacri, venit templum authoritate Episcopi confectum, *cap. ad hæc, 4. de religiosis domibus.* Et appellatione rerum, veniunt sacramenta, vasa sacra, vestes sacræ, & alia, quæ significant res sacras, Bonac. *vbi sup. num. 4.*

QVA PÆNA PVNIANTVR. Qui sacrilegi variis modis puniuntur, & modo asperior, & modo mitior pæna statuitur, attenta persona, & re, *dicto cap. quisquis, & l. sacrilegi 9. ff. ad legem iul. peculat.* Non solum plectendi sunt committentes sacrilegium per se, verum etiam consentientes ad illa committenda, Lancell. *vbi supra, §. nec solum.* Et si quis Clericus daret sacramenta, vel ecclesiasticam sepulturam his sacrilegis, deponitur ab officio, & beneficio, *cap. super eo, 2. de raptoribus. & cap. si quis, 17. quæstion.* 4. Licet sacrilegium ex suo genere sit peccatum mortale; verum si quis leuiter percutiat Clericum, vel rem paruam furetur in Ecclesia ratione inaduertentiæ, vel paruitatis materiæ, potest esse peccatum veniale, Mart. Bonacin. *citata quæst. 6. per totam, & pun. vn. num. 25.*

De

Digitized by Google

De maledicis.

Titulus XXXVI.

Maledictio, & blasphemia quæ & quotuplices sint, à quo & qualiter puniantur, & in quibus casibus minuatur pæna.

QVID SIT. Maledictio, *est cum malum aliquod de præsenti, vel de præterito dicitur*. Et maledicus in genere sumptus est, *qui alloquitur de alio homine detrahendo eum, & cum obloquijs deprimendo*, Hostien. *in sum. hoc tit. num.* 1.

QVOTVPLEX. Genera maledicorum plura sunt. Alij maledicunt Principem ex calore iracundiæ, & puniuntur arbitrariè ab eorum Ordinario. Alij se opponunt, & moliunt contra Principes, & hi incidunt in crimen læsæ maiestatis, vt per Iul. Clar. *lib.* 5. §. *læsæ maiestatis, num.* 1. Alij maledicunt pares homines, & dicuntur homicidæ, vt per Hostien. *vbi supra*. Alij blaspemant Dominum nostrum Iesum Christum.

BLASPEMIA, QVID SIT. Blasphemia sic definitur, est, *cum de Deo aliquid negamus, quod conuenit, vel aliquid ei tribuimus, quod minimè competit, cap. non sunt*, 11. *quæst.* 3. Idcirco inter blasphemiam, & maledictionem, quo ad Deum, nulla est constituenda differentia, Bart. *in l. item apud labeonem*, §. *ait prætor, num.* 4. *ff. de iniurijs*. Vnde omnis contumelia in Deum, vel in sanctos prolata, est blasphemia, Iul. Clar. *lib.* 5. §. *blasphemia, num.* 1. & 2.

QVOTVPLEX. Diuiditur in plures species, alia est oris, alia cordis, & alia facti. Facti est quando manibus destruitur, vel conspurcatur signum Saluatoris nostri, *l. vnic. C. nemin. licer. sign. Saluat. l. famosi*, 7. *ff. ad leg. iul. maiest. l. capitalium*, 28. §. *statuas, ff. de pœnis* & Chartar. *decis. crim.* 2. *num.* 18.

2. Alia est simplex, alia hæreticalis. Simplex, dicitur illa, quæ non opponitur directè articulis fidei, vt si quis dicat, maledictus sit Deus, non dicitur blasphemia hæreticalis, quia non continet falsitatem contra fidem. Hæreticalis est, quæ directè articulis fidei opponitur, qualis est abnego Deum, & similes; cuius cognitio contra blasphemos pertinet ad Inquisitores

tores fidei, vt pleniſſimè firmat Mart. Bonac. *circa primum decal. præcep. diſput.3. quæſt.8. de blaſpemia, pun.1. num. 5.* Non hæreticalis verò, eſt mixti fori, & datur locus præuentioni, Bonacin. vbi ſupra. Qui non deferunt blaſphemos hæreticales Inquiſitoribus, facta correctione euangelica, ſunt excommunicati.

QVA PÆNA, ET QVANDO. Vnum nota, quod in caſu quo, quis publicè Deum, vel aliquem Sanctum blaſphemauit, & non vult peragere iniunctam pœnitentiam, priuatur eccleſiaſtica ſepultura, Abb. *in cap.2.num.3 hoc tit.* Sed, cum ſit honorabilis perſona, quia non decet publicè pœnitere, & vult hanc pœnitentiam eleemoſynis redimere, ęquum eſt, vt adhibeatur miſericordia, *cap. deuotio, 1. & cap. medicina 76. de pœniten. diſt.1.* Verùm, ſi calore iracundiæ deueniat ad dictam blaſphemiam, non meretur hanc pænam, & grauiter peccat; præcipuè ſi calor iracundiæ cauſetur ex cauſa illicita, vt eſt ex amiſſione facta in ludo, Iul. Clar. *lib. 5. ſentent. §. blaſphemia, num.6. & 7.*

De iniurijs.

Titulus XXXVII.

Iniuria quid, & quotuplex ſit, quomodo inferatur, à quo, quando, quam actionem producat, & an præſcribi poſſit actio iniuriarum.

QVID SIT. Iniuria dicta eſt *ex eo, quod non iure fit*; & generaliter ſumpta comprehendit damnum, quo quis ſeruum alienum, vel alienam quatrupidem vulnerauit, vel occidit, de qua ſpecie agitur per Iuſtinian. *in Inſtit. ciuil. lib.4. tit. ad legem aquileã*; ſpecialiter verò iniuria dicitur contumelia, & ſic definitur, *eſt delictum, quod committitur, cum læditur liberi hominis corpus.*

QVIBVS MODIS INFERTVR INIVRIA. Infertur re, verbis, literis, & geſtu. Fagn. *in cap. quanto, num.22. de priuilegijs.* Re infertur iniuria, ſi manus alicui inferantur, Io. Paul. Lancell. *inſtit. canon. lib.4. hoc tit. §. inferuntur.* Verbis ſi conuicium fiat, *l.1. §. iniuria, ff. de iniurijs, & famoſis libellis*, &

Char-

Chartar. *decis.crim.37.per totam*. Literis, si libellum famosum quis scripserit, vel scribi curauerit, vel repertum non suppresserit, *l.vn.C.de famosis libell.* Et gestu, si quis ad inuidiam alicuius veste lugubri, aut squalida vtatur, *l.item apud labeonem, 15.§ generaliter, ff. eodem*.

QVOTVPLEX. Quæ iniuria triplex est realis, corporalis, & atrox. Realis dicitur, quando infertur in bonis. Corporalis infertur in personam; semper tamen maior est iniuria corporalis, vt si auferas alicui bona, & ille tibi vitam, Fagn. *in cap.interfecisti, num.20. de homicid.* Iniuria atrox extimatur, si facta sit in conspectu Prætoris, vel in Ecclesia, aut in Cæmetherio, Fagn. *in cap. cum illorum, num.24. de senten. excommunicat.* nec non agrauatur iniuria ex dignitate personæ, Idem *in cap. ad falsariorum, num.17. de crimine falsi*.

A' QVO ET QVANDO. Aduerte quod quatuor concurrere debent, vt inferatur iniuria, 1. Animus iniuriandi, quia Bruta cum careant animo, non faciunt iniuriam, *l. 1. ff. si quatrupes pauper. fecisse dicatur*. 2. Vt efficiatur vno ex dictis modis. 3. Vt persona iniurians sit taliter habilis, quæ iniuriam inferre, & pati possit. 5. Vt alicuius corpus, vel dignitas, vel fama lædatur, *l.1.ff. eod.* Vnde si inferatur in Clericum, vel Religiosum, de iure Canonico subiacet excommunicationi, *cap. si quis suadente diabolo, 17. quæst.4.* & *cap.5. de senten. excomun.* In pluribus casibus tamen percutiens Clericum non est excommunicatus, vt *in cap.cum voluntat.54.§. si qui, de senten.excom.* Item, qui Cardinalem hostiliter insequtus est punitur, vt reus læsæ Maiestatis. *cap. felicis, 5. de pœnis in 6.* Qui verò in Episcopum hæc perpetrauerit iisdem fere pænis punitur, *ex Clement. & Extrauag.* Io. XXII la prima *de pœnis*.

QVAM ACTIONEM PRODVCAT. Agi potest propter iniuriam ciuiliter, & criminaliter. Ciuiliter ad extimationem iniuriæ, & tunc fieri potest mutua compensatio inter passos iniuriam ad pænam parti applicandam; secus si agatur criminaliter, Fagn. *in cap. veniens, num.9. de iur.iur.* Criminaliter verò regulariter pœnæ iniuriæ est arbitraria, inspecta personarũ qualitate, *l. fin. ff. de iniurijs*, & Iul. Clar. *lib. 5. §. iniuria, numer.7.*

INTRA QVOD TEMPVS. Quæ actio iniuriarum ciuiliter sumpta est perpetua; & criminaliter est temporalis; quia præscri-

ſcribitur per lapſum vnius anni continui, Gloſ. *in l. ſi non conuicij, 3. C. de iniurijs*. Hinc eſt, quod remittitur iniuria per cõuerſationem habitam cum offenſore & multo magis per expreſſam remiſſionem, vt per Iul. Clar. *vbi ſupra, num.* 10. *&* 11.

De iure Canonico iudex inquirere poteſt ex officio in quibuſcunque criminibus, etiam priuatis, Chartar. *deciſ. crim. 69. num. 7.*

De accuſationibus.

Titulus XXXVIII.

Accuſatio quid, & quatuplex ſit, quæ requirantur ex parte accuſatoris, ex parte accuſati, & in libello accuſatorio; quibus denegatur ius accuſandi, & quos effectus producat.

QVID SIT. Accuſatio accipi poteſt dupliciter, nempè vel prout eſt ius accuſandi, ſicut actio ius agendi, & hoc modo ſumpta, tot ſunt accuſationes, quot ſunt crimina. Vel pro libello, ſeù carta in qua accuſatio deſcribitur; & licet ſint plures accuſationes, tamen pro vna carta reputantur, Bart. *in l. libellorum, § ſed aliud, n. 3. de accuſat.*

Hic ſecundum primam ſignificationem ſumitur, & ita defitur, *eſt criminis alicuius hominis, apud competentem iudicem legitimè facta delatio, inſcriptione interueniente, l. libellorum, 3. ff. eod.* & Iul. Clar. *in prax. criminalib. lib. 5. § fin. quæſt.* 12. *num.* 1. Cuius cauſa efficiens, eſt lex publica permittens accuſationem ob punitionem criminis, ne remaneant impunita, *l. prauaricationis, ff. de prauaricat.* quæ ratio militat reo viuente; quia per eiuſdem mortem extinguitur pœna criminalis, *l. 2. C. ſi reus vel actor mortuus fuerit*. Exceptis tamen caſibus, in quibus pœna defuncti tranſit ad hæredes, vt notat Bart. *in l. ex iudiciorum 20. num. 3. ff. de accuſat.* & Iul. Clar. *in dicto § fin. quæſt. 50. num. 12. cum ſequen.*

QVOTVPLEX. Quæ accuſatio triplex eſt, criminalis, ciuilis, & deſerta. Criminalis, eſt quando agitur ad pœnam, ſeu vindictam, *l. qui nomine, 25. ff. ad l. corn. de falſ.* Ciuilis, eſt cum agitur ad reſtitutionem rei ablatæ. Et deſerta dicitur, quando ei oppo-

opponitur præſcriptio, *l.ſi is de quo*, 4.*C.ad l.corn.de falſ.* Regulariter ius accuſandi viget ante lapſum 20. annorum, poſtea verò, obſtat exceptio præſcriptionis, *l. quærela*, 12. *C. de falſis*.

REQVISITA. Ad hoc, vt dicatur legitima, plura requirũtur. Primò: Vt is accuſet, qui habet ius accuſandi; vt ſunt illi qui proſequuntur ſuam, vel ſuorum iniuriam, Abb. *in cap. à nobis*, *num.*10. *de exceptionibus*, & Rober. Maran. *in praxi, par.6.tit. de inquiſit. num.*59.

Secundò: Vt in libello accuſatorio contineatur nomen iudicis, accuſari, factum, & tempus cum loco, *l.ſi quis*, 13. *C. eod.* & Bart. *in dicta l.libellorum*.

Tertiò: Vt ille libellus ſit inſcriptus ab accuſante, Fagn. *in cap. qualiter*, il ſecondo, *num.*25. *de accuſat.* & *l. non prius*, 7. *C. de calumniat.* inſcriptio enim dicitur obligatio facta in ſcriptis, qua accuſator ſe obligat ad eamdem pœnam, ſi crimen non probauerit, *l.*1.§.1 *ff. ad turpil.* Verùm hæc inſcriptio in pluribus caſibus non requiritur, vt eſt in crimine apoſtaſiæ, *l. apoſtatarum*, 4.*C.de apoſt.* In crimine abigeatus, *l.vnica*, *C. de abig.* In leuibns criminibus, *l. leuia*, 6. *ff. eod.* Et quando accuſatur Chriſtianus, qui contraxit cum iudæa, *dicto cap. ſuper his*, 16. *de accuſat.* Hodie concludit Bart. *in l.ſi cui*, *num.* 2. *ff. eod.* quod hæc inſcriptio, ſeù ſubſcriptio non eſt in vſu, & hac de cauſa accuſator non punitur pœna talionis, neque ponitur in carcerem, ſicut accuſatus, Idem *in l.accuſatore*, 13.§. *ad crimen*, *num.*2.*ff. de publicis iudicijs*.

Quartò requiritur: Vt accuſatus ſit talis, quod accuſari poſſit, ratio eſt quia plures perſonæ accuſari non poſſunt. 1. Papa, & Imperator, quoniã ſunt ſoluti legibus, *cap.propoſuit*, 4. *de conceſſ. præb.* Limitatur in crimen hæreſis, nam Papa de eo accuſari poteſt, & à Synodo iudicari, *cap. ſi Papa*, 6. *diſtin.*40. 2. Infans, vel furioſus, dummodo non ſint doli capaces, *l. infans*, 12. *ff. de ſicar.* & *l. impunitas*, 7. *C. de pœnis*. Imò minoribus propter minoritatem ætatis pœna mortis mitigari poteſt, *l.auxilium*, 38.*ff.de minorib.*3. Semel abſolutus de eodem crimine amplius moleſtari non poteſt ab eodem accuſatore, quando ſatisfactio eſt facta per pœnam impoſitam; quia ſolutione eius, quod debetur, tollitur omnis obligatio debita Reipublicæ, cuius intereſt vt delicta puniantur, *l. ſi operis*, 14. *C. de pœnis*, & *cap.*

cap. de his criminibus, 6. de accusat. Fallit, quando delictum est tale, de quo potest cognoscere iudex ecclesiasticus, & sæcularis, vt de blasphemia Dei, vel vsura; quia licet fuerit accusatus, & punitus à iudice ecclesiastico, adhuc potest iterum accusari, & puniri per iudicem sæcularem; nam ex quo diuersæ pœnæ imponuntur per diuersas leges, vna pœna non tollitur per aliam, DD. *in cap. tua, 5. de procuratoribus,* & *in cap. statuimus, de maledicis.*

Vltimò requiritur ad validitatem accusationis obseruatio iuris processus; quia in criminalibus proceditur eodem modo, ac in ciuilibus; nam imponitur litis contestatio; admittuntur exceptiones; requiruntur probationes luce meridiana clariores; & facta conclusione causæ appellatur ad corrigendam sententiæ iniquitatem, *l.2. C. quorum appellat. non recipiantur.* Limitatur in atrocibus criminibus; quia in his, quælibet persona permittitur ad accusandum, v.gr. in crimine simoniæ, & læsæ maiestatis, *cap.licet, 31. de simonia,* & *l.penul. C. de his qui accusare non possunt.*

AN, ET QVANDO QVIS ACCVSARE PROHIBEATVR. Aduerte: Quo ad primum requisitum: non sufficit accusatorem habere ius accusandi ad hoc, vt accusare valeat, sed vltra requiritur, vt non sit criminosus, *cap. quisquis, 2. quæst.8.* & *cap. à nobis, 11. de exceptionibus.* Non sit inimicus inimicitia capitali; quia contra inimicum non admittitur, Abb. *in cap. repelluntur, num.4. eod.* Et non sit socius, & particeps criminis, *cap. veniens, 12. de testib.* Hinc est, quod publicus concubinarius nequit accusare, *cap. cum dilectus, 20. de accusat.* Mulier etiam propter verecundiam, Bart. *in l. qui accusare, num.3. ff. de accusat,* & *cap. prohibentur, 2. quæst.1.* Fallit, quando prosequitur suam, vel suorum, iniuriam, Bart. *in l. 1. per totam, hoc tit.* Accusatus de publico crimine, non potest pendente accusatione reaccusare suum accusatorem, nec alium, *cap. neganda, 3. quæst.11.* Imò pendente accusatione, ad dignitates promoueri non potest, Fagnan. *in cap. omnipotens, num.1. & 2. de accusat.* Limitatur, quando prosequitur suam, vel suorum iniuriam, Bart. *in l. is qui reus, 5. ff. de publ. iudic.* Vltimò: Clerici laicum accusare non possunt criminaliter, sic autem ciuiliter, facta protestatione, quod non intẽdant laicum accusare, vt pœna sanguinis puniatur, Abb. *in cap. cum P., n.5.*

Cum

cum sequentib. de accusat. atque plures alij prohibentur accusare, vt per Bart. *in l.1. & l. qui accusare, ff. eod.* Specul. Iur. Gugliel. Duran. *tit. de accusatore, num. 16.* & Iul. Clar. *in prax. crimin. §. fin. quaest. 14. per totam.* Indistinctè omnes praedictae personae admittunrur ad accusandum, si suam vel suorum iniuriam prosequantur, *l. hi tamen omnes, 3. ff. de accusat.* & Iul. Clar. *in dicto §. fin. quaest. 14. num. 2.* An, & quando ex parte actoris procurator admittatur in causa criminali, resoluitur per Abb. Panorm. *in cap. veniens, 15. hoc tit.* & Bart. *in l. accusatore, 13. §. ad crimen ff. de publ. iudic.*

AD QVID. Effectus accusationis est, vt reo conuicto imponatur poena ordinaria, quam iudex mutare non potest sine causae cognitione, *l. 1. §. 2. ff. ad turpill.* Verùm si crimina sint extraordinaria, punitio relinquitur arbitrio iudicis, attenta qualitate delicti, & conditione personae, *cap. super his, 16. eod. cap. de causis, 4. §. fin. de off. deleg.* ac Hostien. *in sum. hoc tit, num. 12.*

De inquisitione.

Titulus XXXIX.

Quae, & quotuplex sit, quando iudex procedere valeat per inquisitionem: & qua poena puniatur conuictus per inquisitionem.

QVAE SIT. Inquisitio dicitur inuestigatio canonicè facta alicuius criminis manifesti ex bono, & aequo iudicis cōpetentis, *cap. qualiter, 18. de accusat. & inquisit.* Procedere per viam inquisitionis appropriatur primo actui, quo mediante, per viam officij iudex videtur contra aliquem procedere, Iul. Clar. *in prax. crimin. lib. 5. §. fin. quaest. 3. num. 2.* quod iudicium differt ab alijs iudiciis, vt probat Fagn. *in dicto cap. qualiter, il secondo, num. 616. de accusat.*

QVOTVPLEX. Diuiditur in generalem, specialem, & mixtam. Generalis dicitur, quando Praeses Prouinciae generaliter inquirit, qui sint homines facinorosi ad hoc vt purget Prouinciam de malis hominibus; & quia haec fit ad inuestigandum, & non ad puniendum, nullus condemnatur; nec requiritur infamia

famia, Fagn. *in dicto cap. qualiter, num.* 58. & Bart. *in l. congruit, num.2.ff. de off. præsidis.* Specialis fit contra certam personam ad effectum puniendi de crimine pro publica vtilitate, & de hac loquitur *in dicto cap. qualiter, & quando.* Et mixta est, cum Præses Prouinciæ inquirit contra eos, qui Titium occiderunt.

QVANDO PROCEDATVR. Quæ facultas inquirendi præscribitur spatio 20. annorum. Verùm omnes actiones ciuiles, quæ ex crimine descendunt durant vsque ad 30. annos, Iul. Clar. *dicto §.fin. quæst.*50. *num.*2. Plura concurrere debent ad hoc, vt iudex specialiter inquirere possit. 1. Vt illud delictum, de quo inquiritur constet saltem in genere esse commissum, sed nescitur à quo, Bart. *in l.1.§. item illud, ff. ad sillian.* 2. Vt præcedat fama; quia inquisitio non fit, nisi contra infamatum, Fagnan. *in cap. omnipotens, num.*26. *&* 33. *de accusat.* Limitatur in casibus quibus fieri potest inquisitio nulla præcedente infamia; vt est quando inquiritur ex necessitate sui officij, vel ad effectum corrigendi tantum, Abb. *in cap. olim, num.* 9. *de accusat.* 3. Quod fama habuerit originem à personis dignis, & & non à maleuolis, *cap. cum iuuentute,* 15. *de præsumpt.* 4. Vt delictum sit dolo commissum, vel lata culpa, DD. *in l. data opera, C. qui accus. non poss.* Vltimò, quod inquisitio contineat locum, & tempus commissi criminis, secundum formam, *l. libellorum,* 3. *ff. de accusat.* hoc non procedit in crimine hæresis, & læsæ maiestatis; quia in eis non seruantur solemnitates, *dicta l. libellorum, l. quis quis,* 5. *C. ad legem iuliam maiest.*

PER QVEM. Per inquisitionem procedere potest quilibet iudex habens cognitionem causæ criminalis, *cap. cum dilectus,* 2. *de accusat.* Semper tamen habere debet Deum præ oculis, & à reo non exigat iuramentum, quia non tenetur contra se iurare, Specul. Iur. Gugliel. Duran. *lib.3. de inquisitione, §. viso, num.*19. Verùm ille iudex non sit criminosus, *cap. ad petitionem,* 22. *de accusat.* & *cap. fin. distin.* 25.

QVA PÆNA. Reus, qui per inquisitionem conuincitur de crimine, mitius punitur, ac si accusatus esset, quod maximè procedit de iure Canonico, Abb. *in cap. inquisitionis, num.* 1. *&* 6. & *in cap. qualiter, num.* 20. *de accusat.* Hac de causa, si inquisitus sit Clericus pœna imponitur iudicis arbitrio, nisi sit expressa in iure; quia tunc illa ponetur, *cap. de causis,* 4. *de off.*

off. deleg. & *cap. inquisitionem*, 26. *de elect.* Si verò fit irregularis detruditur in arctius monasterium, & suspenditur ab executione ordinum, *cap. dilectus*, 30. *de simonia*, Fagnan. *in dicto cap. qualiter, num.* 98. *eod.* Et si ille contra quem inquiritur confessus fuerit crimen coram Inquisitore, non potest amplius impugnare suam confessionem, dummodo non sit erronea, quia qui errat non fatetur, *l. non fatetur*, 2. *ff. de confess.*

De denunciatione.

Titulus XXXIX.

Quæ, & quotuplex sit, quibus permittatur denunciare, pro quo crimine, qualiter, coram quo; & quæ genera causarum in ea concurrant.

QVÆ SIT. Denunciatio, *est delatio alicuius criminis facta apud iudicem sine inscriptione ad pœnitentiam peragendam, vel aliam pœnam legitimè imponendam*, *cap. si quis episcopus*, 2. *de accusat. & inquisit.*

QVOTVPLEX. Multiplex est denunciatio. Alia dicitur ciuilis, & est introducta de iure ciuili, ac fit per ministrum publicum constitutum ad hoc, vt delicta commissa denunciet magistratui. Alia Canonica, & est inducta à sacris Canonibus ad pœnitentiam peragendam; & subdiuiditur in generalem, & specialem. Generalis dicitur illa, quæ est publica, vt est denunciatio matrimonialis, quæ ab inferioribus Ordinariis remitti non potest, sed tantum ab Episcopo, *cap. cum inhibitio*, 4. *de clandestina despon.* & ibidem Fagn. *num.* 2. & 3. ac *in cap. accedentibus*, *n.* 26. *de excessibus prælator.* Specialis fit per eum, cuius interest habere bonum Prælatum, vel subditum, *cap. cum dilectus*, 20. *de accusat.* Alia euangelica, & est inducta ab euangelio per illa verba, *si peccauerit frater tuus corrige eum, primo inter tè & ipsum*; & hæc est prima monitio; *& si non audierit, adhibe tecum vnum, vel duos testes*; & hæc est secunda monitio; *& si te non audierit, dic Ecclesiæ*; & ista est denunciatio euangelica, *cap. si peccauerit*, 2. *quæst.* 1. quæ habet locum, etiam in peccato occulto, quod aliquo modo probari potest; quia

omnino occulta soli Deo reseruantur, Glos. *in cap. christiana*, 32. *quæst*. 5. Alia est denunciatio regularis & dicitur proclamatio in capitulo ad correctionem excessus facta.

Vltima species nuncupatur iudicialis, & diuiditur in publicam, & priuatam. Publica dicitur, quando ad denunciam Officialis, vel priuati deducitur aliquod crimen in iudicio ad publicam vindictam, & hæc est quasi similis accusationi. Priuata competit ratione proprij commodi, vt est quando aliqua persona miserabilis indebitè opprimitur, tunc iudex, post quã de hoc sibi constitit per probabiles coniecturas, prouidebit eis per pœnæ impositionem, & sufficientem cautionem, si dari possit, *cap. literas*, 14. *de præsumpt.*

Additur alia species denunciationis, id est, authori laudato: hæc propriè non est simplex denunciatio, sed citatoria; quia certioratur venditor ostendendo sibi copiam libelli, vt veniat ad defendendum, & litem suscipiendum, *l. qui absentem*, 75. *ff. de procurator.*

GENERA CAVSARVM. Causa efficiens denunciationis, est lex diuina, canonica, & ciuilis; vnde denunciator procedere tenetur cum charitate, & non ex inuidia, *cap. qualiter*, 18. *de accusat.* Hac de causa esse debet bonæ famæ, vitæ, & conuersationis ad hoc, vt procedat ex charitate; *cap. repelluntur*, 7. *de accusat.* Regulariter, qui est prohibitus accusare, prohibetur denunciare, Bart. *in l. diuus, num.* 7. *ff. de custodia reorum*, & Iul. Clar. *in prax. lib.* 5. *§. fin. quæst.* 8. *num.* 3. Causa materialis, est quodlibet crimen, quod aliquo modo probari potest; nam in crimine notorio locum non habet, *cap. tua*, 8. *de cohabitat. cler.* Causa formalis, seu forma huiusmodi denunciationis est v. gr. si syndicus ad hoc deputatus notificet iudici commissum fuisse homicidium à Titio, & esse de eo informatos N. N. vt per Iul. Clar. *dicto §. fin. quæst* 3. *num.* 10. Forma monitionis habetur *in dicto cap. si peccauerit*, 2. *quæst*. 1. atque ordo huius iudicij, cum agatur criminaliter est debitus iuris ordo. Causa finalis est correctio; licet in consequentiam aliæ pœnæ infligentur; vnde reus, nisi fuerit conuictus idoneis testibus non est condemnandus, *l. fin. C. de probat.* quo casu sine mora contra eum est ferenda sententia, & exequutioni mandanda, *l. cum reis*, 18. *C. de pœnis.*

De

De duplici purgatione.

Titulus XL.

Quæ et quotuplex sit, an et quando admittatur, & quam vim habeat.

QVÆ SIT. Quando quis est infamatus de aliquo crimine, de quo non habetur certitudo probationis, infamatus probare tenetur suam innocentiam purgatione canonica, *cap. quoniam presbyter, 2. de de purgat.can.* Quæ dicitur *ostensio innocentiæ super obiecto crimine*, *certis inuentis à iure medijs*.

QVOTVPLEX. Quæ duplex est vulgaris,& canonica. Vulgaris dicitur ea, quam vulgus contra Sanctorum Patrum traditiones superstitiosè induxit,& sic efficiebatur,ponebatur ferrum feruens super suspecto de crimine occulto, & si læsio non sequebatur, impunè euadat, sin minus pœnis ciuilibus subdatur, toto *tit.de purgatione vulgari*, & *cap. consuluisti, 2. quæst.4.* & hæc reprobatur ex allegatis rationibus. Purgatio Canonica est quæ ad faciendam innocentiæ probationem à Canonibus admittitur.

REQVISITA. Hæc pluribus indiget requisitis, 1. Præceptum iudicis infamato, vt peragat purgationem de crimine, de quo infamatur; quia est inuoluntate iudicis, & non infamati, *cap.auditum*, §.*ecce*, & *cap.presbyter, 2. quæst.4.* 2. Vt præcedat infamia, dummodo illud crimen non sit notorium, neque occultum, *cap.penul.*§. *is igitur de purgat. can.* & Abb. *in cap. si quis, num.1. eod.* 3. Illa fama orta non sit ab inimicis, Abb. *in cap. cum iuuentute, 12. num.1. de purgatione canonica* & Specul. iur. Gugliel. Duran. *tit. de abolitione,& purgatione*, §.*nunc num. 6.* 4. Vt ille infamatus sit fidei dignus, & non fuerit antea deprehensus in furto, alias non admittitur, Abb. & Glos. *in cap. 1. de purgatione.* 5. Vt suspectus de crimine iuret se immunem esse à crimine, de quo dicitur infamatus, & quod post suam promotionem illud non commisit, *cap. accepimus, 6. de purgatione canonica.* 6. Quod idem deponant aliæ personæ,quæ nuncupari solnt compurgatores; qui urabunt tactis sanctis euan-

gelijs, qualiter iudicent illum esse immunem ab illo crimine, & credant bonum, & verum iuramentum præstitisse, *cap. præsbyter, 2. quæst. 4.* Qui compurgatores esse debent vicini ipsi reo, & quod verisimile sit eos nullo amore, vel odio hoc deposuisse, *cap. constitutus, 9. de purgatione canonica,* & Abb. *in cap. cum P. num. 2. eod.*

QVANDO, ET AD QVID. Crimina super quibus fieri solet purgatio sunt in duplici specie. Quædam principaliter lædunt Deum, vt sunt simonia, hæresis, & similia. Quædam continent læsionem hominis, vt sunt homicidium, stuprum, & alia. Vnde si quis sit infamatus ex aliquo crimine apud populum, debet se publicè purgare. Si apud clerum, coram clero. & in vtroque casu coram iudice, *cap. illud, 5. distin. 23.* & *cap. presbyter, 2. quæst. 5.* Causa finalis huiusmodi purgationis est, vt ostendatur innocentia.

De ecclesiasticis censuris.

Titulus XLI.

Censura quæ, et quotuplex sit, à quo, quando, et quomodo procedatur. Et an semel excommunicatus iterum excommunicari possit.

QVÆ SIT. Censura, vel sumitur actiuè, vel passiuè. Actiuè, dicitur *sententia lata ab habente potestatem, seù iurisdictionem, qua priuat aliquem à sacramentorum communione.* Passiuè, *est pœna ipsa ecclesiastica ab habente potestatem*; hic loquimur de secunda specie, quæ per Martin. Bonacin. *de censur. disput. 1. quæst. 1. pun. 1.* ita definitur, *est pœna spiritualis inflicta ab ecclesiastica potestate, priuans hominem baptizatum vsu aliquorum spiritualium per ordinem ad salutem.* Vel & breuius, *est pœna ecclesiastica. Pœna* stat loco generis. *Ecclesiastica* loco differentiæ; nam non potest ferri, nisi à potestate ecclesiastica; & illius materia, & cognitio spectat ad iudicem ecclesiasticum, Fagnan. *in cap. sacro, à num. 27. de sentent. excommunicat.*

QVOTVPLEX. Diuiditur in tres species in excommunicationem, suspensionem, & interdictum, *cap. querenti, 20. de*

ver-

bor. signif. & Io: Paul. Lancell. *in prin. huius tit. §. ecclesiastica*. Irregularitas enim, non fertur in punitionem delicti, sed ad euitandum indecentiam, quæ esset, si irregularis suscepisset ordines, idcirco propriè non dicitur censura.

Potestas ferendi censuras, est apud Ecclesiam, quam recepit à Christo, vt ex verbis Beati Chrisostomi *ad cap. 2. epistol. ad habr. homil. 4. nemo contemnat* (inquit) *Ecclesiæ vincula, non enim homo est qui ligat, sed Christus, qui hanc potestatem dedit, & Dominos fecit homines tanti honoris*. Institutio censurarum est de iure humano, & non diuino, Alterius *de censuris lib. 1. disp. 3. cap. 1. & 3.* ratio est, quia eius est institutio, cuius est absolutio; sed sola Ecclesia absoluit à censuris, ergo.

A' QVO. Quæ potestas residet in Pontifice, cum sit caput totius Ecclesiæ; & illas ferre potest, etiam aduersus Reges, ac Principes contumaces, Alter. *de censuris vbi supra disp. 3. cap. 3.* In legatis à latere, & Nuncijs Apostolicis; isti enim habent ordinariam iurisdictionem in tota sua Prouincia, *cap. legatos, 2. de off. legat. in 6.* In simplicibus Cardinalibus habentibus potestatem ordinariam ferendi censuras in proprijs Ecclesijs. In Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, *cap. 1. de off. ordinar.* In horum Vicarijs, & in Capitulo sede vacante, vt supra *in 1. libro*. Tandem in Generalibus, & Prouincialibus erga suos subditos.

REQVISITA EX PARTE IVDICIS. Qui excommunicationem ferre vult indiget pluribus, requisitis; nempè. Sit homo viator, baptizatus, habens vsum rationis; saltem habeat primam tonsurã, & non habeat vsum iurisdictionis impeditum, *cap. ad probandum, 24. de senten. & re iudic.* Non moueatur ex odio, vel amore, *cap. 1. de senten. & re iudicata in 6.*

Persona excommunicanda sit inferior, & determinata; nam communitas propter grauitatem penæ excommunicari non potest, *cap. Romana, 5. de senten. excommunicat. in 6.* potest autem interdici, *cap. si sententia, 16. eod.* & Fagn. *in cap. ad hæc, num. 66. de religiosis domibus*.

QVANDO, ET QVOMODO. Iudices procedere non solent ad fulminationem censurarum, nisi præcedente culpa mortali, & propria, *cap. si habes, 24. quæst. 3.* & Fagn. *in cap. relatum, num. 40. de cler. non resident.* quæ culpa sit externa; quia de internis non iudicat Ecclesia, nisi indirectè, *cap. si-*

cut,

cut, 33. de simonia. Nec non requiritur trina monitio canonica, siue vna pro tribus, quando illa censura est lata ab homine, Fagn. *in cap. sacro, num.6. de senten. excom.* & Alter. *de censuris tom.1.lib.3.disp.3.c.1.* Verũ quando est lata à iure, non requiritur alia monitio, sed sufficit illa, quæ sub præcepto eiusdem legis inuoluitur, Alter. *vbi supra*, & Abb. *in cap. reprehensibilis, num. 8. de appellat.* In praxi, tamen indistinctè excomunicandus citatur personaliter, nisi constet de non tuto accessu, Felin. *in cap. cum sit Romana, num.14. de appellat.* Sayr. *de censuris, lib.1. cap.12. num.11.* Alter. *dicta disp.3. cap.2. vers. excipiuntur*, & Vrsill. ad Afflict. *decis.289. num. 5. in addit.*

AN EXCOMMVNICATVS ITERVM EXCOMMVNICAPOSSIT. Semel ligatus, iterum ligari potest per excommunicationem; quia per primam segregatur ab Ecclesia, & per secundam confirmatur segregatio: sicque triplex funiculus difficilius rumpitur, *cap.1. de tregua, & pace*. Et tunc est ab omnibus absoluendus, & non ab vna, Fagn. *in cap. maiores, num.62. de baptismo*. Vnde si quis bis percutiat Clericum, bis contrahit excommunicationem; secus verò si vnico ictu occidat plures Clericos (licet contraria tamen opinio sit etiam probabilis) quia est vna actio, vnica transgressio, & vnicum peccatum; ergo vna censura, Martinus Bonacina, *tom. 1. de censur. disput. 1. quæst. 1. punct. 5. num. 7.* Sed si ille actus habeat plures malitias, specie distinctas, mutantes speciem, vt si quis sepeliat in loco sacro vsurarium publicum, excommunicatum, & interdictum, vt validè absoluatur, tenetur exprimere causas omnes, quia committit triplicem inobedientiam, Martin.Bonacin.*citata disp.1. quæst. 1. pun.5. n.9. & 10.*



D:

De excommunicatione.

Titulus XLIII.

Quid & quotuplex sit, quæ illius requisita, quos effectus producat, quibus modis tollatur, à quo, quomodo, an & quando vitietur absolutio; & ex quibus causis quis excusatur ab incursu censurarum.

DAntur duo termini excommunicatio, & anathema, qui inter se non differunt; nam hoc nomen excommunicatio est Græcum, quod latinis *segrego*, vel *separo* significat, Concil. Trid. *sess.25. de reform. cap.3.* Anathema verò, apud Canones ecclesiasticos sumitur pro maiori excommunicatione, *cap.certum*, 24. *quæst.3.*

QVID SIT. Quam excommunicationem varijs, & diuersis modis reperimus definitam, verùm fere omnes in idem coincidunt, ego adducam illam Alter. *de censur. tom.1. lib. 1. disput.2. cap.3. est ecclesiastica censura, qua baptizatus priuatur bonis communibus, quæ ex ecclesiæ intentione fidelibus communicantur*; Dixi *censura*, loco generis; quoniam est quid commune suspensioni, & interdicto. Dixi *baptizatus*; hac enim pæna non plectuntur infideles; cum hi foris sint. Dixi *bonis communibus*; nam omnis pæna priuat hominem aliquo bono; & cum excommunicatio sit pæna, ex ea sequitur remotio alicuius boni. Tria enim sunt fidelium bona communia: Externa comunicatio & conuersatio: Sacramentorum participatio: Et suffragiorum generalium Ecclesiæ communicatio Quæ remotio fit ab Ecclesia ad tempus, vt sic vexatus homo resipiscat. Dixi *quæ ex ecclesiæ intentione pendent*: quia ab interna separatione dictorum bonorum nos separat solum peccatum mortale, *cap. perfusionatus 35. de pœniten. dist.* 1. ab exteriori verò communicatione, excommunicatio nos separat, Glos *in cap. statuimus, 3. d. sent. excommunicat. in 6.* Grauiora damna tamen nobis infert excommunicatio, quam peccatum mortale, Alter. *vbi supra, versic. longè.*

QVOTVPLEX. Diuiditur in plures species, 1. in maiorem, & mi-

& minorem. Excommunica maior, *dicitur ea per quam quis non solum excluditur à perceptione sacramentorum, & facultate illa administrandi, verum etiam à communione fidelium, cap. Engeltrudam, 3.quaest.4.* & quando ab ipso iure, vel ab homine in ponitur hæc pæna excommunicationis, intelligitur maior, & non minor, *cap. siquem, 54. de senten. excom.* & Fagn. in *cap. cum non ab homine, num. 22. de iudicijs.* Nec obstat illa oppositio: in pænis benignior est adhibenda interpretatio, *l.si Prases, 32. & l. interpratationes, 42. ff. de pœnis:* quia hoc procedit in pænis corporalibus, & pecuniarijs, quæ sunt propriè pœnæ, non autem in medicinalibus, vt est excommunicatio, *cap.1.de senten.excom.in 6.* Tum quia in his, quæ spectant ad salutem animæ, est tutior assumenda interpretatio, *cap.iuuenis, 3.de sponsal.* & Martin. Bonacin. *de censur.disput.2. pun.2. num.2.* ideoque excommunica maior dicitur totalis, & eam violans grauiter peccat, & efficitur irregularis, Hieronym. Colum. *de secunda excomm.eccles.disp.2.art.2.* Excõmunica minor, *est ea per quam, quis priuatur à passiua participatione sacramentorum;* verùm per eam non prohibetur intrare in Ecclesiam, Fagn. in *cap.responso, num.12. de senten. excommunicat.* hæc dicitur partialis, & eam violans non efficitur irregularis, Abb. *in cap. dudum, num.24. de elect.*

Secundò. Alia est excommunica lata à iure, & alia ab homine. Prima dicitur lata à iure communi, vt per aliquem canonem Concilij Tridentini, vel Corporis iuris Canonici pro tota Ecclesia. Secunda, dicitur, quæ pronunciatur ab homine contra certam personam circa aliquod factum singulare; Quæ species differunt inter se; quia lata à iure perpetuò durat, *cap.nemini dubium, 10.de off.legati.* Lata ab homine verò expirat per mortem illius, qui eam tulit, Glos. *in cap.à nobis, 21. de senten. excommunicat,* & Alter. *dicta disp.2. lib.1. cap.5. versic.2.* Nec non lata à iure fertur in scriptis, & in die feriato. Lata ab homine minime, quia requirit causæ cognitionem, *cap.sacro, 48. de senten. excom.* Denique lata à iure à quocumque confessario absolui potest, nisi sit reseruata; & lata ab homine tolli non potest ab alio, nisi ab eo, qui eam tulit, *d.cap.per tuas. 40.& cap.sacra, 48.eod.*

Tertiò. Alia est latæ, & alia ferendæ sententiæ, Fagn. *in cap.super specula, num. 1. nè cler. vel mon.* Excommunica latæ

latæ sententiæ; *est quam Ius, vel prælatus statuit ipso facto incurrer dam sine alia sententia*; vt est quando ponuntur illæ clausulæ ipso iure, ipso facto, aut latæ sententiæ, vel quando verba sunt præsentis vel præteriti temporis. Ferendæ sententiæ, *est quam iudex, vel ius non vult ipso facto incurri, sed per sententiam infligi*; vt est quando verba sunt futuri temporis, v. gr. si iudex dixisset excomunicabitur, suspendetur &c. F. Gabr. Excalciat. *de censuris ecclesiast. disput. 1. quæst. 2. §. 3. num. 18.*

Quartò diuiditur in iustam, & iniustam. Iusta *est illa quam fert iudex, qui potest, & debet eo modo quo potest iuxta præceptum legis*, Doctores *in cap. per tuas* il secondo *& cap. sacra, 48. eod.* Iniusta dicitur, *quæ fertur ab eo qui non potest, aut aliter, & ob aliud quam debet*; & dicitur iniusta excomunicatio ex causa, ex animo, & ex ordine, Idem *in cap. sacro, num. 3. de senten. excom.* Quando est iniusta ligat quo ad Ecclesiam militantem, *in dicto cap. per tuas, num. 11.*

Subdiuiditur excommunica iniusta, vel est valida, vel inualida, seù nulla. Valida dicitur, *quam ecclesia, & leges non reddunt irritam*. Inualida è contra. Quando est iniusta, & valida obligat in vtroque foro; quando verò est iniusta & inualida, nihil operatur, sed obligat excommunicatum, vsque quod populus sibi persuadeat ad vitandum scandalum, *cap. cum contingat, 24. de rescriptis*. Imo, qui dicit excommunicationem esse iniustam, non auditur, nisi petat absolutionem purè, Fagn. *in citato cap. per tuas, num. 10. & 17.* Qui verò dicit esse nullam, auditur licet non petat absolutionem, quæ saltem ad cautelam esset concedenda, *ibidem num. 3. & 44.*

Inualiditas resultat ex pluribus causis v. gr. Quando ferens excommunicam non est iudex excommunicati, *cap. nullus, 3. de parochijs*. Quando fertur contra tenorem priuilegiorum, *cap. quanto, 26. de priuilegiis*. Aut si feratur post legitimam appellationem, *cap. per tuas, 40. de senten. excom.* Vltimò, si contineat aliquem intolerabilem errorem, *cap. venerabilis, 7. §. fin. de senten. excom. in 6.*

Vnum nota, quod excommunica lata contra facientem aliquid, non extenditur ad mandantem; quia reuera aliud est facere, & aliud mandare, Bart. *in l. si is qui pro emptore, num. 56. ff. de vsu capione*, & Alterius *de censur. tom. 1. lib. 3. disput. 2. cap. 2.* Nec obstant verba *cap. mulieres, 6. de senten. excom.* ibi

quod per alios facimus, per nos facere videtur. Quia intelliguntur quo ad culpam criminis, & non quo ad pænam, si contrarium in iure non exprimatur. Hac de causa excomunica lata contra percussores Clericorum comprehendit mandantes, & ordinantes, quia expressè sancitum est in iure, *cap. quanta, 47. de senten. excom.* & Doctores *in dicto cap. mulieres*.

QVÆ ILLIVS REQVISITA. Requisita ad ferendum excómunicam alia sunt ex parte iudicis; alia considerantur ante sententiam; alia in ipso actu. Ex parte iudicis necesse est, vt sit iudex competens, & quod cadat sententia in suum subditum, *cap. à nobis, 21. de senten. excommunicat.* Quilibet enim fit subditus, vel per potestatē ordinariam quam habent Episcopi in suos subditos; vel per potestatem delegatam; vel per potestatem accessoriam, qua quis, v. gr. ratione delicti efficitur alterius subditus, *cap. 1. de raptorib.* & *l. alterius, 22 ff. de accusationib.* Vel per potestatem arbitrariam, qua quis sua sponte se subijcit alterius iudicio, *cap. non si incompetens, 2. quæst. 7.* Hinc est, quod excommunica lata à non suo superiore sine speciali mandato, non censetur valida, etiam quod deinde à suo superiore sit ratificata; quia quis ratum habere non potest, quod suo nomine gestum non est, *cap. penult. de senten. excommunicat. in 6.* tunc enim retrotrahitur ratihabitio, quando non tractatur de præiudicio tertij, Surd. *decis. 245. num. 8.*

Ante sententiā excomunicationis præmittenda est monitio in personam excommunicandam, quæ sit trina formaliter, aut virtualiter *cap. constitutionem, & cap. Romana, 5. de senten. excom. in sexto, cap. sacro, 48. e. d.* & vtrobique doctores. Limitatur, quando est lata à iure pro culpis futuris, quia lex ipsa legitimè promulgata satis monet omnes, & qui illam transgreditur, iustè incidit in eam pænam sine alia monitione: Felin. *in cap. cum sit Romana, n. 5. de appellat.* & Alter *de censur. tom. primo lib. 3. disp. 3. cap. primo*, Limita secundò quando delictum est notorium, & publicum; in notorijs enim non requiritur monitio, *Clemen. pastoralis, §. cæterum de re iudicat.* & Couarr. *in cap. alma mater, 1. par. § 9. num. 6.* 3. Quando quis pronunciat excommunicationem, non tamquam iudex, sed vt executor, *capit. vlt. §. vlt. de off. deleg.* 4. Quando pronunciatur excommunicatus, iam defunctus, *cap. a nobis,*

28.

28. *de senten. excommunicat.* Vt si lata sit excommuni à sub-conditione si intra certum diem non solueris, tunc non sol-uendo vt promisisti, dies interpellat pro homine, & sine alia monitione incidit in laqueum excommunicationis, Abbat. *in cap. P. & G. 40. de off. deleg.* & Alter. *dicto lib. 3. disp. 3. per tot.* In ipso actu requiritur voluntas, & intentio ipsius iudicis in-tendentis excommuuicare aliquem, alias si solum illum in-tendat terrere formidine excommunicationis, vt aliquid age-ret, si tunc iudicis præceptum transgrederetur, & non pare-ret, minimè vinculo excommunicationis re vera innodatus esset, Abb. *in cap. ex parte, n. 6. de off. ordinar.* Quando pronuncia tur excõmunica ad instantiam partis, requiritur eius voluntas, vt contrahatur excommunicatio, Alter. *de censur. tom. primo lib. 3. disp. 4. cap. 1.* In vtroque casu voluntas est manife-standa per signa esteriora, Idem, *vbi supra disp. 4. cap. 2. vers. potest etiam.* Secundò requiritur, vt sententia excommuni ca-tionis pronuncietur in scriptis cum expressione causæ, *capit. cum medicinalis, primo, de senten. excomm. in 6. & cap. sacro, 48. eod.* causa enim secundum Canonistas dicitur peccatum mor-tale, quod debet esse proprium, & externum, *cap. nemo epi-scoporum, ij. quæst. 1. capit. si habes, 24 quæst. 3. & l. 1. C. ne fi-lius pro patre.* Tertiò facienda est denunciatio, *c. parochianus, 7.* & *cap. conquæsti, 22. eod.* Denunciatio enim nil aliud est, *quam quædam solemnitas ab ipso iure imperata adhibenda post senten-tiam excommunicationis in promulganda excommunicationis.* Quæ denunciatio debet fieri publicè, quando sententia ex-communicationis fertur ab homine ob peccatum commissum contra certam personam, *cap. cura, xi. quæst. 3*, ad hoc vt sit vitandus ab omnibus, & nemo valeat vllo execusationis pre-textu se excusari. Modus denunciandi est varius pro varieta-te criminum, & locorum, *cap. debent, xi. quæst. 3.* hæc de-nunciatio non impeditur per appellationem, quæ interponi-tur à sententia, qua quis denunciatur excommunicatus, *capit. pastoralis, 53. §. verum, de appellat.* secus est, quando fuit interposita appellatio ante sententiam excommu-nicationis; quia tunc non solum deuoluit causæ cognitionem, sed etiam suspendit excommunicationem, *d. cap. pastoralis, 53. &* Alter. de *censur. lib. 3. disp. 5. capit. 1. versic. quod si appel-latio.* Idem est quando appellatur à comminata censura,

Fagnan.*in cap.super eo*, il secondo, *n.* 47. *de appellat.* vel quando appellatur à declaratoria censurarum, seu sententia, qua declaratur excommunicatus.Felin. in *cap. Rodulphus*, *n.* 78. *de rescript.* Sigism. Scac. *de appell. quæst.*17. *limit.* 22.*n.*36. & Robert. Lancell. *de attentatis,par.*2.*cap.*12.*limitat.*21.*n.*22. disparitas, cur à declaratoria datur appellatio, & non à sententia excommunicationis est, quia declaratio profertur ob crimen in cuius probatione contingere potest error, & proindè non mirum si appellatio suspendat eam declarationem: Lmitatur quando sumus in notorio crimine,quia tunc non impedit declarationem, *cap. peruenit*, 13. *de appellat.* Verum sententia excommunicationis apertè constat in quem fertur esse deuictum, ideoque maior solemnitas exigitur, quam in declaratione, Fagn. *in c. non pot.st.*, *num.* 18. *de senten. & re iudic.* De effectibus excommunicationis maioris tractat Alter. de *censur. tom.*1. *libr.* 1. *disput.* 5. *cap.* 1. & Martin Bonacin. *de excommun. disput.* 2. *quæst.* 2.*pun.* 1. cum sequen.& de his hic breuiter tractatur.

EFFECTVS EXCOMMVNICÆ MAIORIS.

Primus effectus est priuatio actiuæ participationis sacramentorum; cessat tamen hæc prohibitio existente imminenti graui necessitate; quia per eam non tollitur character sacerdotalis, ideoque valida sunt sacramenta ministrata ab excommunicato vitando, & probatur. Pro Baptismo habetur *cap. siue hæreticus*, 49. *de consecrat. dist.* 4. De Eucharestia *cap. de homine*, 7. *de celebrat. missar.* De matrimonio *capit. significasti*, 6. *de eo qui duxit in matrim.* De ordine *cap. fin. de eo qui ordinem furtiuè suscepit*. Excipitur Sacramentum pœnitentiæ extra casum necessitatis; quia requiritur iurisdictio, qua caret excommunicatus vitandus, Bonacin. *dict. disp.* 2. *quæst.* 2. *pun.* 2. §. 4. *n.* 1. Vitandus enim est, quando parochus dicit esse vitandum ostendendo literas denunciatorias alias non esset credendus, quia vni testi, etiam fidei digno necessariò non creditur, *cap. cum à nobis*, 28. *de testib. & attestat.* Toleratus verò dicitur, quando nescitur, an sit excommunicatus, vt est ante denunciationem.

Secundus effectus est carentia passiua participatione sacramentorum, vti est excommunica minor, *c. si quem*, 59. *eodem.*

Quod

Quod procedit, siue excommunicatus sit toleratus, siue vitandus; nam vterque peccat peccato sacrilegij mortaliter recipiendo sacramenta; & minister scienter conferens sacramenta sine iusta causa excommunicatis vitandis incurrit in excommunicationem maiorem, *cap. significauit*, 18. & *c. nuper*, 29. *de senten. excom.* & in interdictum ab ingressu Ecclesiæ, *cap. episcoporum*, 18. *de priuilegijs in 6.*

Tertius effectus. Excommunica maior priuat christianum à communibus Ecclesiæ suffragijs, *cap. à nobis*, 28. & *cap. sacris*, 38. *de senten. excom.* suffragium enim dicitur auxilium quoddã, quod vnus fidelis præbet alteri ad obtinendum à Deo remissionem penæ temporalis: & duobus modis prodesse potest. 1. Per sacrificium missæ ex opere operato 2. Per diligentias, quæ sũt ex opere operãtis Gabr. *de effec. excõ. disp. 3. q. 4. n. 39.* Sacerdos nõ valet offerre pro excommunicato sacrificium missæ; quia excommunicatus non est particeps fructus valoris horum suffragiorum, quæ fiunt in Ecclesia; contrarium faciens, peccat mortaliter, ex eo quod facit contra præceptum Ecclesiæ in re graui. Ampliatur in excommunicato, qui decessit cum signis pænitentiæ, sed non fuit absolutus (verùm apud Ecclesiam non reputatur talis) sicque à fidelibus pro eo, non est orãdum, Glos. *in cap. à nobis*, 28. *verbo à fidelibus*, & in *cap. sacra*, 38. *de senten. excom.*

Quartus effectus. Excommunicatus priuatur omni ecclesiastica communicatione in rebus diuinis, *cap. responso*, 43. & *cap. nuper*, 29. *de senten. excom.* ex quo dum est excommunicatione ligatus non potest celebrare sacrificium missæ, nec officium canonicum publicè recitare in Choro, nec quemlibet actum solemniter sui ordinis exercere, S. Thom. *in 4. dist.* 18. *quæst. 2. art. 4. quæstiun. 3. ad* 1. & Nauarr. *in sum. cap. 25. num.* 23. Coram excommunicato vitando nequit sacerdos celebrare; & si ille velit sacris interesse; si diuina officia inchoata non sint, omitti possunt; & si sint inchoata, moneri debet; & si nulla vi expelli possit: diuina officia sunt omittenda, & postea submissa voce sunt supplenda, excepta missa, quæ si reperiatur cæpta, est perficienda vsque ad sumptionem specierum, *Clemen. 2. de senten. excomunicat.* Nec non excommunicatus nequit prædicare, sed concionem audire potest, *cap. responso*, 43. *de senten. excommunicat.*

Quintus effectus. Iudex publicè excommunicatus, & denūciatus priuatur sua iurisdictione,& si exerceat,nulliter agit, & peccat mortaliter, *cap. decernimus*, 8. *de senten. excom. in 6. cap. ad probandum*, 24. *de senten. & re iudicata*, & *cap. audiuimus*, 24. *quæst.* 1. Imò ille non potest, nec eligere, nec eligi, *cap. cum inter*, 16. *de elect.* verum si ille index sit occultè excommunicatus, & communiter latet,gesta ab ipso valida sunt, Alterius. *dicta disp.* 2. *cap.* 2.

Sextus effectus est suspensio ab officio, & beneficio: nam excommunicatus de beneficijs ante excommunicationem obtentis non priuatur ipso iure, sest solum durante excommunicatione priuatur fructibus & reditibus, Abb. *in cap.* 1. *num.* 24. *de iudicijs*, & *in cap. contingit. num.* 7. *de dolo*, *& contum;* & si persistat per annum in excommunicatione ob suspicionem hæresis puniendus est pænis hæreticorum, Alter. *lib.* 2. *disp.* 6. *cap.* 1.

Septimus effectus. Collatio beneficij facta ab excommunicato vitando, siue tollerato est inualida, & perindè est, ac si facta non fuisset, intellige in vtroque foro, *cap. postulastis*, 7. *de cler. excommunicato*, *deposito*, & Couarr. *in cap. alma mater*, *par.* 1. §. 7. *n.* 1. quo casu petere debet absolutionem excommunicationis, eaque obtenta, curet, vt beneficium sibi de nouo conferatur ab eo, ad quem pertinet beneficii collatio, Bonacin. de *excommunicat. disp.* 2. *quæst.* 2. *pun.* 4. §. 1. *n.* 11. Limitatur, quando ille est prouisus à Papa cum clausula absolutionis à censuris ad effectū gratiam dumtaxat consequendi.

Octauus effectus est priuatio ecclesiasticæ sepulturæ, *capit. quicunque*, 2. *de hæreticis in 6.* nam sepelientes scienter excommunicatum vitandum sunt excommunicati, *Clemen.* 1. *de sepulturis*; verùm si ante mortem dederit signa contritionis, prohibetur sepeliri in loco sacro, sed si sit sepultus, non eijciatur, Glos. *in cap. sacris*, 12. *de sepulturis*, & in *cap. ad hæc*, 5. *de priuilegijs*; si autem signa pœnitentiæ non dederit, est eijciendum illud cadauer, & postea locus reconciliatur ad formam, *cap. consuluit*, 7. *de consecr. ecclesiæ*; & si non possit discerni illud cadauer ab aliis, non est exhumandum, Fagn. *in cap. cum propter*, *n.* 54. *de iure patronatus*. Nota quod absolutus in foro pœnitentiali, non est capax sepulturæ in loco sacro, sed primo absoluatur cadauer, & deinde datur sepultura; quia prima absolutio, quoad effectus exteriores nullum

ha-

habet effectum, Nauarr. in *sum. cap. 27. n. 278.* plures DD. tenent contrarium, nam dum per illam absolutionem est sublata excõmunica, cessat effectus excommunicationis, Frat. Gabr. *de effect. excommunicat. disput. 3. quæst. 9. n. 118.*

Nonus effectus: Excõmunicati maiori excommunicatione priuantur externa communione, *cap. penul. de sententia excommunicationis, cap. dilectis, §. in fine, de appellat.* Et si quis communicat cum excõmunicato incurrit in excommunicationem minorem, *cap. nuper, 29.* & *cap. cum voluntate, 54. §. 1. de senten. excommunicat.*

A qua pœna excusantur plures nẽpè, ille qui participat cum excõmunicato ad vtilitatem eius animæ, *cap. responso, 20. eod.* 2. Creditor, qui petit debitum, *cap. intelleximus, 7. de iudicijs*; 3. Vxor excommunicati ob legem coniugij, filius, famulus, & serui qui ante excommunicationem erant illi subiecti; nec non ex causa necessitatis licitum est communicare cum excommunicato. In quibus casibus, & similibus in nullam pęnam incidit participans cum excommunicato, Mart. Bonac. *in tit. de excomunicat. disp. 2. quæst. 2. punc. 6. §. 2. per totum.*

Decimus effectus. Excommunicatus non potest esse actor in iudicio, *cap. decernimus, 8. de senten. excomunicat. in 6.* secus est, si veniat pro naturali defensione, quia in causa propria potest esse aduocatus, & procurator ad suam defensionem, *cap. intelleximus, 7. de iudicijs.*

Vndecimus effectus, alijs omissis. Manifestè excõmunicatus efficitur infamis, *cap. infames, 6. quæst. 1.* & cum sit excommunicatus in vna Diœcesi, haberi debet pro excommunicato in vniuerso orbe, Fagn. in *cap. treguas, n. 6. de treguis, & pace.*

EFFECTVS EXCOMMVNICÆ MINORIS.

Effectus præcipui excommunicationis minoris duo sunt. Primus est, priuare directè passiua sacramentorum participatione, *cap. celebrat, 11. de cler. excom. ministr.* & cum receptio sacramentorum sit materia grauis, violans minorem excommunicationem recipiendo sacramenta peccat mortaliter. *cap. vl. de cler. excom. ministr.* etiam ministrans illi sacramenta grauiter peccat, nisi causetur ratione ignorantię, aut scandali, vel alterius mali vitandi, Bonac. *de excõmunicat. dicta disp. 2. quæst. 3. n. 3. cum sequen.*

Se-

Secundus effectus minoris excommunicationis est, vt excommunicatus minori excommunicatione non possit licitè præsentari ad beneficia, *dicto cap. si celebrat*, Bonac. *vbi sup. num. 6.* verum eligere actiuè non prohibetur, Alter. *de censuris, disp. 4. cap. 2. in fine, & per totum.*

MODI QVIBVS TOLLITVR. A quibus vinculis liberatur per absolutionem, quæ multiplex est, Alter. *lib. 4. disp. 1. per totam.* Vel impenditur in foro interiori, vel exteriori. In foro interiori datur, vt fiat habilis ad sacramenta recipienda, & conceditur quando crimen est occultum; quæ absolutio in foro animæ non tollit pœnas fori externi, Fagn. in *cap. postulasti, n. 21. de cler. excom.* In foro exteriori traditur ad vindicandam iniuriam publicam, satisfaciendum Ecclesiæ offensæ, & parti lesæ.

2. Alia dicitur pura, alia conditionata. Pura est, quando absoluens eam purè tradit. Conditionata includit diem, vel aliam conditionem; ex qua dependet absolutio, & vel apponitur conditio de præsenti, vel de præterito, & erit valida; quia non suspenditur effectus absolutionis, *l. cum ad præsens, ff. si certum petatur;* vel apponitur conditio de futuro, & hæc non est in vsu, quoniam actus legitimi conditionem non recipiunt *l. actus, 8. ff. de reg. iur.* & Alter. *vbi supra lib. 4. disp. 1. cap. 2. in fine,* nihilhominus Bonacin. *tit. de censur. disp. 1. quæst. 3. pun. 7. n. 1.* tenet, quod possit sub conditione de futuro quis absolui, quia nullo iure prohibitum reperitur; sed cum sit contra vsum Ecclesiæ non dicitur licita.

3. Alia dicitur simplex, alia ad cautelam, & alia cum reincidentia. Simplex est, quando habetur notitia excommunicationis, & absolutio simpliciter petitur. Ad cautelam, quando excomunicatio ignoratur, vel est dubia. Quando fit mentio de absolutione simpliciter, semper intelligitur de pura, nisi efficiatur expressa mentio de illa clausula *ad cauthelam*, Abb. *in cap. apostolicæ. n. 12. de exceptionibus.* Absolutio cum reincidentia dicitur illa per quam tolliur excommunicatio ad tempus; vt si ab soluatur excommunicatus cum onere, quod intra certum tempus parti satisfaciat, *cap. eos qui, 12. de sententia excommunicat. in 6.* Si satisfecerit, erit ab solutus simpliciter; si secus denuò excommunicationis censura obstrictus erit, Nauar. *in manual. cap. 7. num. 46. & 113.* & Alterius *dicto lib. 4. disp. 1. cap. 5. per totum.*

PER

PER QVEM. Circa facultatem absoluendi: regulariter omnes illi, qui possunt excommunicare, possunt auctoritate ordinaria absoluere in vtroque foro, si sint Sacerdotes; si verò sint Clerici dumtaxat in foro externo extra confessionem sacramentalem. Quilibet confessarius habens potestatem absoluendi à mortalibus, potest absoluere ab excommunicatione lata à canone Papæ, vel Episcopi, si illius conditor absolutionem non sibi reseruauit, Fagn. *in cap. canonum statuta, num. 32. de constitutionib.* & si Papa alicui dedisset facultatem absoluendi ab omnibus censuris, & casibus reseruatis, non censentur inclusæ censuræ in Bulla Cænæ; quia in generali concessione, non veniunt ea quæ, quis non esset verisimiliter in specie concessurus, *cap. in generali*, 81. *de regular. in 6.* Limitatur in articulo mortis; quo enim casu à qualibet censura reseruata, quilibet simplex Sacerdos, quamuis sit excommunicatus absoluere potest, vt ex Conc. Trid. *sess.* 14. *cap.* 7. In alijs casibus, quando quis est excommunicatus à suo Episcopo, non potest absolui ab alieno, Fagn. *in cap. omnis, num.* 8. *de pœnit. & remiss.* Si illa excommunica sit iniusta, non fit absolutio, sed relaxatio. Idem *in cap. odoardus, num.* 5. *de solutionib*, Vnum nota, quod pro læuissima iniuria, seu percussione facta Clerico offensor absolui potest ab Episcopo, Idem *in cap. peruenit, num.* 8. *& 9. de sententia excommunicat.* sed regulariter quis non debet absolui, nisi prius de iniuria satisfaciat, Idem *in cap. nullus, num.* 15. *de for. competen.*

QVOMODO. Ad absolutionem censuris, non est necessaria certa, & determinata forma verborum; sed sufficiunt quæcunque verba ore prolata, vel in scriptis expressa, & exarata, quibus sufficienter exprimatur absolutio, Alter. *de censur. lib.* 4. *disp.* 1. *cap.* 1. *ad finem*, & Bonacin. *de censur. disput.* 1. *quæst.* 3. *pun.* 5. *num.* 1. hac de causa excommunicatus inuitus positiuè, aut ignarus, etiam quod sit absens localiter potest absolui à censuris; quia sicut absens potest ligari, ita absolui, cum fauores sint ampliandi, Martin. Bonacin. *vbi sup. disp.* 1. *quæst.* 3. *pun.* 5. *num.* 4. & Alter. *in dicto lib.* 4. *disput.* 6. *cap.* 2. Hoc procedit in absolutione ab excõmunicatione in foro exteriori, nõ autem in foro pœnitentiæ virtute iubilei, aut alterius priuilegij; quia quando datur in foro poli requiritur, vt voluntariè illam obtineat, & sit præsens; nam forma absolutionis sacra-

 men-

mentalis dirigitur ad personam præsentem, & tali modo est instituta à Christo, ideoque non potest mutari, *vt supra in tit. de sacramen.* & Alterius *dicta disputat. 6. capit. 1. vers. accedit*.

Aduerte, Excommunicatus primò est absoluendus ab omnibus censuris, & deinde à peccatis; quia potest auferri vna censura remanente alia; atque ab habente iurisdictionem ordinariā absolutio potest concedi extra confessionem. Delegatus enim debet absoluere iuxta tenorē delegationis, Bonacin. *vbi sup. disput. 1. quæst. 3. pun. 6. n. 7.* Quando absolutio est collata absenti statim sortitur suum effectum, etiam si ad aures excommunicati non peruenerit, dummodo sit purè, & non conditionatè concessa; ratio est, quia sicut excommunicatio statim operatur suum effectum, ita & absolutio, Alter. *dicta disp. 6. cap. 1. col. 4. littera* B. & Bonacin. *dicta disput. 1. quæst. 3. pun. 5. num. 5.*

EX QVIBVS CAVSIS VITIATVR. Aduerte, quod absolutio redditur nulla ex pluribus causis; veluti si absolutio sit obtenta per metum cadentem inconstantem virum, *cap. vn. de ijs, quæ vi metusque caus. in 6.* Vel si sit subreptitiè data, *cap. ex parte, 5. de off. iud. ordinar. cap. cum pro causa, 27. & cap. si aliquando, 41. de senten. excommun.* Aut si sit obtenta per dolum versantem circa causam finalem, vt si hæreticus vt obtineat absolutionem fingat esse conuersum, *cap. officij, 42. de senten. excommun.* Alter. *tom. 1. dicto lib. 4. disput. 5. cap. 2. & 3.* & Bonacin. *citata disp. 1. quæst. 3. pun. 8. per tot.*

EX QVIBVS CAVSIS EXCVSATVR AB INCVRSV CENSVRARVM. Denique aduerte, quod pluribus ex causis, quis excusatur ab incursu censurarū. 1. Ignorantia probabilis, tā iuris communis, quā particularis excusat ab incurrendis censuris, *cap. 2. de constitutionib. in 6.* & Bonacin. *dicta disput. 1. quæst. 2. pun. 1. num. 6.* Etiam ignorantia facti inuincibilis excusat à censuris, vt occidens Clericum putans occidere feram, *cap. si vero, 3. de senten. excomm.* 2 Appellatio legitimè interposita, vt supra per allegata iura suo loco. 3. Impotentia faciendi, quod præcipitur; intellige de impossibili, ad quod non est humana potentia; vel quod est contra bonos mores, quia ad impossibilia nemo tenetur, *l. impossibilium, 145. ff. de regul. iur.* 4. Metus cadens inconstantem virum, Nauarr. *in man. cap. 27.*

num.

num.63. & 130. 5. Consensus illius, in cuius fauorem fuit concessa censura sufficit ad suspendendum censuram, Filliuc. *tract.11.cap.3.quæst.12.num.*80. & Bonacin. *dicta disp.1.quæst. 2.pun.4.per tot.*

De censuris in bulla cœnæ contentis.

Vnde dicatur, in quid differat à breuibus, quam vim habeat, in quot capita diuidatur, à quo, & quomodo tollatur.

BVlla dicitur à bulla plumbea litteris Apostolicis appensa, & ideo Papa vtitur plumbea Bulla & non aurea Bulla, ne detur occasio subtrahendi eam, Glos. *in Clemen. vnica, in fine, de iure iur.*

Illud verbum Cœnæ, ponitur ad denotandum, quod solum promulgatur in die Cœnæ Domini, vt pura, & integra seruetur fides catholica, & societas inter ipsosmet fideles sine offensione.

Quæ Bulla conuenit, & differt à Breuibus. Conuenit, quia habent eandem vim, qua propter dispositio textus *in cap. ad falsariorum, 3. de crim. falsi*, & alia iura, quæ loquuntur de Breuibus, sunt intelligenda etiam de Bullis, seu literis Apostolicis, Alter. *de censuris in tit. de excommunicat. bullæ cœnæ, lib. 5. disp.1. cap.1.*

Differt: quia Breue nil aliud est, quam commentariolus summam rerum continens, & signatur sola cera rubea anulo Piscatoris: Piscator enim erat Diuus Petrus; & anulus erat sigillum, quo Petrus vsus est. Bulla dicitur literæ processus; quia hæ literæ emanant à Papa per modum processus, in quo continentur sententiæ censurarum contra quascumque personas delinquentes, & alias in illis expressis; & non censetur espedita, seu perfecta, ante quam illi fuerit plumbum oppositum, communiter omnes Canonistæ *in principio huius materiæ de censuris in bulla cœnæ.*

Genera personarum quæ comprehenduntur in excommunicatione lata in Bulla Cænæ sunt. 1. Hæretici cuiuscumque sectæ, eorumque fautores; & imprimentes, aut legentes libros ipsorum, nec non schismatici. 2. Appellantes à Romano Pon-

tifice ad futurum consilium, eorumque fautores. 3. Piratæ, ac eorum receptores, & fautores. 4. Qui subripuerit bona cuiuscunque generis, etiam in littoribus inuenta naufragij christianorum. 5. Imponentes noua pedagia, & gabellas, vel eas augentes personis ecclesiasticis, ecclesijs, & monasterijs. 6. Falsificantes literas Apostolicas. 7. Deferentes arma, & alia vsui belli necessaria ad Turchas, & alios Christiani nominis inimicos. 8. Impedientes eos, qui victualia, & alia necessaria, quæ ad vsum Romanæ Ecclesiæ vehunt. 9. Qui ad sedem Apostolicam venientes, vel ab ea recedentes, vel in ea commorantes interficiunt, vel vexauerint. 10. Lædentes Romipetas, aut peregrinos ad Romanam Vrbem deuotionis gratia proficiscentes, vel in ea morantes, vel recedentes. 11. Qui S. R. E. Cardinalib; nocuerint. 12. Offendentes eos, qui ad Romanam Curiam recurrunt causa negotiorum. 13. Qui prætextu appellationis recurrunt ad laicam potestatem ad effectum impediendi executionem literarum Apostolicarum. 14. Qui causas à iudicijs ecclesiasticis auocant, aliarumque expeditionem impediunt. 15. Trahentes, vel trahi procurantes personas ecclesiasticas, & statuentes contra libertatem Ecclesiæ. 16. Impedientes Prælatos, ne sua ecclesiastica iurisdictione vtantur. 17. Vsurpantes iurisdictionem vel prouentus ad Sũmum Pontificem, vel ad alias ecclesiasticas personas pertinentes. 18. Imponentes decimas, taleas, & alia onera laicalia ecclesiasticis personis, Ecclesijs, monasterijs, & eorum fructibus. 19. Iudices sæculares, qui se interponunt in causis criminalibus contra ecclesiasticas personas. 20. Inuadentes, & acceptantes Ciuitates, Terras, loca, aut iura Ecclesiæ Romanæ, vel iurisdictionem in illis vsurpantes, aut vexantes.

De quibus capitibus singillatim tractat Mart. Bonac. *in lib. 3. per* 22. *quæstiones*, Alter. *de censuris, tom.* 1. *lib.* 5. *disp.* 1. & *sequent.* ad quos vos remitto.

Aduerte, quod à prædictis excommunicationibus nullus per aliũ, quã per Rom. Pontif. excepto eo qui est in mortis articulo constitutus, absolui potest: nec etiam tunc, nisi præstita cautione de stando Ecclesiæ mandatis, & de satisfaciendo. Præsumentes contrarium facere eodem vinculo remanent innodati, & spiritualiter, & temporaliter contra eos procedi potest, vt ex verbis eiusdem Bullæ, *versic. quod si forte*.

De

De interdicto ecclesiastico.

Titulus XLV.

Quid & quotuplex sit, ex quibus causis incurratur, quos effectus producat, qua pœna contrauenientes puniantur, à quo, & quomodo tollatur interdictum ecclesiasticum.

QVID SIT. In genere sumptum interdictum idem est, quod prohibitio, *cap. miror*, 17. *quæst.* 4. In specie verò sumitur pro vna trium ecclesiasticarum censurarum, & ita definitur, *est censura ecclesiastica prohibens per se vsum quorumdam sacramentorum, diuinorum officiorum, & ecclesiasticæ sepulturæ.* Alter. *de censuris, lib.* 2. *de interdicto, disput.* 1. *versic. quamobrem.*

Differt ab excommunica, & suspensione; quia excommunica, & suspensio feruntur contra singulares personas; & interdictum vt plurimum contra vniuersitatem, & collegia, *cap. Romana*, 5. §. *in vniuersitatem, de senten. excommunicat. in* 6. Tum quia Episcopus non incurrit in suspensionem, vel interdictum latum à iure, nisi exprimatur; in excommunicatione verò sine alia specifica mentione comprehenditur, Glos. *in cap. quia periculosum*, 4. *de senten. excommunicat. in* 6.

QVOTVPLEX. Quod interdictum diuiditur in plures species. Primò: Aliud est iuris, aliud hominis. Iuris inducitur ex iuris dispositione, vt quando Ecclesia fuerit polluta. Quæ pollutio pluribus modis accidit; veluti, per homicidium voluntarium & iniuriosum commissum in Ecclesia, *cap. proposuisti*, 4. *de consecrat. eccl.* 2. Per iniuriosam sanguinis effusionem; quæ esse debet intra Ecclesiam, vel quod vulnus sit mortiferum & passum intra eam, licet deinde ab ea exeat, *cap. si ecclesia*, 10. *de consecrat. eccl.* & Nauar. *in manual. cap.* 27. *num.* 256. 3. Per humani seminis effusionem; quæ effusio esse debet publica intra Ecclesiam ex illicita coniunctione, *cap. significasti*, 5. *de adulter.* 4. Polluitur quando Ecclesia consecratur ab Episcopo nominatim excommunicato, Ioan. Andr. *in cap. consuluisti, num.* 5. *de consecrat. eccl.* 5. Quando aliquis paganus, seu

ſeù infidelis in ea ſepelitur, vel ſepultus iacet, *cap. eccleſiam*, 1. *& 2. de conſecrat. diſtin.* 5.6. Polluitur per deſtructionem, vel combuſtionem omnium, aut maioris partis parietum Eccleſiæ ſimul. Dixi ſimul; quia ſi paulatim parietes cruſtam amiſerint, non ſunt reconſecrandi, quoniam conſecratio eſt indelebilis, remanente eodem ſubiecto, Nauar. *cap.* 27. *num.* 258. Si quis celebret in Eccleſia polluta ante reconciliationem, peccat, *cap. eccleſiam*, 16. *de conſecrat. diſtin.* 1. Reconciliatio enim quando Eccleſia eſt conſecrata fieri debet ab Epiſcopo; quando verò non erat conſecrata, ſed benedicta, fieri poteſt per ſimplicem ſacerdotem, vt omnes Doctores aſſerunt, & tex. *in cap. aqua*, 9. *de conſecrat. eccl.*

Interdictum hominis dicitur, quando iudex competens ex aliqua cauſa terram, vel homines præcipit à diuinis arcendos; & ſubdiuiditur in perſonale, locale, & mixtum, *cap. præſenti*, 10. & *cap. ſi ciuitas*, 17. *de ſenten. excommunicat. in* 6. Perſonale, *eſt quod dirigitur ad perſonam cui probibetur certus quidam vſus diuinarum rerum*; tunc ille nullibi poterit audire diuina officia, *cap. ſi ſententia*, 16. *de ſenten. excommunicat. in* 6. & ſi celebret miſſam in Eccleſia incurrit in irregularitatem, ſecus ſi in priuato oratorio celebret, Fagn. *in cap. vel non eſt compos*, *num.* 18. *&* 19. *de temp. ordinat.*

Locale, *eſt quo directè interdicitur locus, ne in eo celebrentur diuina officia, ſecundùm formam à Sacris Canonibus præſcriptam.*

Mixtum, *eſt quo interdicitur locus, & perſona ſimul*. Et ſubdiuiditur in generale, & ſpeciale. Generale, *eſt quo interdicitur prouincia, vel populus*; nam interdicta ciuitate, vtique remanet interdicta Eccleſia Cathedralis, & comprehenduntur etiam innocentes, *cap. ſi ciuitas*, 17. *de ſenten. excommunicat. in* 6. Speciale eſt, *quando interdicitur pars populi, vel aliqua Eccleſia*. Hoc ſolum ligat nocentes, *citato cap. ſi ſententia*, 16. Interdicta ſpecialiter tali Eccleſia, includuntur omnes cappellæ illius Eccleſiæ, & cœmeterium contiguum, non tamen alia Eccleſia; imò ſacerdotes illius Eccleſiæ poſſunt perſoluere in alia Eccleſia diuina officia, *cap. ſicut*, 5. *de regul. iur. in* 6. ex eadem ratione, interdicto collegio, non eſt interdictus totus populus, ſed pars populi; & interdicto populo non eſt interdictus Clerus, quia populus diſtinguitur à Clero, *cap.*

duo

duo sunt, 12. *quaest.* 1. Secus est si sit interdicta Ciuitas, quia censentur interdictæ Ecclesiæ religionum, quæ alias sunt exemptæ, Trid. *sess.* 25. *de regularib. cap.* 12. Ideoque, posito interdicto generali personali, veniunt omnes Ciues, qui siue consentiant, siue dissentiant; siue sint præsentes, siue absentes; siue sint insignes, siue non; quoniam omnes illi, tamquam partes constituunt communitatem, Glos. *in dicto cap. si sententia, verbo è conuerso, de senten. excommunicat. in 6.* & Alter. *de censuris, lib.* 2. *tit. de interd. disp.* 1. *cap.* 5. ratio à priori est, quia interdictum ferri potest ob non culpam propriam. Vnde pro peccatis Regis interdicitur Regnum: Pro peccatis Episcopi, vel Domini Ciuitas: Et monasterium pro peccatis Abbatis, *cap. non est vobis*, 11. *de senten. excom.* Fagn. *in cap. responso*, *num.* 42. *de senten. excommunicat.* & *in cap. sane*, il secondo, *num.* 9. & 13. *de off. deleg.* Ex quo interdicto excluduntur scolares, qui non habent domicilium in illa ciuitate; & pueri, qui non sunt doli capaces, quia puer ob defectum vsus rationis non dicitur præsens moraliter, *cap. pueris*, 1. *de delictis puer.* & D. Thom. *secunda secundæ, quaest.* 10. *art.* 12. *in corpore*.

Vltimò diuiditur: Aliud est totale, aliud partiale. Interdictum totale dicitur, quando profertur absque vlla determinatione; & comprehendit omnes effectus interdicti. Partiale est quando pronunciatur solum ad vnum effectum, vt si alicui solum interdicatur ingressus Ecclesiæ, potest domi celebrare in sacello erecto auctoritate Episcopi, Glos. *in cap. is cui*, 20. *de senten. excom. in 6.*

EX QVIBVS CAVSIS FVLMINATVR. In quam censurarum incurritur ex pluribus causis. 1. Extorquendo pedagia ab Ecclesia, aut ecclesiasticis personis, *cap. quamquam*, 4 *de censibus, in 6.* & *cap. clericis*, 3. *de immunit. in 6.* 2. Præstando auxilium insequentibus Cardinales: quo casu, etiam Ciuitas est interdicta, *cap. felicis*, 5. *de pœnis in 6.* 3. Si quis percutiat, vel capiat Episcopum, vltra pœnas personales, terra quoque est interdicta, *Clemen. si quis*, *de pœnis*. 4. Collegium, vel communitas subijcitur interdicto ecclesiastico si admittat, & non expellat vsurarios publicos, *cap. vsurarum*, 5. *de vsuris in 6.* 5. Locus sacer interdicitur ob sepulturam hæretici, *cap. quicumque*, 2. *de haret. in 6.* 6. Capitulum sede vacante

in-

interdicitur, si intra annum concedat litteras dimissoriales; Trid. *sess.* 7. *cap.* 10. 7. Vniuersitas concedens represalias contra ecclesiasticas personas subiacet pœnæ interdicti, *cap.* 1. *de iniurijs in* 6. 8. Capitulum, vel Collegium non seruans ea, quæ sibi statuuntur circa bona Ecclesiarum vacantium incidit in censuram interdicti, *Extrauag. vn. ne sed. vac in.* 9. Interdicitur alienans bona Ecclesiæ sine solemnitatibus, *Extrauagan. ambitiosæ de reb. eccl. non alienan.* 10. Vsurpans bona Ecclesiarum vacantium, *cap. præsente*, 9. *de off. ord. in* 6. 11. Interdicuntur iudices, qui ferunt censuras in suos subditos Romam venientes, *Extrauag. diuinæ*, 3. *de priuileg.*

Vltimò alijs ommissis: Metropolitanus non deferens Pontifici Suffraganeum non residentem, Concil. Trid. *sess.* 6. *de reformat. cap.* 1.

QVO EFFECTVS PRODVCAT. Quod interdictum producit quatuor effectus, vt *in cap. si sententia*, 16. & *cap. alma mater*, 24. *de senten. excom. in* 6. Quorum primus est priuatio actiua, & passiua quorumdam sacramentorum. Secundus est priuatio actiua, & passiua diuinorum officiorum. Tertius dicitur priuatio ecclesiasticæ sepulturæ. Quartus est prohibitio ingressus Ecclesiæ.

Circa primum effectum aduerte, quod tempore cuiuscumque interdicti non prohibetur vsus baptismi, etiam adultis; excepto eo, qui est nominaliter interdictus; & eo; qui causam dedit: quoniam hi æquiparantur excommunicato, *cap. quod in te*, 20. & *cap. responso*. 48. & ibi Fagn. *num.* 23. *&* 27. *de senten. excommunicat.* Nec prohibetur vsus confirmationis, quia est baptismi complementum. Nec prohibetur vsus sacramenti pœnitentiæ, tam sanis, quam infirmis: exclusis illis, qui dederunt causam huic interdicto, *cap. quod in te*, 11. *de pœniten. & remiss.* & Alter. *de censur. lib.* 2. *de interdicto, disp.* 4. *cap.* 3. *versic. absque.*

Priuat tamen vsu Eucharistiæ, excepto mortis articulo, quo casu solemniter deferri potest, *cap. quod in te*, 20. *de pœnit. & remiss.* & Alter. *dicta disp.* 4. *cap.* 4. Priuat vsu extremæ vnctionis, ordinis, & matrimonij; siue sit interdictum generale locale; siue personale generale, Alter. *dicta disp.* 4. *cap.* 7. *per totum.* Permittitur tamen tempore interdicti Chrismatis confectio in die Cœnæ Domini, & consecratio olei baptizandorum,

rum, Fagn. *in dicto cap. responso*, *num.* 23.

Circa secundum effectum, aduerte: quod nomine diuini officij, venit omne illud, quod exerceri solet in Ecclesia à persona consecrata, siue deputata ad Dei cultum; & etiam veniunt quædam sacramentalia, quæ spectant ad solemnem sacramentorum ritum, vt est benedictio templi. Verum illa, quæ ex natura sua non exposcunt personam ecclesiasticam, vt est recitatio officij B. Mariæ possunt exerceri, Bonac. *de interdic. disp.* 5. *pun.* 4. *num.* 1. *& sequentes*.

Hoc intellige tempore interdicti localis generalis tantum; quo durante omnibus sacerdotibus, dummodo non sint illius causa liceat celebrare sacrum seruatis quatuor conditionibus *cap. alma mater*, 24. *de senten. excomm. in* 6. nempè submissa voce; ianuis clausis; interdictis, & excommunicatis exclusis; & absque campanarum pulsatione, Alter. *de interdictis disp.* 5. *cap.* 2.

Limitatur in quatuor præcipuis anni festiuitatibus; nam sine vlla moderatione (exclusis tamen excommunicatis, & causantibus interdictum dumtaxat) in his diebus licet quodcumque sacrum celebrare, siue sit interdictum generale locale, siue personale, *dicto cap. alma mater*, 24. §. *adijcimus*, & *cap. si sententia*, 16. *de sententia excommunicat. in* 6. Nec non licet pulsare campanas tempore interdicti pro audienda concione, non autem pro diuinis officijs, Bonac. *dicta disp.* 5. *pun.* 4. *num.* 8.

Circa tertium effectum. Tempore interdicti siue localis, siue personalis cuilibet prohibetur ecclesiastica sepultura, Doctores *in Clem.* 1. *de sepulturis*. Limitatur in diebus quatuor festiuitatum, de quibus *in dicto cap. alma mater*, 24. quia his diebus non prohibetur sepultura in loco sacro, Nauar *in cap.* 27. *num.* 181. Ampliatur in Clericis, qui seruauerunt interdictum generale, & illi causam non dederunt, nam possunt sepeliri in Ecclesia cum moderatione citati *cap. alma mater*, 24. *cap. quod in te*, 20. *de pœnit. & remiss.*

Circa quartum effectum: Aduerte, quod prohibitio ingressus Ecclesiæ differt à prohibitione diuinorum officiorum; quia illa includit eam in omni loco, & semper non priuat ingressu Ecclesiæ; hæc verò prohibet diuina officia, quæ fiunt intra Ecclesiam in genere, & alia vt *in cap. is cui*, 20. *de senten. excom. in* 6.

QVA PÆNA CONTRAVENIENTES PVNIANTVR. Hinc est, quod interdictus non priuatur vsu exterioris iurisdictionis, quia non includitur inter prædictos effectus; sed si contraueniat irregularis efficitur. Talis quoque si decedat durante interdicto non sepelitur in loco sacro, nisi pænituerit, *dicto cap. his cui*, & *Clemen. 1. de sententia excommun.* Quæ irregularitas non contrahitur, nisi in casibus in iure expressis, & qui dicit aliquem esse irregularem, dare debet casum iuris, Fagn. *in cap. quæsitum, num. 14. de cohabitat. clericor. & mulierum.*

QVIBVS MODIS TOLLATVR. Demum aduerte, quod interdictum, si sit temporale, tollitur per lapsum temporis; sed si sit perpetuum, siue sit locale, siue personale relaxatur, vel per destructionem subiecti, vel per remotionem; vel per absolutionem, quando est personale particulare. Vnum nota. Interdictum aut est personale, & est latum à iure in pænam commissi delicti, & in eo dispensatur à legislatore, & non ab Episcopo, nisi proueniat ex delicto occulto, iuxta Concil. Triden. *sess. 24. cap. 6.* Vel est locale, & Episcopus illum absoluere potest ab interdicto lato à iure; quia interdictum locale iuris non est reseruatum, *cap. nuper, 29. de senten. excom.* in cæteris enim casibus potest auferri in totum ab eo qui eum tulit, vel in partem, quæ omnia diffusè explicat, Alter. *de censur. lib. 2. de interdicto, disput. 11. per tot.* & Bonacin. *de interdicto disput. 6. punt. vlt. num. 4. 5. & per tot.*

De suspensione.

Titulus XLVI.

Quæ est quotuplex sit, quæ illius requisita: enumerantur plures casus in quibus contrahitur hæc censura: qua pæna puniantur violantes suspensionem, & quibus modis tollatur.

QVÆ SIT. Licet ipsum nomen suspensio multiplicem habeat significationem, hic verò sumitur pro pæna spirituali propria Clericorum, & sic accepta definitur per effectus, *est censura ecclesiastica, qua persona ecclesiastica impeditur, ne functiones exerceat sui beneficij, vel officij, aut ordinis, in totum*

vel

vel in partem, in perpetuum , aut ad tempus , Alter. *de censuris* , *lib.2. de suspensione* , *disput.1. cap.1*. Quæ suspensio differt ab interdicto; quia suspensio solum infligitur in personis ecclesiasticas ; interdictum verò est commune Clericis , & laicis . Differt etiam ab excommunica maiori ; nam ad plus se extendit excommunica , quam interdictum ; & è conuersò ad plus se extendit suspensio , quam excommunica minor , vide Alter. *dicta disp.1 cap.2.*

QVOTVPLEX . Diuiditur in duas species vel est à iure , vel ab homine . Suspensio à iure , *est cum quis ob simoniam ipso iure arcetur ab executione sui ordinis* , *cap. miror* , 17. *quæst.* 4. & Abb. *in cap. fin. de cler. excommun.* Quæ quando est lata à canone propter crimen , celebrando non fit irregularis , nisi hoc canon exprimat , Fagn. *in cap. quæsitum, num.15. de cohabitat. cler. & mulier.* Suspensio ab homine est , *cum quis ab eadem executione remouetur cum sententia iudicis* : & iste si celebret antequam sententialiter absoluatur efficitur irregularis , Fagn. *in dicto cap. quæsitum* , *num.8. & 20.* 2. Suspensio aliquando fertur absolutè , aliquando ad tempus . Absolutè fertur fine vlla temporis præfissione , aut cum clausula in perpetuum ; & vt tollatur , indiget dispensatione , aut absolutione , alias semper est suspensus . Ad tempus , dicitur ad determinatum tempus , vt *in cap. cum in cunctis* , 7. *§. vlt. de elect.* Hæc tollitur transacto illo tempore sine alia absolutione , aut dispensatione . 3. Vna est ab officio tantum , vna à beneficio, & alia ab vtroque simul . Nomine officij , venit omnis spiritualis potestas ad aliquem actum spiritualem exercendum , siue actus sit ordinis , siue iurisdictionis , siue administrationis ; nam ordinum ministerium officium vocatur , *cap. perlectis* , 1. *distin.* 25. & Bonacin. *de suspensione* , *disput.* 3. *pun.* 1. *num.* 2. Nomine beneficij venit ius percipiendi fructus ecclesiasticos ob aliquem titulum particularem , vt per Alter. *lib.* 2. *de suspen. disp.3. & 4. cap.* 1. Suspensus ab vtroque simul dicitur , quando quis suspenditur nulla facta mentione officij , vel beneficij , tunc supponendum est ab vtroque iudicem eum suspendere voluisse; quia non assignatur maior ratio, cur ab vno, & non ab alio , *Extrauag. diuina* , 3. *vers. tam in dantes* , *de priuileg.* & *cap. cum bonæ* , 8. *de ætate* , *& qualit.*

Pari ratione , si quis sit absolutè suspensus ab officio , intelligi-

ligitur suspensus ab omni officio, non verò à beneficio; quia vna suspensio non comprehendit aliam; & Papa quando vult ab vtroque suspendere, id exprimit, *dicto cap. ad audientiam, de decimis*. Limitatur, quando suspensus ab officio est suspensus ob aliquod crimen, & est in mora petendi absolutionem, quia tunc est etiam suspensus à beneficio, Fagn. *in cap. quæsitum, num. 30. de cohabitat. cler. & mulier.* Ex qua diuisione plura inferuntur. 1. Suspensus ab ordine, non censetur suspensus à iurisdictione, vel è contra, 2. Suspensus ab actu ordinis Episcopalis, non est suspensus ab actu ordinum inferiorum, Fagn. *in cap. vel non est compos, num. 45. de tempor. ordinat.* 3. Suspensus à Diuinis, non intelligitur suspensus à prædicationis officio, nec è conuerso, Idem *in cap. responso, num. 20. de senten. excommunicat.* An, Episcopus suspensus ab ordine, exercendo illam potestatem sit irregularis, resoluitur à Fagn. *in dicto cap. vel non est compos, à n. 9. vsque ad fin. de tempor. ordinat. & in cap. 1. num. 44. de re iudic. in 6.* Vltimò diuiditur, alia est suspensio pænalis alia medicinalis. Pœnalis *fertur in pœnam, & vindictam delicti*, vt est quando quis suspenditur ob peccatum merè præteritum. Medicinalis *est illa, qua intenditur emendatio in bonũ delinquentis*; & hæc est propriè censura, Bonacin. *de suspen. disput. 3. pun. 1. num. 2.*

REQVISITA SERVANDA. Ad hoc, vt iudex procedat ad ferendam suspensionem requiritur, vt illam ferens habeat potestatem excommunicandi, quia eadem potestas sufficit ad ferendam vtramque. 2. Vt præcedat monitio, quando est prò delicto præterito, vt in excommunicatione, *cap. sacro, 48. de senten. excommunicat.* 3. Culpa propria; quatenus est censura; & etiam sufficit culpa aliena, vt est quando suspenditur communitas ob delictum cui, non omnes sunt cooperati, *cap. 2. de is quæ fiunt à maior. part. capit.* & *cap. 2. de constitut.* 4. Vt feratur propter bonum spirituale, vt est ad corrigendum peccatum Clerici, vt .s. cadat in personam ecclesiasticam; & si quis iniustè aliquem suspendat, tenetur resarcire damnum, & interesse passum, Glos. *in dicto cap. sacro, de senten. excommunicat.* & *in cap. temerarium, 11. quæst. 3.*

EX QVIBVS CAVSIS CONTRAHATVR HÆC CENSVRA. Aduerte, quod ex pluribus causis quis incurrere potest in suspensionem. 1. Qui præsumpserit accipere ordinem sacrum,

erum ante legitimam ætatem, illum exercendo fit irregularis; vnde diaconus sumens presbyteratum ante legitimam ætatem suspenditur ab exequutione presbyteratus, & non diaconatus, *Clemen. generalem*, 3. *de ætat. & qualit.* 2. Qui scienter per saltum suscepit ordines incidit in suspensionem, *cap. tuæ literæ*, 1. *de cler. per salt. promot.* 3. Suscipiens ordines extra tempora statuta suspenditur, *cap. de eo*, 3. *de temp. ordinat.* 4. Suscipiens duos ordines, scilicet maiorem, & minorem in vno die, *cap. litteras*, 13. *de tempor. ordinat.* secus est si sint duo ordines minores, quia possunt eodem die simul recipi, *dicto cap. de eo*. 5. Recipientes ordines simoniacè inuoluuntur suspensione, *Extrauag. cum detestabile*, 2. *de simon.* 6. Ligatus excommunicatione, suscipiens ordines, in suspensionem incidit, *cap. cum illorum*, 32. *de senten. excommun.* 7. Coniugatus suscipiens aliquem sacrum ordinum est suspensus. 8. Suscipientes ordines sacros sine titulo, incidunt in suspensionem, *cap. neminem*, & *cap. sanctorum*, 2. *dist.* 70. 9. Ordinatus ab excommunicato suspenditur, *cap.* 2. *de ordinat. ab episcopo, qui renunciauit.* 10. Recipiens ordines ab alieno Episcopo sine licentia sui proprij Episcopi, Trident. *sess.* 23. *de reformat. cap.* 8. Excluditur ab hac pœna recipiens primam tonsuram, attento illo principio secundum Theologos, quod prima tonsura non sit simpliciter ordo, sed præparatio ad ordines, vt distinguit Fagn. *in cap. cum contingat, num.* 38. & 39. *de ætate, & qualit.* Guid. Pap. *decis.* 449. 11. Recipiens ordines à proprio Episcopo extra diœcesim, sine licentia Episcopi loci, Triden. *sess.* 6. *de reformat. cap.* 5. 12. Conferens primam tonsuram infanti, aut illiterato, *cap. nullus*, 4. *de tempor. ordinat.* 13. Sacerdos sine causa omittens missam inchoatam, aut celebrans, & non communicans, *cap. relatum*, 10. *de consecrat. dist.* 2. 14. Assistens sacerdos sæcularis, vel regularis in matrimonio sine parochi venia, Trident. *sess.* 24. *de reformat. cap.* 1. 15. Confirmantes electionem indigni ad curam animarum, & eligentes indignos, *cap. nihil*, 44. *de elect.* 16. Episcopus promouens religiosum ad primam tonsuram absque suorum superiorem literis dimissorijs, *cap. si quis*, 2. *dist.* 58. 17. Percipientes fructus beneficiorum vacantium, *Extrauag. suscepti regiminis, ne sede vacante.* 18. Datur cõtra grauantes proprias Ecclesias debitis nõ seruatis seruandis, *c.* 2. *de solut.* 19. Submi-

mittentes bona ecclesiarum laicis, *cap. hoc consultissimò, 2. de reb. eccles. non alienan. in 6.* 20. Alienantes bona ecclesiæ non seruata forma *Extrauag. ambitiosæ de reb. eccles. non alienan.* 21. Ferens excommunicationem non seruata forma debita, *dicto cap. sacro, de senten. excom.* 22. Visitatores aliquid recipientes vltra victualia, *cap. Romana, 1. de censib. in 6.* 23. Datur contra suspectos de hæresi, & contra non corrigentes simoniacos, *Clement. 1. §. verum de hæret.* Vltimò alijs omissis, datur contra impedientes solutiones decimarum, *Clemen. religiosi, 1. de decimis,* & *Clemen. cupientes, 3. de pœnis.*

PÆNÆ LATÆ CONTRA VIOLANTES SVSPENSIONEM. Violans suspensionem, ante omnia peccat: Gesta ab eo sunt irrita, si indigeat iurisdictione, qua caret, cum sit suspensus simpliciter ab officio; secus est si idem exerceat actus ordinis, qui ad eorum valorē non indigent iurisdictione, vt requiritur, v. gr. in absolutione, Alter. *de censuris, lib. 2. de suspens. disput. 6. cap. 1. colum. 2.* Sed si sit suspensus ab officio, contrahit irregularitatem, quando exercet actum alicuius ordinis solemniter, *cap. is cui, 20. de senten. excom. in 6.* & Fagnan. *in cap. vel non est compos, num. 21. & 28. de temper. ordinat.* Quæ pæna in iure non est imposita contra transgredientem suspensionem à beneficio causa recipiendi fructus beneficij, à quo est suspensus; peccat tamen contra iustitiam, & est obligatus ad restitutionem, Alter. *dicta disp. 6. cap. 4. colum. 1. versic. si vero.*

QVIBVS MODIS TOLLATVR. Quæ suspensio duobus modis tolli potest, vel per absolutionem, vt est quando suspensio sumitur, vt censura; seu vt est quædam pæna ecclesiastica, siue lata à iure, siue ab homine. Vel per dispensationem, & hoc est semper, quod fit iuris vulneratio, v. gr. quando est temporalis, & ante quam sit elapsus terminus præfixus, tollitur.

Iterum distingue: Vel est lata à iure, vel ab homine; si lata sit à iure in puram pænam pro delicto præterito, tunc, siue sit perpetua, siue temporalis tollitur ab Authore canonis; quia inferior non potest relaxare legem superioris; & Papa intendit illam sibi reseruare, vt est *in cap. tam literis, 33. in fine de testibus* & Abb. *in cap. 2. num. 5. de solution.* Aut est lata à iure indefinitè sine vlla reseruatione, & potest relaxari per Episcopum; quia quando Papa intendit illam sibi reseruare facit mētionem, vt *in dicto cap. tam literis*, & *in cap. cum quidam, 8. cap. lite-*

literas, 13. & *cap. dilectus*, 15. *de tempor. ordinat.* Aut est lata per Concilium Prouinciale, & talis suspensus est absoluendus à Patriarcha, vel à Papa, *cap. graue*, 29. *de prebendis*. Vel est lata ab homine in puram pœnam, & tolli potest per eundem, per eius superiorem, & successorem, Abb. *in cap. tum literis*, *num.3. in fine de prebendis*, & Alter. *de censur. lib.2. de suspen. disput.8. cap.3. vers. ad hanc & per totam disputat.*

De irregularitate.
Titulus XLVII.

Vnde dicatur, quid sit, quæ genera causarum concurrant in ea, an & quando præsumatur in foro poli, vel in foro fori: & ex quibus causis contrahatur sine culpa, & cum culpa.

VNDE DICATVR, ET QVID SIT. Irregularitatis nomen est compositum ex in, & regula; mutato, N, in R. & significat priuationem, seu deuiationem, vel inhabilitatem quamdam contra regulam; sicque dicitur irregularis quasi contra regulam natus. Quæ irregularitas, & illarum pœnæ sunt de iure positiuo, ac proinde Sum. Pontif. in omnibus irregularitatibus dispensare valet, Innocen. *in cap. nisi cum pridem*, *num.* 8. & Fagn. *ibidem num.*84. *de renunciat.* quo posito, ita definiri potest *est canonicum impedimentum ex facto, vel defectu prouenniens, quo quis impeditur ad ecclesiasticos ordines promoueri, & in eisdem ministrare*, Fagn. *vbi supra*, *num.*80. Dixi, *canonicum*, loco generis; vt ostendatur inductam esse irregularitatem de iure Canonico. Vnde non incurritur, nisi in casibus in iure expressis, *cap. is qui*, 18. *de senten. excom. in 6.* quod verbum canonicū est aptum comprehendere hoc impedimentum, etiam quatenus sit iuris diuini, *vt supra in tit. de iure diuino*.

Dixi *ex facto, vel defectu*; quia causa materialis irregularitatis est factum coniunctum cum peccato, vel cum aliquo defectu animi, aut corporis, tam ipsius irregularis, quam parentum. Dixi *impeditur*; ad differentiam excommunicationis, quæ impedit vsum ordinis, quatenus est sacramentum. Dixi *ministrare*; ad differentiam suspensionis, irregularitas eā includit, & illi addit; suspensio enim importat inhabilitatem ad executionem & ordinis, vel officij, &c. Fagn. *vbi supra*, *n.* 80. & 81.

QVÆ

QVÆ GENERA CAVSARVM CONCVRRANT. Hinc eſt, quod cauſa efficiens irregularitatis ſunt ſacri canones, & inferiores Summi Pontificis non poſſe irregularitatem ferre, niſi ſit in iure expreſſa, Idem *in cap. quæſitum, num.* 14. *de cohabitat. cler. & mulier.* Cauſa materialis eſt omnis homo capax excipitur Summus Pontifex, qui eſt ordinis capax, non tamen irregularitatis, tum contrahendæ, tum conſeruandæ. Non contrahendæ, quia omnes inhabilitates ab alio Pontifice in iure poſitæ non ligant Pontificem, quoniam par in parem nullum habet imperium, *cap. innotuit,* 20. *de elect.* & *cap. denique,* 6. *diſt.* 21. Non conſeruandæ; quia eo ipſo, quod quis irregularis ad Pontificatum eligeretur, ceſſaret irregularitas. Sunt etiam incapaces irregularitatis non baptizati, *cap.* 1 & 2. *de presbyter non bapti*z. Fœmina etiam eſt incapax irregularitatis, ſicut & ordinis, S.Thom. 4. *diſt.*25. *quæſt.*2. *art.*1. Cauſa formalis ſunt verba exprimentia irregularitatem, quæ diuerſimodè proferuntur, *cap. miror*, 4. *diſtin.* 50. Et duas habere debent conditiones, nempè vt canonicum ſignificent impedimentum ipſo facto incurrendum, nulla expectata iudicis ſententia, etiam criminis declaratoria; & quod ſint ita propria, vt ſignificent tale impedimentum, prout ab aliis eſt diſtinctum. Cauſa finalis eſt ob reuerentiam ſacramentorum.

AN, ET QVANDO PRÆSVMATVR IN FORO POLI, VEL IN FORO FORI. Aduerte, quod irregularitas in foro contentioſo in dubio non eſt præſumenda, ſecus autem in foro pœnitentiali, vel quaſi, Idem *in cap. ad audientiam, num.* 3. & 4. *de homicid.* Item in dubio iuris, vt quando verba legis ſunt dubia ad inducendum irregularitatem, nullus eſt iudicandus irregularis, Idem *in cap. quæſitum, num.*14 *de cohabitat. cler. & mulier.* Contrarium militat in dubio facti, vt eſt quando quis ſcit latam eſſe legem continentem irregularitatem, & dubitat an factum prohibitum ſit ſub irregularitate; tunc in dubio facti homicidii, v.g. ille iudicandus eſt irregularis; quia in foro interno, idem iudicandum eſt, quod in foro externo; ſed in foro externo eſt irregularis in dubio facti circa homicidium, ergo, & cet. *cap. ſignificaſti de homicidio.*

Aduerte; quod duo ſunt genera irregularitatis. Primum eſt earum, quæ incurruntur ſine culpa, ſeu propter indecentiam tantum. Secundum genus, eſt earum, quæ incurruntur

cum

cum culpa, seu cum indecentia, & culpa simul.

Irregularitates, quæ comprehenduntur sub primo genere, sunt octo. Prima contrahitur ex defectu sacramenti. Secunda ex defectu perfectæ lenitatis. Tertia ex defectu corporis. Quarta ex defectu animæ. Quinta ex defectu libertatis. Sexta ex defectu natalium. Septima ex defectu ætatis. Octaua, ex defectu diuitiarum, seu ratione paupertatis.

Secundum genus similiter diuiditur in octo species. Prima contrahitur ex homicidio voluntario iniusto. Secunda ex iniusta & voluntaria mutilatione. Tertia ex homicidio aut mutilatione casuali. Quarta ex iteratione baptismi. Quinta ex censurarum violatione. Sexta ex maligna receptione, vel administratione ordinum. Septima ex delicto cui infamia annexa est. Octaua ex delicto enormi, notorio, & depositione digno. De quibus speciebus singillatim infra tractabo.

De bigamia.

Quæ, & quotuplex sit, qualiter contrahatur, quam efficaciam habeat, & à quo tollatur.

QVÆ SIT. Et assignatur ratio propter quam sit irregularis. Iuxta allusionem vocabuli, Bigamus dicitur, id est, duarum vxorum maritus; sicut Monogamus, qui habuit vnam tantum, *cap. vnius, 1. distin. 26.* igitur bigamia significat duplicatum matrimonium, & non habet perfectam sacramenti matrimonij significationem, quia sacramentum matrimonij significat spirituale matrimonium, seu coniunctionem Christi cum Ecclesia, quæ vnica est; cum sit vnius viri cum vna sponsa; consequenter ista spiritualis coniunctio, non ritè repræsentatur per matrimonium vnius cũ pluribus fœminis, vel è contra, Fagn. *in cap. nuper, num. 13. de bigamis*, ob id bigamus sit Irregularis, *cap. debitum, 5. de bigamis*. Tum quia bigamia denotat signum incontinentiæ, propter quod maxime repugnat puritati spirituali, *cap proposuisti, 2. dist. 82.*

QVOTVPLEX, QVALITER, ET QVAM EFFICACIAM HABEAT. Diuiditur in tres species in veram, interpretatiuam, & similitudinariam. Bigamia vera est, cum quis diuersis tempori-

poribus successiuè habuit, & cognouit duas legitimas vxores, etiam prius non corruptas, quamuis vtramque vel alteram habuerit ante baptismum. *cap. acutius*, 2. & *cap. deinde*, 3. *dist.* 26. quæ species veræ bigamiæ contrahitur etiam ex matrimonio validè contracto, & consummato cum vidua, Fagn. *in cap. nuper à nobis*, *num.* 12. *de bigamis*.

Aduerte. Ad contrahendam veram bigamiam, requiritur quod vtrumque matrimonium sit consummatum, *dicto cap. debitum*; & vt dicatur consummatum, requiritur vtriusque seminatio, quia hoc modo tantum efficiuntur vna caro, P. Diana, *par.* 4. *tract.* 2. *resolut.* 43. vnde non est bigamus, qui cum duplici contraxit, sed solum cum prima consummauit. Ratio, propter quam maior castitas requiritur in vxore, quam in viro est; quia vir signat Christum; qui primo copulauit sibi synagogam, & postea copulauit sibi Ecclesiam de gentibus, scilicet militantem, in qua sunt boni, & mali, & ideo non nocet, si vir non fuerit virgo. Vxor vero signat Ecclesiam triumphãtem, in qua non est macula, quæ semper virgo permansit, Glos. *in cap. debitum*, 5. *verb. cognitam*, *de bigamis*.

Aduerte 2. quod bigamus ex vera bigamia efficitur irregularis ad ordines, & beneficia; ita vt nullus bigamus consequi potest beneficia ecclesiastica, alias collatio facta inualida erit, August. Barbos. *de offic. & potest. episcopi par.* 2. *alleg.* 49. *num.* 16. & Concil. Trid. *sess.* 23. *de reform. cap.* 17. Nec non contrahens veram bigamiam priuatur fori priuilegio, & remanet addictus coercitioni fori sęcularis, si sit constitutus in minoribus, secus est in clericos insignitos sacris ordinibus, quia propter characterem ordinis sacri nequit ad sæculum redire; ideoque non priuatur priuilegio fori, sed quia facto contrahit matrimonium cum vidua, censetur bigamus quo ad inhabilitatem ordinum, Fagn. *in cap. nuper à nobis*, *n.* 39. *eodem*.

In qua specie bigamiæ realis, si Papa velit, potest dispensare ad omnes ordines, etiam diaconatum, & presbyteratũ, cum omnis irregularitas sit de iure humano, Idẽ *in cap. super eo*, *n.* 11. *eodem*, vnde textus *in cap. super eo*, 2. cum sequenti *de bigamis* non ligant Pontificem, sed illo inferiores. Hac de causa, non posse Episcopum dispensare cum bigamis, vt sacros ordines recipiant, nec vt in susceptis ministrent, ex proximè citatis capitulis; nec minus potest eis ritè primam tonsuram con-

conferre; quia quamuis recipiat characterem, non tamen recipit executionem; ideoque nequit Episcopus dispensare cum bigamis, vt recipiant ordines minores, & beneficia simplicia, Idem *in dicto cap. super eo, n.42.* Triden. *dicto cap.17.* & Barbos. *de potest. episcopi, par.2. allegat.33. n.25.* Facultas quam Episcopis tribuit Concil. Trid. *sess. 24. cap.6.* verificatur in irregularitate, quæ est ex delicto, vt *in sequenti* §. Respectu ordinâtis, bigamū non reperitur aliqua pœna ipso iure imposita, sed solū imponenda, à qua ex multis causis excusari potest, Fagn. *in dicto cap. super eo, n.44. & 45.*

Bigamia interpretatiua est illius, qui fingitur, seù interpretatur duas vxores habuisse, veluti cum contrahit cum vnica, & vidua prius cognita, vel cum corrupta ab alio, & eam cognoscit, Idem *in dicto cap. nuper à nobis, n.5. de bigamis.*

Quæ quatuor modis cōtrahitur. Primò: Quādo quis duo cōtraxit matrimonia, & consummauit, sed vnum validum alterum inualidum. Si quis mortua prima vxore promoueatur ad sacros ordines, & postea aliam duxerit vxorem, & consummarunt, hic est casus textus *cap. nuper, 4. eodem*, in quo casu Episcopus dispensare potest, vt retineat beneficia iam habita, ne mendicare cogatur, nequit tamen dispensare, vt in ordine ministrer, neque vt noua beneficia recipiat, Abb. Io. Andr. & Butr. *in cap. fin. de bigamis*, & *decis. 5. par.2. recent.* Irregularitas, quæ sine culpa contrahitur, neque per ignorantiam, neq; per bonam fidem quis excusatur, vt omnes tradunt. Secundò: Quando quis duo contrahit matrimonia, & vtrumque consummat; de quo casu antiqui Canonistæ nullam mentionem fecerunt expresſè, & quia nulla irregularitas contrahitur, nisi sit expressa in iure *dicto cap. is qui, de senten. excom. in 6.* crederem non recedendum esse à communi opinione. Tertiò: Quando quis contraxit cum corrupta, siue licitè per copulam coniugalem, vt est cum vidua; siue illicitè per copulam fornicariam. Vidua enim dicitur cuius maritus est mortuus. Meretrix, quæ multorum libidini patet, *cap. vidua, 13. dist.34.* De viduarum maritis habetur *in cap. de bigamis, 3. eod.* De illicitè corrupta tractatur *in cap. si quis viduam. 12. dist. 34.* Qui bona fide contraxit cum corrupta, putans esse virginem, fit bigamus, quia irregularitas non est pœna inflicta, sed defectus quidam sacramenti. Si quis ducat vxorem à se

primo corruptam, non dicitur bigamus, nec minus si contrahat cum desponsata cum alio, sed non deflorata, Doctores *in dicto cap.debitum*. Quartò contrahitur, quando quis habuit rem cum vxore sua vnica, & virgine post quam adulterium commisit, *cap.si cuius*, 8. *dist.*34.

Bigamia similitudinaria dicitur, cum quis solemni voto adstrictus, vel sacro ordine initiatus cum aliqua, etiam virgine contrahit, & consummat, Fagnan. *in cap. nuper*, *num.* 6. *de bigam. cap. quotquot*, 27. *quaest.* 1. *& cap. fin. de bigam.* Quae solum locum habet in Clerico in sacris constituto, non autem in minoribus, vel in laico, vt per Garz. *de beneficijs*, *par.* 7. *cap.* 6. *num.* 15. In hac specie bigamiae Episcopus dispensare potest, *cap. ex literarum*, 2. *qui cler. vel vouen.* Si clericus habeat rem illicitè cum pluribus faeminis, non dicitur irregularis, quia non est expressum in iure.

Aduerte, quod Episcopus non potest dispensare in bigamia interpretatiua ad suscipiendos ordines sacros, vel ad vsum susceptorum, neque ad minores, vel ad primam tonsuram, vel ad beneficium etiam simplex, vt colligitur ex Trident.*sess.* 23. *cap.* 17. & Martin. Bonacin. *de irregularitate, disput.* 7. *quaest.* 2. *pun.* 15. Limitatur, quando in vno ex praedictis quatuor casibus oritur ex delicto occulto illa irregularitas; quia tunc Episcopus virtute Concil. Trid. *sess.* 24. *cap.* 6. *de reform.* absoluere potest ab omni irregularitate orta ex delicto, non deducto ad forum contentiosum, excepto homicidio voluntario.

Vnum nota, quod bigamiam contrahens, ex eo quia reddidit debitum vxori adulterae, non perdit clericale priuilegium; nec minus ille, qui plura matrimonia contraxit de facto perdit dictum priuilegium, Fagnan. *in cap. super eo, num.* 26. *&* 27. *de bigam.*

De

De defectu lenitatis.

Assignatur ratio cur clerici non debent se immiscere in sententia sanguinis; enumerantur personæ, quæ hanc irregularitatem contrahere valent, & quando; & assignantur modi quibus hæc irregularitas tollatur.

RATIO PROHIBITIONIS. Quia omnes ordines referuntur ad faciendam euchariſtiam, in qua paſſio Chriſti repræſentatur, qui proprium ſanguinem, & non alienum pro ſalute noſtra effudit, conueniens fuit, quod miniſtri altaris, qui Chriſtum repræſentant nullius ſanguinem fundant. Ideoque irregularitas ex defectu lenitatis contrahitur ex homicidio iuſto publica auctoritate commiſſo, vt eſt cum quis occiditur ſeruatis ſeruandis per viam iudiciariam, vel in bello iuſto, *cap. aliquantos, 1. diſt. 51.*

PERSONÆ. Hinc eſt, quod, irregulares efficiuntur teſtes, iudices, officiales, aſſeſſores, aduocati, medici, & chirurgi conſilium, vel auxilium, aut cauſam præbentes ad mortes, vel membri mutilationem remiſſiuè, Fagn. *in cap. ſententiam, num. 3. de cler. vel monach.* nec non omnes illi, qui dant cauſam propinquam deformandi, vt ſunt fabricantes furcas ad ſuſpendendum in caſu particulari, vel aliud inſtrumentum, vt ſi tradant ligna, quibus hæreticus viuus comburitur, ſecus ſi illis cõburatur poſt ſuffocationem, Idem *in cap. ad audientiam, n. 52. de homic d.*

Ab incurſu huius irregularitatis excluditur iudex eccleſiaſticus, qui tradit reum brachio ſæculari à quo occiditur, dummodò intercedat, vt miſericorditer tractetur, *cap. nouimus 27. de verb. ſignif.* & ab hac proteſtatione eximuntur inquiſitores, quia poſſunt ex priuilegio hæreticos tradere brachio ſæculari ſine ea.

QVOMODO. Secundò contrahitur irregularitas ex defectu lenitatis ex homicidio commiſſo in bello iuſto, *in cap. petitio tua, 24. de homicid. volunt.* quam irregularitatem contrahunt illi ſolum, qui occidunt, aut mutilant, ad differentiam belli iniuſti, quoniam omnes militantes efficiũtur irregulares.

A'QVO

A' QVO, ET QVANDO TOLLATVR. Proculdubio Papa hanc irregularitatem tollere potest; & quia expresse non reseruatur; videtur Episcopis concessa facultas illam tollendi ex regula illa, *concessum videtur, quod expressè probibitum non reperitur, l. nec non, 28, §. quod eius, ff. ex quibus caus. mai.* Præsertim locum habet respectu Prælatorum Regularium, qui absoluere possunt suos subditos ab omni irregularitate, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, membri mulilatione, & bigamia reali.

De defectu corporis.

Quæ sit, quibus modis contrahatur, quam vim habeat, à quo, quando, & quomodo tolli possit.

EX DEFECTV SEXVS. Corpore vitiati excluduntur ab ordinibus, ac proinde dicuntur irregulares, *cap. illiteratos, 1. dist. 36. & cap. hinc etenim, 1 dist. 49.* Quæ irregularitas ex triplici capite oriri potest, id est, ex defectu sexus virilis; vt est hermaphroditus: ex defectu membrorum, vt est, qui caret oculo, manu, &c. & ex defectu salutis corporalis, vti est lepra, vel alius morbus incurabilis.

Dicitur hermaphroditus, quando est particeps masculini, & fœminei sexus, *cap. si testes, 4. quæst. 2.* & repellitur à statu religioso cum hac distinctione: Si in eo præualeat sexus virilis, est nulla professio in monasterio monialium; si præualeat sexus fœmineus est nulla professio in monasterio virorum, quia hermaphroditus iudicatur vir, aut fæmina, iuxta sexum præualentem. Si vero in vtroque sexu æqualis sit, recipi potest à monasterio virorum, & mulierum, sed congruũ non est, qui defectus, nisi notorius sit, irregularitatẽ nõ causat. In hermaphroditũ, in quo magis viget sexus virilis multi tenent quod requiratur dispẽsatio Sum. Pontif. vt promoueatur ad ordines. Si vero magis præualeat sexus fæmineus, aut vterq; sexus ęqualis fit, tunc quia reputatur magis fæmina est incapax ordinis, Martin. Bonacin. *de irregularitate, disp. 7. q. 2. pun. 2. n. 12. & 13.* sed aduerte, quod mulier, quæ erupit in virum ordinari potest; nam facta illa mostruosa mutatione, ille est simpliciter, & absolutè vir.

Eunuc-

Eunucchi nati sine testiculis, si res notoria sit ad ordines promoueri non possunt, si autem occulta, & aliundè nulla appareat deformitas admitti possunt.

EX DEFECTV MEMBRI. Secundo casu: Ex defectu membrorum pluribus modis irregularitas causatur. Membrum enim hic sumitur, prout habet distinctum officium, vt manus; & ille defectus inducit irregularitatem, qui impedit vsum, & exercitium ordinis, vel notabilem gignit deformitatem, aut horrorem, quale vitium est nasi amputatio &c. vt colligitur *ex cap.2. de cler. ægrotan.* & *cap. fin. de corpor. vitiat.*

Hinc est: Carens pudendis sua culpa, fit irregularis; secus autem absque culpa; modo illa priuatio non sit coniuncta cum notabili deformitate; & qui sibi virilia amputauit, vel permisit amputari absque iusta causa, irregularis est, *cap. si quis absciderit, 4. dist. 55.* & pluribus alijs modis fit irregularis, nempè si quis careat manu, vel pollice, aut indice, quibus hostia eleuatur, *cap. 1. de corpor. vitiat.* etiam fit irregularis habens manus tremulas, itaut immineat periculum subuersionis sanguinis, Barbos. *de potest. episcopi, par. 2. alleg. at. 42. n. 17.* Qui vno oculo caret, *cap. si euangelica, 13. dist. 54.* non est tamen irregularis, qui vtrumque oculum habet integrum, & sine magna deformitate caret visu dextri, *cap. cum de sua, 2. de corpor. vitiat.* Est irregularis, qui defectum patitur in lingua, vt verba integra exprimere nequeat. Item gibbosus cum deformitate; & illi qui sunt nimis magnæ, vel paruæ staturæ.

EX DEFECTV CORPORALIS SALVTIS. Laborantes alijs corporis infirmitatibus, vt est continuus capitis dolor. Laborantes morbo caduco, possessus à Demone, & omnes illi qui habent notabilem deformitatem efficiuntur irregulares.

A' QVO. Aduerte, quod in irregularitate ista proueniente ex vitio corporis nequit Episcopus dispensare, nisi de mandato Pontificis, *cap. significauit, 4. de corpor. vitiat.* alij autem tenent, posse Episcopum, & Prælatum regularem dispensare cū subditis vt in casu præcitati textus, Glos *in dicto cap. significauit, verbo nostra.*

De

De defectu animæ.

Quæ sit, quomodo contrahatur, quam vim habeat, à quo, & quando tollatur.

EX DEFECTV SCIENTIÆ. Ad defectum animæ pertinet defectus scientiæ, qui irregularitatem inducit, *cap. illiteratos*, 1. *dist.* 36. quænam scientia requiratur ad vnumquemque ordinem, decernitur in Trident. *sess.* 23. *cap.* 4. *cap.* 11. *cap.* 13. & *c.* 14. Imò illiterati, etiam dociles, & ex causa necessitatis promoueri non debent ad sacros ordines, Fagn. *in c. cũ in cunctis, n.* 151. *de elect.* sed iam promotis aliquando conferri possunt parochiales, *ibidem, num.* 152. An, & quando repellantur à promotione, vide Fagn. *in cap. graue, n.* 6. *de praben.*

NEOPHITI. Secundò ad defectum animæ pertinent neophiti, & dicuntur illi, qui à reprobata Religione conuertuntur de recenti, & christianæ militiæ assumunt nomen, *c. quoniam* 1. & *cap. sicut*, 2. *dist.* 48. quod impedimentum cessat, si nouiter conuersus sit bene instructus in fide, & in ea laudabiliter vixit; quia tunc non est dicendus neophytus; & non solum fieri potest presbyter, uerum etiam Episcopus, *cap. neophytus*, 8. *dist.* 61.

PÆNITENTES PVBLICI. Vltimò, ad defectum animæ pertinet publica pœnitentia, quæ olim pro quibusdam enormibus criminibus imponebatur, *cap. infames*, 6. *quæst.* 1. & *cap. pænitentes*, 3. *dist.* 55. sed hæc amplius non est in vsu.

De defectu libertatis.

Quæ sit, quibus modis contrahatur, à quo, & quomodo tolli possit.

EX DEFECTV SERVIRTVTIS. Libertatis defectus triplex est 1. Quando homo est propriè seruus; vt sunt illi, qui ex matre ancilla nascuntur 2. Quando quis est obligatus ad ratiocinia. 3. Quando quis est obligatus vinculo matrimonij. Quia seruitus non leuiter dignitatem clericalem obscurat,

rat, *cap. admittuntur, 15. dist.* 54. ideoq; serui propriè dicti sunt irregulares, *cap. 1. dist.* 54. quæ irregularitas cessat, cessante seruitute, sine noua dispensatione, *cap. instruendi, 1. de seruis non ordinan.* Et si ordinetur sciente, & non contradicente domino, euadit liber, quia præsumitur libertatem donare, *Authen. si seruus, 34. C. de episcopis, & cler.* & si de licentia domini Religionem ingrediatur, & postea deserat religiosam vitam, in domini redeat potestatem, *l. seruis si dominorum, 35. C. de episcopis, & cler.* Verùm si sine licentia domini ordinetur, debet deponi, & domino restitui, *cap. de seruorum, 2. de seru. non ordinan.* Episcopus qui seruum sine consensu domini scienter ordinauit peccat mortaliter, & tenetur satisfacere patrono, restituendo illi duplicatum pretium, *cap. si seruus absente domino, 17. dist.* 54.

EX CAVSA ADMINISTRATIONIS. Secundò. Obligati ad ratiocinia ordinari non possunt, nisi deposito onere, & reddita ratione, *cap. magnus, 1. de obligat. ad ratiocin.* Et hi dicuntur, qui obligati sunt ad reddendam rationem administrationis publicæ, vt sunt thesaurarij, aut depositarij æris publici; & etiã ratione priuatæ administrationis, vt sunt tutores, curatores, procuratores &c. qui non debent ad ordines admitti, nisi finito officio, *cap. 1. & 2. ne cler. vel monachi.*

Nota, quod qui tenetur ad ratiocinia ratione administrationis erga personam priuatam, ante redditam rationem ordinari potest, nisi de dolo in administratione perpetrato; lis aliqua mota esset, vel in procinctu esset, vt moueretur; tunc enim ante litis exitum promoueri non posset; & si de facto promoueretur esset depositione dignus, Glos. *in cap. tantis Daniel. ver. obrepsit, dist.* . Tolet. *lib. 1. cap. 66. num. 2.* Insuper, qui tenentur ad ratiocinia vt supra, non possunt ingredi religionem, nisi reddita ratione, aut præstita cautione de soluendo quidquid fuerit iudicatum. Illi verò, qui administrationem gerunt personæ ecclesiasticæ, vel personarum miserabilium, vt viduarum, pupillorum, & causarum piarum &c. non subiacent huic impedimento, *cap. peruenit, 26. dist.* 86.

EX CAVSA CVRIALITATIS. Tertiò. Excluduntur ab ordinibus, & clericatu curiales, *cap. aliquantos, 1. dist.* 51. Curiales enim dicuntur, qui inseruiunt ex obligatione curijs Principum sæcularium, vt sunt Iudices, aduocati, milites, &

& alij qui repelluntur ab ordinibus suscipiendis, quamdiu nõ fuerint soluti ab illa obligatione; ratio quare repelluntur à clericatu, habetur *in cap. praeterea, dist. 51* sed qui inseruiunt curiae Episcopali, non arcentur ab ordinibus, Bonacin. *de irregularit. disput. 7. quaest. 2. pun. 4. n. 5.*

Vltimò, coniugatorum exclusio à clericatu habetur *in cap. coniugatus, 5. cap. sana, 6.* & *cap. vxoratus, 48. de conuers. coniugat.*

De defectu natalium.

Quae sit, cur est inducta, & à quo tollatur. Illegitimi qui sint, quibus modis legitimentur, à quo, quae differentia, an & quando ad ordines, beneficia vel dignitates promoueri possint. Et filij haereticorum quae de causa sunt irregulares.

QVAE SIT, ET CVR EST INDVCTA. Ecclesia induxit hanc irregularitem ex defectu natalium in detestationem paterni sceleris; tum etiam ob quamdam infamiam, quam contrahit filius; ac quia timeri potest, ne filius sit paterni criminis imitator; ideoque nati ex fornicatione, siue ex adulterio, siue ex stupro, siue ex sacrilegio, siue ab alio illicito concubitu sunt irregulares, *cap. 1. de fil. presbyt. cap. 1. eod. in 6. cap. cum in cunctis, 7. de elect.* & Fagn. *in cap. ad extirpandas, num. 24. de fil. presbyt.* Aduerte, quod Episcopus dispensare potest cum illis, quo ad ordines minores, & beneficia non habentia animarum curam.

ILLEGITIMI QVI SINT, ET A QVO TOLLATVR HOC VITIVM. Dicitur illegitimus, qui natus est ex matrimonio inualido ob occultum impedimentum; intellige si vterque parens illud sciret; quia tunc deficit bona fides; quae ex parte vnius solum contrahentium sufficeret ad excludendum hoc illegitimitatis vitiũ, *cap. per venis, 11. & cap. ex tenore, 14. qui fil. sint legit.* & etiã capitulum sede vacante dispensare potest, sicut Episcopus, August. Barbos. *de off. & potest. episcopi, par. 2. allegat. 45. num. 25.* Dispensatus ad ordines censetur dispensatus ad pensiones, & beneficia simplicia, Fagn. *dicto cap. ad extirpandas, num. 27.* Hinc est, quod illegitimus absque dispen-

pensatione Papæ ad dignitatem, beneficium curatum, & sacros ordines promoueri non potest, Idem *in cap. nimis, num. 1. de fil. presbyter.* & si ignoranter promoueatur, excusatur ab incursu irregularitatis, dummodo ignorantia sit probabilis, Idem *in cap. vt filij, num. 7. vbi supra.*

QVIBVS MODIS LEGITIMENTVR. Aduerte secundò, quod illegitimus per ingressum Religionis, non habilitatur ad prælaturam, nec in monasterijs sui, vel alterius ordinis, nec in Ecclesia sæculari, Fagn. *ibid. num. 9.* Ideoque professio facta ab illegitimo in aliquo ordine Regularium tollit irregularitatem ex defectu natalium tantum ad ordines suscipiendos, & exercendos, *ibidem, num. 13. & 14.* Quæ professio si deinde nulla declaretur, reuiuiscit irregularitas, Riccius *in prax. aur. resol. 311.* Hodie Capitulum Generale cum illegitimis dispensare valet, vt ad dignitates, & prælaturas promoueantur auctoritate constitutionis Gregor. XIV. quam refert Tamburin. *de iure abb. tom. 1. disput. 9. quæst. 14. n. 8.* secus est, quando legitimatur per subsequens matrimonium, dummodo parentes tempore conceptionis, vel natiuitatis habiles essent ad contrahendum matrimonium, nec haberent aliquod impedimentum dirimens; quoniam sequens matrimonium purgat omnia præcedentia, & habilitatur ad ordines, & dignitates, excepto Cardinalatu, *cap. tanta, 6. qui filij sint legitimi.*

Aduerte, quod si quis legitimetur per rescriptum Principis sæcularis; quia hæc legitimatio est ciuilis, tollit effectus ciuiles, quos induxit ipsa lex; & non tollit irregularitatem; secus est si efficiatur à Papa, quia tollit omnia canonica impedimenta, etiam ciuilia, quo ad illos, qui sibi etiam in temporalibus subduntur, *cap. per venerabilem, 13. qui fil. sint legit.*

FILII HÆRETICORVM QVA PÆNA PVNIANTVR. Aduerte vltimò, quod filij hæreticorum (vt est quando constat de hoc crimine per sententiam, vel per confessionem ipsorum factam in iudicio, aut euidentia facti) etiam quod sint legitimi, sunt irregulares, non ex defectu natalium, sed ratione infamiæ, quæ à parentibus ad ipsos descendit, & extenditur vsque ad secundum gradum per lineam paternam; & per maternam ad primum tantum, *cap. quicumque, 2. §. hæretici, de*

Digitized by Google

haeret. in 6. & cap. 2. eod. tit. Quod crimen non nocet descendentibus, quando ascendentes fuerunt Ecclesiæ incorporati, vt est in sponte confesso ante denunciationem, promissa sibi venia, Fagn. *in cap. ad abolendam, num. 19. de haereticis*. Nam filius hæretici pœnitentis ad fidem redeuntis, non priuatur beneficijs, nec ad alia obtinenda inhabilis redditur.

De defectu ætatis.

Quæ sit, quibus modis contrahatur, qua pæna puniatur, & quibus modis tollatur.

QVÆ SIT, ET QVANDO CONTRAHATVR. Defectus ætatis facit irregularitatem, Glos. *in Clemen. generalem, de ætat. & qualit.* Vnde ordinati in sacris ante legitimam ætatem contra dispositionem Concil. Trid. *sess. 25. de reformat. cap. 12.* vel extra tempora, suspenduntur vsque ad legitimam ætatem superuenientem, *cap. fin. de tempor. ordinat.* & *cap. 1. dist. 50.* In quam suspensionem non incidunt ipso iure, sed facta declaratione; itaut ante declarationem, non solum recipiunt ordinem, quo ad characterem, verùm etiam quo ad executionem, Glos. *penul. in Clemen. fin. de ætat. & qualit.* & Fagn. *in cap. vel non est compos, num. 10. de tempor. ordinat.* atque non est necesse, quod ætas ad sacros ordines requisita sit completa; quia sufficit, esse annum inchoatum, vbi iuris dispositio est fauorabilis; & vbi est odiosa, requiritur completa ætas, *l. anniculus, 134. ff. de verbor. signif.* & si ille Clericus violaret suspensionem, efficitur irregularis, Bonacin. *de irregular. disput. 7. quæst. 2. pun. 4. num. 1.*

QVA PÆNA. Aduerte, quod ordinans Clericum ante legitimam ætatem, quamuis non sit ipso iure suspensus, esset tamen suspendendus à collatione ordinum. Suspensus ab actu ordinis Episcopalis, non est suspensus à celebratione missæ, qui est actus ordinis inferioris, id est, presbyteralis, Fagn. *in dicto cap. vel non est compos, num. 4. & 45. de tempor. ordinat.*

A' QVO TOLLATVR. Quæ irregularitas ex defectu ætatis tollitur per dispensationem Summi Pontificis; vel per lapsum tem-

temporis, adueniente iusta ætate, quia tunc cessat impedimentum, & liberè quis ad ordines promoueri potest, *Clemen. fin. de ætat. & qualit.*

De impedimento paupertatis.

Quæ sit, quam vim habeat, à quo, & quando tolli possit.

QVÆ SIT, ET CVR EST INDVCTA. Pauperes, qui ab ordinibus sacris excluduntur, sunt illi, quibus desunt necessaria ad viuendum, secundum decentiam status Clericalis, non mendicando, neque sordidum quæstum exercendo: qua propter renouatur hæc irregularitas ex Tridentin. *sess.* 21. *cap.* 2. *de reformat.* vnde Clericus sæcularis, quamuis sit idoneus moribus, scientia, & ætate, nisi habeat beneficium ecclesiasticum, vel patrimonium vt honestè viuere possit, non promouetur ad ordines. Quæ irregularitas est ex defectu, & non ex delicto. Quocirca paupertas est naturalis, & nec nobilem, nec ignobilem facit.

QVOMODO TOLLATVR. Aduerte, quod quantitas valoris patrimonij non est à iure taxata, sed relinquitur Ordinarij arbitrio propter locorum diuersitatem; vnde Pontifex, & Episcopus tenetur prouidere Clerico, qui sine culpa incidit in paupertatem. Conferre beneficium ecclesiasticum Clerico pauperi, potius est actus iustitiæ, quam gratiæ, cum illi de iure debitum sit, *cap. si pauper*, 36. *de præben. & dignit. in* 6. & Gonzal. *ad regul.* 8. *cancell. Glos.* 2. *num.* 2. & 7. & hæc de irregularitate proueniente ex indecentia sine culpa ad laudem Dei, Beatissimæ Virginis, & Beatæ Rosæ.

De homicidio voluntario.

Quæ sit, quæ illius requisita, an & quando comprehendat mandantes, & cooperantes, à quo, & qualiter tollatur.

QVÆ SIT. Hominis occisio duplex est iniusta scilicet, & iusta. Iniusta, potest dici voluntaria directè, & indirectè.

ctè. Quando occisio est directè iniustè volita, retinet nomen homicidij voluntarij. Quando autem directè volita non est, dicitur homicidium casuale. Sicque homo quadrupliciter occidi potest voluntariè, casualiter, punitiuè, & defensiuè. Vt ergo dicatur voluntarium homicidium requiritur, quod sit directè cum intentione occidendi, vel saltē lethaliter vulnerandi commissum, *cap. sicut, 6. §. illi autem de homicid. volunt. vel casual. & l.1. ff. de sicar.* Respectu mandantis, seu consulentis, tunc dicitur voluntarium, quando intenditur à mandante, vel consulente; aut quando mandans mandauit aliquid, ex quo facile sequi potest mors alterius, Bonacin. *de irregularit. disput.7. quæst.4. pun.8. num.2. vers. hinc.*

QVÆ ILLIVS REQVISITA. Ad quam irregularitatem incurrendam requiritur. 1. Vt occidens sit baptizatus, *cap. si quis post acceptum baptismum, 4. distin.51. cap. si quis viduam, 8. distin. 50.* 2. Vt sit doli capax, nam actus inducens irregularitatem est actus humanus, & non esset actus humanus, si fieret ab eo, qui non esset doli capax, *Clemen. si furiosus, de homicid.* 3. Vt sit secutus effectus; vnde si lethaliter vulneratus miraculosè viuat, irregularitas non contrahitur, quia in pœnalibus verba cum effectu sunt intelligenda, *cap. qualiter, 3. de pactis, cap. relatum, 4. de cler. non resident.* & D. Thom. *in 2. quæst.20. art.5. ad 4. & 2.2. quæst.64. art.7. ad 3. & art.8. ad 2.* non tamen requiritur, quod occisus sit baptizatus, quia etiam qui occiderit paganum est irregularis, *cap.4. dist.50.*

AN, ET QVANDO DETVR ADVERSVS MANDANTES, CONSVLENTES, ET AVXILIANTES. Aduerte, quod non solum occisor contrahit hanc irregularitatem, verum etiam mandans; etiam si reuocauerit mandatum inscio mandatario; nam tunc mandatarius committit homicidium, vt instrumentum mandantis, secus est si sciuerat mandati reuocationem, *cap. si quis viduam, 8. distin. 50.* & Bonacin. *de irregularitate, disp.7. quæst.4. pun. 8. num. 13.* & si mandatarius excessit fines mandati, tunc mandans, v. g. aliquem verberare, & non occidere, & ille occidit, quo ad excessum non tenetur, *l.3. ff. mandati.*

Consulens homicidium fit irregularis irregularitate homicidij voluntarij, *dicto cap. si quis viduam, cap. Henricus, 2. de cler. pugnan. in duel.* Ampliatur, etiam si præbeat indirectè illud

lud consilium, vt si dicat amicus amico, quid fecisti? quid dicetur de tè? Bonacin. *dicto pun.* 8. *num.* 16. & si consulens dubitet homicidium commissum esse virtute sui consilij, interroget consultum, an motus fuerit ad committendum homicidium virtute sui consilij, & si dicat, quod sic, absque dubio est irregularis; secus est, si dicat, quod non.

Si quis deferat marito vxoris adulterium, ratione cuius maritus occidit adulterum, est irregularis; idem militat in disseminantibus discordias, ex quibus sequuntur homicidia. Quæstio illa, an & quando associans euntem ad aliquem interficiendum sit irregularis, resoluitur per Fagn. *in cap. ad audientiam, num.* 29. *de homicid.* Pari ratione auxiliantes, aut cooperantes ad homicidium sunt irregulares, sequuta morte, vel mutilatiane; quia efficaciter influunt in homicidium. Idem est in eo, qui voluntariè non impedit homicidium, quod tenetur ex iustitia impedire, Bonacin. *dicto pun.* 8. *num.* 28. *&* 37. & Fagn. *in cap. suscepimus, num.* 20. *de homicid.* contrarium est in eo, qui casu interfuit homicidio absque participatione, licet ex eius præsentia aliquod robur accreuerit, Idem *in cap. ad audientiam, num.* 30. *de homicid.* Ex verbis (dà al traditore) sequuto homicidio, non inducitur mandatum ad homicidium, quia in delictis, ea sumitur interpretatio, quæ mitior est. Fallit, si verba sint prolata versus habentem ensem, Eruditissimus Chartar. *decis.* 29. *num.* 14. *&* 16. *vbi supra.*

A QVO TOLLATVR. Aduerte vltimò; quod Summus Pontifex dispensare potest in omni irregularitate iure humano introducta; sed in homicidio voluntario de difficili dispensare solet, præsertim ad recipiendos ordines, Idem *in dicto cap. Henricus, num.* 41. etiam si sit occultum Episcopus dispensare nequit, *ibidem*, *num.* 22.

De mutilatione voluntaria.

Quæ sit, quando contrahatur, à quibus, qualiter, & à quo tolli possit.

QVÆ SIT. Quia mutilatio membri censetur quoddam partiale homicidium, cum enim anima omnia membra vi-

viuificet,& in quocumque membro sit sua pars vitæ;qui membrum mutilat, vitæ partem tollit, ideo ex illicita mutilatione voluntaria oritur impedimentum irregularitatis, *cap.1. de cler. pugnan. in duel. & Clemen. si furiosus, vn. de homicid.*

Aduerte, quod appellatione membri, venit illud, per quod corpus ex proprio membri officio mouetur, vt est manus, lingua, & pes; non autem digitus, dentes, vel capilli, Iul. Clar. *in prax. crim. §. fin. quæst. 69. num. 3. & 16.* hac de causa statutum puniens abscindentem, vel mutilantem, non habet locum in eo, qui digitum abscindit.

QVANDO CONTRAHATVR. Hinc est quod, qui sibi membrum mutilat, etiam recta intentione, vt melius castitatem seruet, fit irregularis, *cap. si quis, 4. dist. 55.* secus est, quando quis castratus fuit, vel propter infirmitatem, aut vi, vel per hominum insidias, *cap. si quis à medicis, 7. & cap. Eunucchus, 8. cum sequentib. dist. 55.*

Item Medicus, vel Chirurgus incurrunt irregularitatem ex mutilatione, si eius imperitia, aut negligentia sequatur mors seu mutilatio: nam vt Chirurgus non teneatur de mutilatione, seu morte infirmi, tria requiruntur nempè: Vt sit peritus in illa arte, & professione: Vt omnem adhibeat diligentiam, iuxta artis præcepta: Et vt admoneat infirmum, vt ab ijs præcaueat, quæ sibi possunt nocumento esse futura, Sayr. *lib. 7. cap. 6. num. 8.*

Aduerte, quod hæc irregularitas non contrahitur ab eo, qui mutilat cadauer, quia est lata contra mutilantes homines; nec minus extenditur ad consulentem mutilantem; quoniam nullus datur textus, qui loquatur de consulente mutilationem, sed omnes loquuntur de ipso mutilante. Idem die de consentiente, verùm pro negatiua referuntur plures DD. à Diana, *par. 4. tract. 2. resolut. 18.*

A' QVO TOLLATVR. Aduerte vltimo, quod in hac irregularitate solus Papa dispensare potest, nisi sit occulta; quia tunc Episcopus authoritate Trident. *sess. 24. cap. 6.* dispensat; nam ibi excipitur solum illa irregularitas, quæ oritur ex delicto occulto, id est, ex homicidio voluntario, quæ reseruatur Pontifici; & eadem facultas Episcoporū extenditur ad Prælatos Regulares respectu suorum subditorum; Dian. *par. 4. tract. 2. resol. 71.*

De

De homicidio casuali.

Quid, & quotuplex sit; an & quando inducat irregularitatem, quomodo tollatur, an & quando dicatur delictum occultum.

QVID ET QVOTVPLEX SIT. Quia irregularitas ex delicto non contrahitur, vbi culpa non committitur, inquirere debemus, quomodo ex homicidio seu mutilatione casuali contrahatur irregularitas. Ideoque definitur homicidium casuale *est illud quod scilicet nullo modo est volitum, neque directè*,& certum est, quod hoc nullam inducat irregularitatem *cap. dilectus*, 13. *cap. significasti*, 16. *de homicid.* & Abb. *in cap. quæsitum, de pœnit. & remis.* Alterum homicidium vocatur mixtum, id est, ex voluntario, & casuali: nempè quando est volitum per accidens; & hoc dicitur culpabile. Ad hanc irregularitatem contrahendam vera culpa mortalis requiritur, & non sufficit culpa leuis, vel leuissima; quia cum hæc pœna sit grauissima, debet supponere culpam grauissimam, qualis est culpa mortalis, Bonacin. *disput.* 7. *de censuris*, *quæst.* 4. *pun.* 7. *num.* 27. quoniam pœna commensurari debet de delicto, *l. sancimus*, 22. C. *de pœnis*.

QVANDO CONTRAHATVR. Nota, quod quando quis est homicida casualis, & homicidium est volitum in causa, vt est in eo qui commisit homicidium casuale, sed non adhibuit debitam diligentiam quam debuit, licet daret operam rei licitæ est irregularis, Fagn. *in cap. ad audientiam*, *num.* 35. *de homicid.* secus est in eo, qui dabat operam rei licitæ,& adhibuit ex opere suo omnem diligentiam, nè sequatur homicidium, *cap. dilectus*, 13. *& cap. significasti*, 16. *de homicid.* quo casu non requiritur exactissima diligentia, qualem adhiberet vir diligentissimus; sed satis est, quod talem quis adhibeat diligentiam, qualem, considerata rei qualitate,& personarum, negotiorumque adhibere debuisset ad viri prudentis arbitrium.

Qui dat operam rei illicitæ, & prohibitæ, si sequatur homicidium, fit irregularis; nam Clericus qui venando telum in feram misit, & hominem occidit irregularis est, etiam si om-

nem adhibuerit diligentiam, Fagn. *in dicto cap. ad audientiam, num.* 20. secus in Clerico, qui porcos ex agro fugaturos lapidem proiecit, & puerum necauit, quia non dabat operam rei prohibitæ, Fagn. *ibidem, num.* 21.

Quæ irregularitas non extenditur contra omittentem impedire homicidium, vel mutilationem; ad quod siue teneatur ex charitate, siue ex iustitia; quia ad illam contrahendam semper requiritur influxus positiuus, cum simus in materia pœnali; ideoque non fit extensio ad influxum omissum, seu ad cessationem influxus, qui licet, quantum ad culpam sint idem, non autem quantum ad pœnam à iure impositam, nisi exprimatur.

A' QVO TOLLATVR. Quam irregularitatem tollere potest Episcopus, quãdo prouenit ex delicto occulto, Trident. *sess.* 24. *cap.* 6.

DELICTVM OCCVLTVM QVANDO DICATVR. Denique nota, quod per delictũ occultum, non solum intelligitur illud, quod à nullo scitur, nisi ab ipso reo; verũ etiam illud quod ab aliquibus scitur, & de se probabile est per testes: adhuc tamen non est notorium publicè, vt si nulla tergiuersatione celari possit, prout est quando est confessum in iudicio. Vnde quando delictum deductum fuit in forum contentiosum, & reus fuit dimissus ex defectu plenæ probationis, eo casu delictũ reuocatur ad pristinum statum occulti, in quo erat ante denunciationem, Sayr. *lib.* 7. *cap.* 7. *&* 13. *num.* 12. quæ facultas Tridentini *vbi supra* non solum extenditur ad Episcopos erga suos subditos, verum etiam ad Prælatos Regulares respectu suorum subditorum, P. Diana *par.* 4. *tract.* 2. *resolut.* 7. *circa finem.*

De homicidio ad defensam.

Quæ sit, quæ illius requisita ad excusandum ab incursu huiusmodi irregularitatis, quomodo, & à quo tollatur.

QVID SIT, AN ET QVANDO HOMICIDIVM DEFENSIVVM CAVSET IRREGVLARITATEM. Soluitur, & declaratur præsens titulus ex verbis *Clemen. si furiosus,* 1. *de homicid. volunt.* ibi *si furiosus, aut infans, seu dormiens* *homi-*

hominem mutilet, vel occidat, nullam ex hoc irregularitatem incurrit. Et idem de illo censemus, qui mortem aliter vitare, non valens, suum occidit, vel mutilauit inuasorem. Ex qua Clementina clarè constat furiosum delinquentem tempore furoris non esse irregularem. Idem est in infante, qui non est doli capax. Et indormiente, qui aliquem in somnis occidit, vel mutilat. Ad dubiũ, an incurrat in irregularitatem, qui alterum occidit ob sui defensionem. Respondetur cum præ allegata *Clemen.* negatiuè; intellige quando alterum occidit seruato moderamine debitæ tutelæ; nempè quando alia via vita seruari non potest; & pro inde hoc homicidium à iure voluntarium non dicitur, sed necessarium reputatur, Iul. Clar. *in prax. crimin.* §. *homicidium, num.*24. Hinc est, quod quando agressus fugere potest sine periculo, & sine infamia; fit irregularis si resistat, & in sui defensionem agressorum occidat; quia agressoris mors tunc non est medium necessarium ad propriam vitam tuendam, cum hic finis sufficienter haberi possit per fugam non periculosam, neque probosam, constat ex *dicta Clemen.* ibi; *qui mortem aliter vitare non valens.*

QVIBVS MODIS CONTRAHATVR. A' qua irregularitate non excusatur ille, qui homicidium, vel mutilationem committit pro necessaria defensione filij, coniugis, aut alterius consanguinei, etiam pro defensione proprij honoris, Fagn. *in cap. suscepimus, num.*16. *&* 19. *de homicid.*

De clerico, an sit irregularis, si pro necessaria rerum defensione furem, aut spoliatorem occidat; dic, aut res sunt magni momenti, & nec est spes probabilis illas amplius recuperandi, & tunc non fit irregularis, *cap. interfecisti,* 2. *de homicid.* nam sua defendens occidendo furem, non tam vult occidere, quam rem suam defendere. Aut res est parui momenti, vel recuperari potest, aut exceditur moderamen inculpatæ tutelæ, & tunc fit irregularis, vide Fagn. *in dicto cap. suscepimus, à num.* 7. *vsque ad finem,* & *in cap. interfecisti, num.*22. *de homicid.* Qui excessus esse debet mortalis ad causandum irregularitatem in casibus prædictis, Barbos. *in collectan. Clem. si furiosus, n.*21. *&* 22. & est probandus ab accusatore, Honded. *conf.*99. *n.* 14. *&* 15.

A' QVO TOLLATVR. In quam speciem irregularitatis Episcopus dispensare potest, si proueniat ex delicto occulto, Triden. *sess.*24. *de reformat. cap.*6.

De baptiſmi iteratione.

Quæ ſit, quæ requirantur ad inducendam irregularitatem, quam vim habeat, per quem tollatur, an & quando per reiterationem aliorum ſacramentorum contrahatur irregularitas.

